

UNIVERSITY OF MICHIGAN

IO. IACOBI GRIESBACHII

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDIT

IO. PHILIPPUS GABLER.

VOLUMEN I.

IENAE,
SUMTIBUS ET TYPIS FR. FROMMANNI.
MDCCCXXIV.

Praefatio.

Io. Iacobi Griesbachii commentationes academicas, tam Halae, quam Ienae scriptas eius esse generis et pretii, ut non facile ab alio, eo quidem, quo conscriberentur, tempore, melius elaborari potuissent, inter omnes harum rerum peritos constat. Quare mirum non est, collectionem harum commentationum, quae singulae aegre, quae communis scriptionum academicarum sors est, pararentur, diu fuisse desideratam. Hic enim vir celeberrimus tanta erat doctrinae copia praeditus, tantaque ingenii vi et alacritate a natura instructus, ut, quicquid inprimis in re critica et exegetica N. T. scriberet, novam libris sacris lucem accenderet. Nec mirum. Naturam enim aeque ac fortunam adeo fautricem habuit, ut, quanta in singulis plerumque vix deprehendantur singula naturae et fortunae beneficia, tanta in Eo amice coniuncta essent omnia. Unicus erat filius optimorum parentum, *Conradi Caspar. Griesbachii*, Pastoris

Moeno-Francofurtani (antea Gissensis et Butisbacensis), viri integerrimi et pro temporis ratione bene docti atque editis nonnullis soceri, *Io. Iacobi Rambachii*, Theologi Halensis et Gissensis celeberrimi, libris haud inclari, eiusque coniugis, Rambachii, praeceptoris et fautoris, filiae, matronae erectioris indolis, quae inter feminas patriae ingenii et doctrinae vi emineret, atque multarum rerum, etiam linguarum, graecae et latinae, peritae. Tales parentes et probi et ipsi bonis nutriti literis non poterant non de filio unico recte formando admodum esse solliciti, atque, cum res eorum lautioris essent conditionis, nullis parcere sumtibus, quo novus quasi orbi literato redderetur *Rambachius;* sed plus effecit cura parentum adiuta quidem a natura, quam maxime fautricem nactus esset filius. Nam nepos *Io. Iacobus Griesbachius* maior evasit avo *Io. Iacobo Rambachio.* Iactis enim feliciter linguarum doctrinarumque fundamentis, atque bene haustis, quibus aetas iuvenilis in scholis impertiri solet, literarum elementis, per integrum fere septem annorum spatium in tribus academiis, Tubingensi, Halensi et Lipsiensi, scholas Theologorum aliorumque doctorum tum temporis celeberrimorum ita frequentavit,

ut universum literarum doctrinarumque, praesertim divinarum, ambitum complecteretur. Inprimis *Io. Salom. Semleri* institutione et consuetudine, atque accurate cognitis illius libris se totum dedit studio tum historiae christianae, tum textus et sensus Novi Foederis recte constituendi. Quamobrem finitis studiis academicis per biennium peregrinationes instituit, non solum quo urbes hominesque videret, sed potius ut codices N. T. manuscriptos inspiceret et inter se conferret, atque examinandis variis codd. lectionibus criticam sibi compararet facultatem. Quod quidem consilium tam feliciter perfecit in Anglia et Gallia, adiutus praesertim tum miro ingenii acumine atque iudicandi sollertia, tum benevolentia virorum doctorum, qui ei aperirent thesauros bibliothecarum Londinensium, Oxoniensium, Cantabrigiensium et Parisinarum, ut Halam vix ex itinere reversus novam crisi N. T. speciem indueret, et haud ita multo post in re critica N. T. praeceptor Germaniae evaderet. Etēnim iam A. MDCCLXXI in dissertatione, *de codicibus quatuor Evangeliorum Origenianis*, pro impetranda venia docendi publice ventilata tale exhibuit copiosae et accuratae eruditionis criticae cum ingenti ingenii acumine coniun-

ctae specimen, quale antiquior aetas in eiusmodi periculis iuvenum theologorum a multis inde annis, si forte excipias *Moshemiani* ingenii primitias, vix viderat. Atque post tres annos *Griesbachius*, tum triginta demum annos natus, novum, idque gravissimum periculum subiit edendae novae recensionis textus Nov. Test. cum additis selectis variis lectionibus atque notis criticis. Sed has omnes difficultates sibi obiectas tam feliciter superavit, ut non modo omnium eruditorum oculos, qui in his rebus aliquid videre iure suo credebant, in se converteret, verum etiam post triginta adeo annos, quibus ad perfectam iudicii critici maturitatem pervenisset, perpauca modo haberet, quae in *textu* editionis secundae mutaret aut emendaret. Quo factum est, ut, pie defuncto *Io. Georgio Walchio*, theologo celeberrimo, eo ipso tempore (A. MDCCLXXV), quo volumen alterum editionis suae criticae Nov. Test. in lucem prodiisset, Ienam evocaretur in locum b. *Walchii* suffectus. Unde nova lux huic literarum officinae adfulsit; nam cum doctrina accurata facultatem etiam clare et perspicue docendi alios ita coniunxit, ut cum plausu omnium tam historiam ecclesiae christianae exponeret, quam singulos Nov. Test. libros in-

terpretaretur. — Itaque omnia viro docto ex voto evenerunt, et brevi quidem tempore magnam nominis celebritatem adeptus est. Quae laeta Viro sors non facile, saltem non tam cito, obtigisset, nisi ingenii praestantia rerum externarum prosperitatem adiunctam sibi habuisset tam fidam et perpetuam comitem, ut, quibus opus esset, ad itinera rei criticae promovendae causa instituenda, sumtus impendere posset, atque semper haberet, unde magnam librorum optimorum supellectilem sibi comparare posset, nilque sane deesset, quod in prosequendis studiis divinis humanisque eundem maxime sublevaret. Unde factum est, ut, quicquid scriberet, eo saltem tempore, quo scriberet, optimum in suo genere esset. Quare valde dolendum est, talem virum, qui omnibus doctrinae theologicae praesidiis satis munitus omnem rem theologicam, inprimis historicam et exegeticam, eximie promovere potuisset, tot tantisque aliis negotiis ac laboribus, iisque a studiis theologicis longe diversissimis adeo obrutum fuisse atque distentum, ut nihil restaret temporis, quod ad proferendos et amplificandos doctrinae theologicae fines in illustrandis et emendandis singulis illius capitibus consumeret. Multum quidem profuit

vir perspicacissimus saluti publicae et rebus oeconomicis tum academiae, tum oppidi agrique Ienensis, tum terrarum Vimariensium omnino, iudicandis et subducendis rationibus, imo componendis novis calculis, aeque ac consiliis saluberrimis. Nec displicuere viro, quo esset animo ad imperandum et prono et idoneo, nec angustioribus literarum theologicarum cancellis circumscribi se passo, negotia publica a senatu academico, qui ordinis provincialis iure fruitur, ei collata. Attamen variis his iisque haud raro molestis laboribus tantopere obrutus erat vir celeberrimus tantamque fecit temporis iacturam, ut, accedente praesertim infirma, eaque diuturna, valetudine, qua quovis fere anno variis conflictatus incommodis languesceret, per integrum triginta annorum, et quod excurrit, spatium praeter compendiolum theologiae dogmaticae popularis nihil publici iuris faceret, quod aetatem ferret, quam symbolas criticas et novam editionem Nov. Test. graeci cum adparatu critico coniunctam, atque annuas prolusiones festales, quamvis eundem semper per quadraginta fere annos cyclum scholarum historicarum, exegeticarum, criticarum et hermeneuticarum servasset, nec aliarum praelectionum theologicarum onus si-

bi imponi passus esset, quam quas ab initio habendas sibi sumsisset.

Eo maioris autem pretii habendae sunt prolusiones academicae Viri summi, quod in iis solis publica extant egregiae, quam prae se ferebat, quamque in scholis ad vitae usque finem cum plausu auditorum profitebatur, scientiae historicae et *exegeticae documenta*. Prostat quidem *in tabernis* librariis collectio programmatum pentecostalium, eorumque critici argumenti, ab anno inde nonagesimo quarto praeteriti saeculi ad undecimum hujus saeculi annum, duabus particulis comprehensa, quae commentarium criticum in Evangelia Matthaei et Marci continent; sed, quae antecessere, opuscula academica nondum sunt iunctim typis excusa. Quae quum singula post tantum temporis intervallum aegre nunc possint comparari, atque nonnulla modo in promtuarium libellorum academicorum ab *Kuinoelio* eiusque sociis editum sint recepta, quamvis omnia a viris doctis magni aestimentur: possidendae integrae horum opusculorum collectionis mirum non est permultis enatum fuisse, imo palam significatum desiderium; cui tandem cessit b. *Griesbachii* vidua, matrona honestissima, redemtore quidem *Frommanno*, viro lite-

rarum amantissimo, earumque promovendarum studiosissimo. At *Griesbachius*, ὁ μακαρίτης, prae nimia modestia nihil cogitans de colligendis et amplificandis libellis suis academicis nullam eorum reliquit congeriem; quo factum est, ut Griesbachii vidua, quum me, ut libellos hos ederem, rogasset, pusillum modo fasciculum commentationum mihi adferret, quarum nulla haberet emendationes aut notulas a b. Viri manu adspersas, praeter unam, philosophicam quidem *de fide historica*, quas etiam textui aut inserui, aut, tanquam notulas, subieci. Itaque complendum a me erat syntagma commentationum tum e meis ipsius copiolis, tum cura *Frommanni*, qui, quae adhuc deessent, aliunde pararet. Quae quum omnia tandem plene ac perfecte essent parata, id egi potissimum, ut singulae commentationes secundum ordinem chronologicum disponerentur, atque prelo commissae sine vitiis operarum, sive olim sive nunc demum commissis, prodirent, exceptis ultimis prolusionibus, quae iam antea vivo adhuc Griesbachio sub commentarii critici in Evangelia Matthaei et Marci nomine denuo typis fuerant excusae. Quem quidem laborem sane molestum eo lubentius suscepi, quod non solum ex eadem b. *Griesbachii* patria urbe es-

sem oriundus, verum etiam per integros tres annos scholae suae alumnus, earundemque disciplinarum theologicarum, quas *Griesbachius* tractabat, inprimis exegeticarum et criticarum, adsiduus cultor, imo per octo annos collega in ordine theologorum Ienensium, denique post obitum illius successor in primo ordinis loco. Quare cum voluptate opus arduum adgressus in duo volumina distributum ante duos fere annos absolvi, quamvis hoc onus sexagenario potius quam septuagenario mihi impositum optassem. Restabant modo praeter praefationem uberiores, quos promiseram, *excursus*, quibus in singula commentationum Griesbachianarum capita pro aetatis nostrae ratione latius excurrere animus erat, ut lectores nostri, si *compararent Griesbachii* commentationes cum additamentis meis, haberent aliquam totius argumenti a b. *Griesbachio* suo quidem tempore egregie tractati summam. At, eheu! interceptus fui ab illo inde tempore a perficiendo hoc opere, tum aliis negotiis academicis, inprimis devoluto in me hoc ipso anno (MDCCCXXII) summi magistratus onere gravissimo, tum gravi morbo, quo sub finem feriarum eiusdem anni auctumnalium vehementer adeo corriperer, ut ab omni, acriori qui-

dem, virium contentione in meditando et scribendo interdicerer.

Quapropter etiam nunc, ubi editio horum opusculorum diutius differri nequit, mihi abstinendum est ab elaborandis prolixioribus, quae promiseram, additamentis, ne vires a fracta valetudine mihi relictas scholis meis, quibus a multis inde, iisque plus quam quadraginta, annis vivere soleo, temere praeripiam, nec editionem commentationum b. *Griesbachii* academicarum typis iam dudum exscriptarum longius retineam. Misso igitur ἐπιμέτρῳ illo promisso, cura mea nunc coercenda est angustioribus describendarum breviter commentationum ipsarum finibus, additis nonnullis observationibus, quas aequi bonique consulant lectores, suosque in usus, prouti libuerit, convertant, rogo. Nec aegre ferent hanc, promissorum quidem, cum adhuc integra esset valetudo, additamentorum meorum, si qua est, iacturam ingenii Griesbachiani fautores et admiratores, qui curas magni illius viri academicas, non meas qualescunque, desiderant. Si qui autem sint, qui desiderent, occasio forte offertur explendi huius desiderii in edendis meis ipsius opusculis academicis Altorfinis et Ienensibus, quae secundis quidem

curis, si Deus vitam viresque concesserit, emendanda atque amplificanda molior. —

Primum hoc volumen *sex* continet commentationes Griesbachianas, quarum *prima* exhibet *locos theologicos ex Leone Magno collectos*, quam dissertationem historico-theologicam defendit iuvenis vix viginti trium annorum sub moderamine *Io. Sal. Semleri*, A. MDCCLXVIII. Erat autem haec commentatio, quae plus quam decem plagulas complet, exquisitae doctrinae, magnae diligentiae et acris ingenii testis locupletissimus, sive ipsam in textu ipso tractationem, sive notas subiectas spectes; atque hae primitiae eius iam erant generis, ut certum proderent futurae Viri magnitudinis augurium. Nemo enim, qui historiam dogmatum christianorum accuratius perscrutari velit, egregia hac symbola ex Leonis M. locis theologicis carere potest, iisque ex epistolis et sermonibus illius Viri, orthodoxiae in ecclesia latina studiosissimi ac tenacissimi, tam accurate collectis et rite digestis ac illustratis, ut tota orthodoxiae latinae, quinto quidem p. C. N. saeculo, indoles ac forma plane possit ex hac dissertatione intelligi. Dolendum modo est, *Griesbachium* brevitatis studio ductum, cum haec dissertatio fines ta-

lium scriptionum academicarum iam longe superasset, plures Leonis M. locos v. c. de sanctorum intercessionibus eorumque invocatione, de poenitentia atque satisfactione, de confessione privata, de meritis bonorum operum, aliisque similibus praetermisisse, nec invenisse aemulos, qui aliorum, quos vocant, Patrum tertii, quarti et quinti saeculi, qui admodum inclaruerunt et magna gaudebant auctoritate, locos theologicos ex operibus eorum simili ratione excerperent et illustrarent, si excipias *Roesslerum*, qui in egregia *bibliotheca Patrum* accurate quidem, sed breviter, atque secundum ordinem librorum, non ipsorum locorum theologicorum, dogmata horum doctorum ecclesiasticorum adumbravit. Multo magis dolendum est, b. *Griesbachium* post has primitias historiam dogmatum commendasse quidem accuratius excolendam, sed non ipsum neque libris peculiaribus, neque in scholis exposuisse aut adiuvisse. Caeterum de *Leone M.*, episcopo romano, strenuo hoc orthodoxiae romanae defensore, atque gloriae et supremae auctoritatis sedis romanae cupidissimo conferri merentur inter recentiores *Io. Andr. Cramer, Fortsetzung III.* d. *Bossuet.* Einleit. in d. Gesch. d. Welt u. d. Religion p. 612. sqq. *Car.*

Fr. Gottl. Schoenemanni bibliothec. Patr. Latinor. Tom. II. p. 861 sqq. *I. Chr. Frid. Wundemann* Gesch. d. christl. Glaubenslehren, Th. I. p. 90. sqq. *Io. Matth. Schroeckh* christl. Kirchengeschichte, Th. XVII. p. 30. sqq. 130 sqq. et *Henr. Phil. Conr. Henke* opuscula academica p. 61. sqq. —

Secunda commentatio, quam b. Auctor sub finem eiusdem anni MDCCLXVIII. praeside I. Fr. Stiebritzio Halae defendit pro summis in Philosophia honoribus rite capessendis agit *de fide historica ex ipsa rerum, quae narrantur, natura iudicanda*. Qua quidem dissertatione alteram quasi partem egregiae *Ernestianae* commentationis: *de fide historica recte aestimanda* (cf. *Io. Aug. Ernesti* opuscula philologica critica. ed. 2. Lugd. Batav. 8. 1776. p. 64 sqq.) exhibuit, vel potius, quod *I. A. Ernesti* paucis modo attigerat (l. c. p. 93 sq.), *I. I. Griesbach* fusius atque accuratius exposuit. Nam fides historica (quod hic ipse recte monuit in dissert. §. 1.) duobus nititur fundamentis: quorum *alterum*, historiae proprium, ea sub se veritatis signa comprehendit, quae a *testium dexteritate atque sinceritate* repetuntur; *alterum*, omnibus literarum disciplinis quodammodo commune, ea complectitur, quae *ex ipsorum*

factorum, quae traduntur, natura duci posse videntur. Ista *externa veritatis criteria*, e quibus *testium* auctoritatem aestimare solemus, seu *historica I. A Ernesti* in illa dissertatione *de fide historica* copiose et eleganter enucleavit; haec autem *interna* veritatis criteria, quae ex rerum ipsarum natura et indole, earumque possibilitate, probabilitate interna, quae a testimonio non pendet, aut denique necessitate eo consilio sumuntur, ut per ea argumentorum historicorum auctoritas vel confirmetur, vel infringatur, quae *philosophicorum* nomine veniunt, quorum cognitio exquisitior magni est momenti, accuratius in hac ipsa dissertatione exponenda sibi sumsit *Griesbachius*, quum ante eum nemo hoc argumentum copiose satis et accurate, uti decet, tractasset. Versatus autem est vir acutissimus quam diligentissime in tractando et exhauriendo hoc argumento, ut haec commentatio non possit non, uti historicis omnino, ita theologis inprimis graviter commendari, tum in theologia dogmatica philosophice tractanda, tum in omni re critica, tum in historia ecclesiastica a fabulis repurganda, tum denique in recte iudicandis narrationibus in ipso N. T. traditis. Plerumque enim theologi, quasi re bene gesta, sibi ipsi plaudere

solebant, modo in expendenda dexteritate et sinceritate testium regulas ab *Ernestio* in illa commentatione praescriptas diligenter observassent. —

Tertia huius voluminis commentatio inscripta est: *dissertatio critica de codicibus quatuor evangeliorum Origenianis. Pars prima* *); quam *Griesbachius* d. VIII. m. Octobr. MDCCLXXI *pro* impetranda venia docendi Halae *defendit ipse praeses*, respondente *Frid. Andr. Stroth*, tum semin. theol. regii Seniore. — Haec dissertatio facile princeps est in primo hoc volumine; nam non modo amplam demonstravit in ea *Griesbachius* accuratae ac multiplicis doctrinae copiam, verum etiam operosam lectionum Origenianarum investigationem; qua familiaritate cum omnibus ac singulis *Origenis*, viri κριτικωτατου, operibus contracta *fundamenta* iecit novae suae theoriae Critices textus graeci N. T. Nondum quidem *duplicis*, eiusque vetustissimae, *recensionis*, quam vocant, *alexandrinae* et *occidentalis* expressis verbis mentionem fecit in hac commentatione (hoc potius tres demum post annos egit vir acutissimus et de maioribus subinde

---

*) Pars *secunda* non prodiit, saltem non seorsim.

artis criticae incrementis sollicitus, in primae editionis [Hal. 1774.] textus graeci librorum historicorum Nov. Testam. eiusque partis *prioris praefatione* p. XVI.); imo retulit adhuc (p. 309. sq.) cod. D. (Cantabrig.) ad subsidia critica reperiendae lectionis Origenianae s. *alexandrinae*, quamvis tertio demum loco reponenda, cui paucos post annos *primum* locum adsignavit in constituendo textu recensionis *occidentalis*. Attamen viam iam aperuit inveniendi textum N. T. antiquissimum, docendo primum et copiose, Origenem non confecisse *recensionem* textus sibi peculiarem, sed usum modo fuisse pluribus iisque optimis codicibus, deinde diligenter monendo, quanta cautione opus sit in conferendis Patrum operibus ad detegendam veram, quam quisque sequutus sit, locorum N. T. lectionem. Denique sub finem huius dissertationis (p. 305 sqq.) disserit, breviter quidem sed accurate, de *fonte*, ex quo Origenianarum lectionum notitia peti possit, longe quidem ab iis, quibus usus esset Origenes ipse, quosque hactenus commonstrasset, dissito licet uberrimo; esse enim codices quosdam, qui mirifice cum allegationibus Origenianis conspirent, quorumque igitur ope reperiri possent lectiones Origenis, etiam in locis N. T.

ab eo non allegatis. Quinam hi libri sint, et quonam affinitatis gradu codices Origenianos attingant, fusius docere voluit, in *secunda* huius dissertationis parte. Haec quidem nunquam in lucem prodiit; nihilo tamen secius *Griesbachius* stetit promissis. Nam in *symbolis criticis*, tam tom. prior. (Hal. 1785. 8.) quam tom. poster. (Hal. 1793. 8.) *hos codices* omnes A. C. D. L. 13. 69. etc., quos in bibliothecis *Angliae et Galliae*, ubi delitescunt; singulos examinaverat atque inter se comparaverat, cum multis aliis, tam copiose et accurate ab omni parte descripsit, atque gradus affinitatis adeo subtiliter investigavit, familiasque, ad quas quisque pertineat, designavit, ut viro critico cuique, qui alios libros manuscriptos examinare atque inter se conferre velit, exemplo esse possit. Permulta enim tum in conferendis codicibus, tum in iudicandis eorum familiis rectius vidisse virum acutissimum antecessoribus suis, *Millio*, *Bengelio*, *Wetstenio* ac *Semlero*, atque criseos N. T. studium non modo apud nos denuo excitasse, sed eidem etiam novam induisse faciem, inter omnes constat; etsi *Hugium*, virum praestantissimum, nostra aetate in digerendis codicum familiis statuendoque iis pretio nonnulla rectius

vidisse *Griesbachio*, lubens concedam. Sed his alius locus erit opportunior. Huic loco aptius fuerit monere, *Griesbachium* opinionem in hac dissertatione p. 243. expressam, atque diu servatam, nempe: „in scriptionibus Origenianis „*omnibus eundem* Novi Testamenti textum laudari," sub finem vitae reiecisse ipsum. Ipse enim non modo fatetur in *Commentarii critici partic. II.* (Ien. 1811.) *praef.* p. V. „*Origenem diverso tempore usum esse duobus diversis Marci* exemplaribus, *uno alexandrino, altero occidentali;*" verum etiam idem *evidenter* probasse (p. IX—XXXX.) sibi videtur.

Quarta huius voluminis primi commentatio *de historiae ecclesiasticae nostri saeculi usibus sapienter accommodatae utilitate* conscripta erat a *Griesbachio*, ut hac praefatione invitaret ad audiendam orationem suscepti in academia Ienensi publici muneris [Professoris theologiae ordinarii] causa a. d. VI. Iul. MDCCLXXVI. recitandam. Erat hoc programma, quo libertas iudicandi de rebus theologicis valde commendatur, peropportunum isti tempori, quod suos alebat *Goetzios*, *Benneros*, aliosque coecos propugnatores antiquarum opinionum; sed et nostra aetas, quae *Harmsios* habet, haud exiguos fructus ex docta hac

prolusione percipiet, quamvis pro necessitate temporis in enarranda historia ecclesiastica nonnulla aliter nunc sint informanda, alia addenda. Semper enim, recte monente *Griesbachio*, in rerum narrandarum delectu et modo narrationis ratio habenda est eius, quo vivimus, temporis, quo certius genuina Iesu Christi religio commendetur, veritatis ac virtutis studium acuatur, et pacis concordiaeque amor alatur. Itaque in hoc programmate disquiritur, qua ratione rerum inter Christianos gestarum narratio eius quo vivimus temporis utilitatibus inservire queat. Inter fructus, qui e iusta fatorum ecclesiae christianae cognitione ad nos redire possunt, *primo* loco commemoratur, quod praecipitem novandi libidinem reprimat; maxima enim hominum pars, in rebus praecipue *sacris*, antiquis et a maioribus acceptis unice delectantur et pro his pertinacissime pugnant; id quod Novatianorum exemplo, qui Catholicis rectius vidissent, dilucide illustratur. *Deinde* historia rerum in ecclesia christiana gestarum nos admonet, ne antiquiorum doctorum vestigiis nunquam non inhaerendum esse arbitremur, novaque omnia, hanc ipsam ob causam, quia nova sunt, spernamus aut aversemur: theologia enim novis mutationi-

bus quovis fere saeculo obnoxia fuit. Ii modo, qui historiarum plane ignari sunt, somniare solent de constanti systemate theologico; quare historia ecclesiastica ad liberalem veri inquisitionem nos reddit aptiores. — *Porro* historia ecclesiastica inservire potest molimi- nibus eorum, qui novatores et reformatores novelli vulgo audiunt, *sobrie* ac *moderate* iudicandis; modo summam religionis christianae ab iis quaestionibus, quae eam plane non attingunt, rite distinguamus. Id quod in controversia Ariana exemplo epistolae *Constantini M* ad *Alexandrum*, Alexandriae episcopum, et ad *Arium* probe attendendo, nec non in controversia Eutychiana literis episcoporum Pamphiliensium, atque in lite Pelagiana exemplo Zosimi, episc. rom., bene illustratur (p. 338 sqq. coll. p. 355 sq.). — Praesertim nostra aetate non negligenda sunt, quae *Griesbachius* de *rationalismo* Origenis (p. 343 sqq.) nec non de vario modo salutarem mortem I. C. cogitandi inter veteres christianos (p. 348 sqq.) atque de systemate orthodoxo variis modis et artibus sensim sensimque enato (p. 359 sqq.) fusius disseruit. Quae si probe pensitamus, historia ecclesiastica etiam nos docet, quomodo adversus eos, qui a doctrina, quae orthodoxa inter nos censetur,

aberrare videntur, gerere nos debeamus. Egregie hoc illustratur exemplo controversiarum Arianarum, Nestorianarum et Eutychianarum, inprimis *detestabili* asperitate Patrum Chalcedonensium (p. 364 sqq.). — Denique historiae ecclesiasticae studium animum ipsum salubriter commovere, eumque tam pacis, concordiae, mutuaeque tolerantiae studio imbuere, quam violentiae omnis horrore replere valet. Commemoratur h. l. exemplum amicae collationis *Dionysii* Alexandrini cum Chiliastis, et proferuntur debacchationes *Hieronymi* contra Helvidium, Iovinianum et Vigilantium (p. 369 sqq.). Intelligimus teste historia, vehementer errare eos, qui omnes a doctrina orthodoxa recedentes levitatis impietatisque accusant, fontesque errorum in pravo errantium animo pravisque eorum consiliis positos esse arbitrantur, quod illustratur exemplo Origenis (p. 373 sq.). Nemo igitur, qui cognoscendae historiae eccl. liberalem impendit operam, ad haereseos vocabulum vel haeretici appellationem trepidabit, aut sacro quasi horrore contremiscet. — Ex hoc argumento programmatis breviter hic adumbrato facile intelligimus nostra etiam aetate illud esse lectu dignissimum. Dolendum modo est, b. auctorem brevitatis studio, quum

haec prolusio schediasmatis academici limites iam esset transgressa, impeditum fuisse, quo minus sub finem viam monstraret, qua ratione tractari debeat historia ecclesiastica, ut fructus supra enumerati percipi ex eius studio queant.

Commentatio *quinta* et *sexta* huius voluminis *de vera notione vocabuli πνευμα in cap. VIII, epist. ad Romanos* exhibent duo programmata pentecostalia A. MDCCLXXVI et MDCCLXXVII. — Quum voc. πνευμα in N.T. libris saepius obvium ad vocabula πολυσημα pertineat, b. auctor in duplici hac prolusione id egit, ut ex contextu orationisque συναφεια atque diligenti phrasium a Paulo adhibitarum inter se comparatione vim ac potestatem vocabuli πνευμα saepe in hoc capite VIII. epist. ad Romanos recurrentis erueret et, quantum fieri posset, brevissime declararet. — Primum in prolusione priori explanatur nexus sententiarum, atque genuina lectio tum v. 1. omittendis verbis: μη κατα σαρκα περιπατουσιν, ἀλλα κατα πνευμα, (p. 382 sq.) tum v. 11. legendo: δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα, idoneis de causis criticis (p. 395 sqq.) textui vindicatur. Deinde in prolusione *posteriori* collatis et recte explanatis commatibus 9 — 27 huius capitis

VIII. eundem sensum πνευματος aeque ac in antecedentibus comm. 1—8. admittendum esse merito sumitur. Quare b. Auctor iure suo statuit: το πνευμα significare in hoc capite *novam illam atque ad legis divinae praescriptum conformatam mentis indolem, quae per Evangelium, quo tanquam instrumento suo in emendandis hominum animis utitur Spiritus sanctus, procreatur.* — Praeterita illa tempora si spectes, quibus haec scripserat *Griesbachius*, ubi plerumque πνευμα etiam hoc capite VIII. ep. ad Rom. *personam* Spir. S. denotare existimabatur, bene meritus est Auctor, aliter informans sensum totius illius capitis; nam de *persona* Spir. S. hoc loco plane non est cogitandum. Sed si universum sententiarum Paullinarum nexum consulas, mea quidem sententia το πνευμα modo significat vim divinam in Christianis se exserentem ad excitandum et alendum sensum pietatis et virtutis christianae, modo hunc sensum pium et honestum ipsum, tanquam fontem omnium a Christianis probe ac recte, sancte et honeste factorum. Principium enim illud divinum, et sensus ipse divinus a Deo profectus non semper accurate ab Apostolo distinguuntur; utrumque enim est illud θειον in veris Christianis conspicuum. Sed fusius de his

disserere non est huius loci. Caeterum in gravissima hac quaestione de vera vi ac potestate voc. πνευματος, inprimis in epistolis Paullinis, haud abs re erit cum iis, quae a b. *Griesbachio* egregie hoc loco dicta sunt, diligenter conferre, quae in doctis *Koppii, Mori, Noesselti, Ammonii*, aliorumque clarorum nostri temporis interpretum libris hac de re bene observata legimus. — Tantum de commentationibus in hoc Vol. I. contentis! In reliquas *Griesbachii* prolusiones academicas ad Vol. II. typis iam excusum hoc ipso anno, volente Deo, copiosius sum praefaturus. Scripsi Ienae, a. d. XVI. m. Febr. MDCCCXXIV.

Io. Phil. Gabler.

Conspectus Vol. I.

I.

Dissertatio Historico-Theologica

Locos theologicos collectos ex Leone magno

Pontifice Romano sistens.

Quam sub moderamine

Ioannis Salomonis Semleri

D. Febr. MDCCLXVIII. Eruditorum examini submittet auctor

Ioannes Iacobus Griesbach

Moeno-Francofurtensis. S. C. L.

Sectio I.

Quae est praeparatoria.

§. 1. Cum omnes fere partes eruditionis theologicae luculenter possunt e libris antiquissimorum, quos patrum appellatione veneratur christiana ecclesia, doctorum, illustrari; tum vero inprimis multiplex est et incredibilis, quae ex his scriptionibus ad dogmaticam theologiam afferri potest utilitas. Sed nescio quid sit, quod inde ab eo tempore, quo maiores nostri communionem Romani Pontificis dese-

ruerunt, plerique nostrarum partium theologi, qui aliquid studii in patrum lectione consumserunt, in hoc potissimum elaborandum sibi esse putaverint, ut demonstrarent, longius abesse pontificios a vetustissimorum christianorum doctrina quam nos: pauciores vero id egerint, ut quascunque patrum dogmaticas sententias notatu digniores, nulla aut consensionis aut discrepantiae habita ratione, recenserent. Equidem is non sum, qui priores illos reprehendam, id consilii sectantes, quod in polemico loco sua utilitate eo tempore non caruit; at nostrae tamen aetati magis convenire arbitror liberalia illorum studia, qui patrum sententias ita colligunt, ut illarum ortus atque successiones, et incredibilis in rebus dogmaticis definiendis antiquiorum theologorum varietas, *salubriter* perspici queat. Utilitas enim, quae e librorum a patribus conscriptorum lectione ad nos redit, non tam in eo posita est, ut illorum temporum ac hominum opiniones et decreta, quae his scriptionibus continentur, sancte retineamus et posteris fideliter tradamus, quam in eo potius, ut tum inspiciamus tanquam in speculum in praeteritorum seculorum monumenta, atque ex aliis sumamus exemplum nobis, et discamus, quid nostra hac aetate facto usus sit; tum praeterea, ut iustam nobis comparemus de dogmatum theologicorum natura et indole iudicandi facultatem. Nulla vero via, si qua est alia, qua ad hunc finem perveniri possit, brevior est ea, quam ineunt qui patrum volumina ita versant, ut observent, quo tempore, qua occasione, et a qui-

bus primum exposita fuerint singula dogmaticae disciplinae capita; quid ab aliis postea additum sit aut immutatum; quae quasi genealogia uniuscuiusque dogmatis fuerit [1]); quibus argumentis quodque vel confirmatum sit vel impugnatum, et quae sunt huius generis reliqua. Quae qui penitius cognita habet atque perspecta, non poterit non rectius quam alii statuere de ipsa christianae religionis indole, quae quum ex Dei consilio ad omnes homines pertineat, subtilibus illis sententiis nequit contineri ac absolvi, quae, ut haud mediocrem ingenii culturam atque eruditionem variam ponunt, ita ab iis intelligi non possunt, quibus denegavit vel vitae tenuior ratio eam facultatem.

§. 2. Cum itaque in animum induxissem edere aliquod vitae academicae a me adhuc actae rudimentum; e LEONIS MAGNI, Pontificis Romani, scriptis visum est nonnulla, quae ad doctrinae christianae historiam pertinent, ita proponere, ut eorum maxi-

1) Sed non poterit ista sententiarum theologicarum *genealogia* satis accurate describi, nisi ratio simul habeatur *geographiae dogmaticae*. Nempe aliis in regionibus atque provinciis cogitandi docendique ratio, quod ad unum alterumve dogma, plerumque diversa erat ab ea, cui aliorum locorum homines adsueti erant. Unaquaeque fere provincia quasdam habebat peculiares ἐννοίας et νοήματα nonnulla sibi propria. Sic v. c. Eutychetis de Christo opiniones Aegyptum, Augustini vero placita Africam potissimum redolent. Sed iusta utilissimae rei enarratio adhuc in desideratis habetur.

me rationem sequerer, qui dogmaticis magis quam polemicis usibus inservire student. Excerpam igitur ex LEONIS M. epistolis atque sermonibus ea, quae maxime idonea videbuntur, ad demonstrandum, quid ille de nonnullis fidei christianae capitibus senserit; conferam inter se accurate omnes eiusdem argumenti locos, et servabo, quantum fieri poterit, ipsa auctoris verba atque disciplinae formulas. Comparabo cum his, sicubi in rem esse videbitur, scripta aliorum patrum; sive illi in aliqua dogmatis cuiusdam definitione, nostro seculo minus usitata, concinant auctori nostro, sive in alia omnia discedant [2]). His denique nonnullas, ut res feret, adspergam observationes.

§. 3. Quod autem LEONI prae aliis operam meam, qualiscunque sit, dicaverim, nemo facile, ut spero, vituperabit. Tanta enim semper auctoritate apud catholicos christianos, et orientales et occidentales, valuit Noster, ut vix maior esse possit. Celeberrimam praesertim illam, quam ad *Flavianum* dedit epistolam, in qua incarnationis mysterium dilucide exponitur et contra haereticos defenditur, summis laudibus ad coelum ab orthodoxis evectam

2) Egregie in hoc negotio me adiuverunt, quae *summe Ven.* PRAESES e scriptis Patrum dogmaticis collegit in introductione ad b. Baumgartenii theol. polem.; quo tamen adminiculo ita usus sum, ut auctorum libros a *Viro incomparabili* laudatos ipse evolverem, ne alienis tantum, quamquam optimis, oculis vidisse dici possem.

esse, non solum quam plurimae ad LEONEM datae multorum litterae, verum etiam plurium conciliorum decreta abunde testantur, in quibus semper honorifica huius scriptionis mentio habetur, eiusque auctor columna praedicatur et illuminator ecclesiae, firmamentum orthodoxae fidei, apostolicorum dogmatum defensor, apostolis ipse coaequandus etc. Quid? quod haec epistola, quam concil. *chalcedonense* universale communem quamdam appellat columnam adversus perverse sentientes, tam in romana ecclesia, quam in aliis et italicis et gallicis coetibus eo tempore, quo Jesu Christi adventus celebrari solet, publice lecta est; id quod e pluribus *Lectionariis* libris satis antiquis recte colligitur. Recentiori etiam aetate multos fuisse, qui lectione scriptionum, quas LEO elucubravit, delectarentur, dubium esse nequit, cum inde ab anno 1470 aut 1471 plus minus vicies eius opera typis sint excusa [3]. Quanti Romana hodie quoque ecclesia eum

---

3) Epistolae praeterea saepius, magna saltim ex parte, et seorsim editae, et in collectionibus conciliorum, epistolarum decretalium etc. recusae sunt. Ego vero utor operum editione, quae curantibus *Petro* et *Hieronymo* fratribus *Balleriniis*, Presbyteris Veronensibus, prodiit Venetiis 1753. tribus tomis fol. in qua ad multorum praestantissimorum codicum fidem meliores saepe lectiones inductae, spuria scripta a genuinis sollicite separata, et adnotationes, satis plerumque utiles, tam ad LEONIS textum, quam ad *Quesnellii* dissertationes hic recusas adiectae sunt. Pluribus de hac editione egit S. V. ERNESTI, litterarum omnium de-

faciat, nuper ipse *Benedictus XIV.* Pontif. Max. demonstravit, qui anno 1754. ecclesiastica lege, de apostolicae potestatis plenitudine, proprium *Doctoris titulum* atque *cultum* ei decrevit. Quid plura? Non est quod ad testimonia, satis plerumque dubia atque suspecta, provocemus, cum res ipsa loquatur, et iustis rationibus probari possit, attenta consideratione sollicitaque discussione, prae multis aliis illius temporis scriptionibus, dignos esse magni huius Pontificis libros. Incidit enim in ea tempora, quibus ob imperii Rom. statum valde perturbatum ecclesiae quoque conditio satis erat misera, quam vero perpetua doctorum dissidia multo adhuc reddiderunt deteriorem. Quare non solum disciplinam ecclesiasticam admodum corruptam diligenter et severe regere conatus est LEO, verum etiam pugnare eum oportuit cum haereticis quam plurimis, qui vel ante eius Episcopatum innotuerant, ut Manichaei, Pelagiani, Nestoriani, Priscillianistae, aliique; vel eo tempore, quo Romanae ecclesiae ipse praefuit, ex-

---

eus, in biblioth. theolog. vol. 4. pag. 579. et 867. Sequor vero in excitandis auctoris locis seriem sermonum et epistolarum ad temporis rationem ab his, quos laudavi, editoribus emendatam. Libros II. *de vocatione omnium gentium*, epistolam ad *Demetriadem*, *breviarium adversus Arianos*, *sacramentarium* quod LEONINUM vulgo dicitur, et nonnullas epistolas ac homilias, a *Quesnellio* aliisque LEONI attributas, in subsidium non adhibebo, quia omnes has scriptiones huic Pontifici suppositas esse eruditis fere omnibus hodie est persuasissimum.

orti sunt, Eutyches scilicet cum suis sequacibus. His omnibus mira animi alacritate et incredibili constantia se opposuit, auctoritatemque doctrinae, antiquitus traditae, contra novatorum molimina mascule defendit, additis praeterea novis atque accuratioribus, quibus haereticae opiniones excluderentur, dogmatum determinationibus. Quanta vero in eo fuerit prudentia, rerum usu acquisita, quanta ingenii vis, quanta eruditionis doctrinaeque pro illorum temporum ratione 4) *copia*, *quantum denique orationis flumen* 5); facili negotio omnes intelligent, qui eius scripta vel leviter attigerint.

§. 4. Quamvis vero ad praestantissimas has animi dotes, quibus forte omnes suos antecessores

---

4) Sermonis graeci aeque ac hebraici eum rudem fuisse, non est quod quis magnopere miretur, cum a latinis patribus tantum non omnibus linguarum studia neglecta esse constet.

5) Dicendi *quidem admirabilem* copiam, ut fas est, laudamus; *nimium* vero illud studium, quod nil nisi ornamenta quaerit, periodorum concinnitatem sectatur, et argutias, antitheses ac verborum lusus ita venatur, ut aut sensus evadat admodum implicatus, aut sub nitidis atque sonoris verbis ieiunae lateant et humiles sententiae; hoc, inquam, a quo non semper sibi cavit LEO, excusare non ausim. Insigne afferam frigidioris allusionis specimen. „Irruerunt, scribit de Judaeis, Juda duce Christum capti„vum trahentibus, in *lumen* verum filii *tenebrarum*, atque „utentes *faculis* atque *laternis* non evaserunt infidelitatis „suae *noctem*, quia non intellexerunt *lucis* auctorem." Serm. 59. I.

longe antecedebat, accederet vitae ratio tam bene composita, ut plerique LEONIS successores ex eo exemplum sumere potuissent, ipsis reique christianae saluberrimum: tamen accidit homini, qui Magnus appellari meruit, quod mortalibus omnibus usu solet evenire, ut laudentur ab his, culpentur ab illis. Iuvabit, nisi omnia me fallunt, potiora cognoscere, quae vitio vertuntur pontifici, qui ab ipsis romanae curiae asseclis optimo cuique romanae sedis praesuli aequiparatur. Rem paucissimis expediemus. Primum, reprehensoribus non caruit *animus eius elatus* atque superbus, nimiumque ipsius studium *romanae sedis* dignitatem et auctoritatem non dicam mordicus defendendi, sed quoquo modo, pro re nata, adaugendi. Et profecto, quicquid etiam ad LEONIS purgationem adducant eius defensores, candidi tamen iudices non poterunt negare, iusto arrogantius adversus *Hilarium*, Arelatensem episcopum, doctrina et virtute ornatissimum, se gessisse eum in disceptatione, cui depositio *Celidonii*, et ordinatio alterius episcopi in *Projecti* locum, ab *Hilario* procuratae, ansam praebuerunt [6].

6) Caussam pro Hilario dixit Quesnellius in dissert. V. LEONIS operibus adiecta; LEONIS vero patrocinium post alios in se susceperunt editores nostri, Ballerinii, a partium studio non prorsus alieni, in animadversionibus illi dissertationi adiunctis. Cum vero altioris indaginis sit tota haec res, quam ut paucis absolvi queat, neque ad dogmaticam historiam, quam e LEONE illustrare conabimur, ex ista lite quicquam lucis accedat: controversiam

Neque magis excusari possunt tum legatorum, qui chalcedonensi concilio LEONIS nomine intererant, arrogantes conatus, tum LEONIS molimina, quibus illum concilii huius universalis canonem infringere ausus est, qui Constantinopolitano Patriarchae τα ἴσα πρεσβεῖα cum Romano episcopo, secundum post hunc locum, et ius Metropolitanos Ponticae, Asiaticae et Thracicae dioeceseon, et episcopos harum dioecesium, qui sunt inter barbaros, ordinandi, annuente *Marciano* Imperatore, decreverat. *Ut* primum illam legem rescivit homo nimium sibi suaeque sedi tribuens, coelum terramque miscuit, neque tantum apud se valere passus est, aut Imperatoris auctoritatem summa humanitate temperatam, aut orientalium preces, ut canonem, qui suo honori adversari videbatur, assensu suo firmaret. Ex qua impotenti LEONIS pertinacia non solum orta est per-

---

hanc intactam relinquimus. Sed si vel maxime dare hoc vellem, iure meritoque Hilarii molimininibus se opposuisse Nostrum; nihilo tamen secius eum vituperaverim, quod per totam fere concertationem quam plurima ediderit documenta animi, turbulentis et irae et superbiae affectibus commoti, quodque saepissime insanam paene prodiderit cupiditatem, ecclesiasticae suae potestatis fines ita dilatandi, ut caeteri episcopi omnes summo Romanorum antistitum imperio penitus subiicerentur. Licet autem speciem induat hominis, qui b. Petri tuetur dignitatem et proprio suo honori minus studet quam gloriae et auctoritati suae sedis, animi tamen insolentioris vituperationem non effugit.

petua quaedam cum *Anatolio* Constantinop. episc. simultas, et suspicio apud nonnullos de orthodoxia concilii, cuius decreta Romanus episcopus ex parte irrita declaraverat; verum etiam, quod maxime dolendum est, totius illius schismatis, quod non sine magno reipublicae christianae detrimento orientalem ecclesiam ab occidentali in perpetuum seiunxit, ex eo tempore fuerunt funesta auspicia. Sed non est, quod diutius his immoremur, cum remotiora sint a fine nobis proposito. Supersedemus itaque plura recensere eius molimina, quae sicut Rom. episcoporum potentiam mirifice auxerunt, ita luculenter de eius superbia animoque, christiano episcopo minus digno, testantur.

§. 5. Interim suppeditant tamen haec observationem in dogmatum christianorum historia pertractanda non prorsus inutilem. Quemadmodum nempe doctrinae puritas non statim infert morum sanctitatem, ita etiam ex moribus bene compositis non magis consequitur doctrinae castitas, quam ex vitae turpitudine doctrinae simul corruptio cogi potest. Constat enim inter omnes, quibus praeconceptae opiniones non omnem mentis aciem praestrinxerunt, haereticos (hoc nomine cum aliis utimur,) innumeris exsecrationibus ab orthodoxis oneratos, non raro adversarios suos, quantum ad vitae integritatem, longo post se intervallo reliquisse. Quodsi vero dogmatum veritatem iudicare liceret ex eorum moribus, qui primi ea clarius exposuerunt, accuratius definiverunt, studiosius propugnarunt, et secus sen-

tientes anathematizarunt, actum profecto esset de multis, quae pie adhuc retinuerunt, et ab adversariorum obiectionibus vindicarunt orthodoxi, dogmatibus. Quotus enim quisque est, qui multorum ὀρθοδοξωτατων et sanctissimorum, si placet, patrum vitam et res gestas sine indignatione legere possit, si modo mendaces laudes a veris discernere didicerit. In conciliis autem celeberrimis, ne iis quidem exceptis, quae fidem optime exposuerunt eiusque definitiones verissimas sanxerunt: qui, bone Deus, clamores, quae turbae, quae factiones, aemulationes, simultates, quae mutuae episcoporum accusationes, calumniae, fraudes, quae denique in eos, qui haereseos accusati erant, durities et violentia! Non eo animo haec a nobis prolata hic sunt, ut dogmatum ibi ab illis hominibus stabilitorum veritas in dubium vocetur; sed hoc tamen facile intelligitur, omnia et auctoritatis et antiquitatis praeiudicia sedulo esse abiicienda, nec quicquam ob patrum et conciliorum decreta, aut antiquitatis consensum esse credendum, quod ex Scriptura S. aliisque certis humanae cognitionis principiis derivari aut confirmari nequeat. Sed redeamus ad LEONEM.

§. 6. Sicut propter fastum, et incredibilem cupiditatem, romanae sedis dignitatem et iura amplificandi, reprehenditur a multis, ita etiam culpatur, quod *iniquum* se praebuerit *erga haereticos*. Duo sunt, quae vitio ei vertuntur; alterum est, quod errores atque scelera illis *affinxerit*, a quibus erant alienissimi, alterum, quod capitalia supplicia in haere-

ticos constituta suo assensu comprobaverit. Ad prius quod attinet, negari omnino non potest, eam fuisse olim plerorumque orthodoxorum iniquitatem, ut omnium, qui ab ipsis dissentiebant, famam variis obtrectationibus inquinarent, eosque et opinionum absurdissimarum et turpissimorum flagitiorum falso arguerent. Ostendemus infra multos a LEONE errores tam Nestorio quam Eutychi immerito tribui, qui non nisi per consequentias longe ductas ex hypothesibus, ab his hominibus assertis, elici possunt. Sed alia est caussa, ad quam animum hic intendimus.

Nempe doctissimus *Beausobrius* postquam in historia critica Manichaeismi tom. 2. pag. 725. seq. multum operae posuisset in evincenda falsitate horrendi illius criminis, quod Manichaeis a nonnullis obiicitur, qui eos spurcissimae obscoenitatis in eucharistiae celebratione reos esse, memoriae prodiderunt, inde a pagina 752 id agere incipit, ut LEONIS M. testimonia, quibus nefandi illius sceleris veritas probari videtur, eludat. Nimirum saepe commemorat LEO mysteria a Manichaeis celebrata, quae, cum summa in eis sit obscoenitas et turpitudo, non mereantur sacra nuncupari, sed exsecramenta, et quae verecunde ex parte debeant praetermitti, ne casti offendantur auditus; in Manichaeos tamquam in sentinam confluxisse statuit, quicquid in omnibus haeresibus sacrilegum sit atque blasphemum; legem huius sectae esse contendit mendacium, diabolum religionem, *sacrificium turpitudinem.*

Inprimis vero epist. 7, 1. 15, 16. et serm. 16, 4. narrat, Romae in frequenti episcoporum et presbyterorum consessu, cui interfuerit etiam pars senatus ac plebis, ipsorum, qui omne facinus perpetrarunt, ore et consona confessione reseratum esse illud quoque scelus, quod eloqui verecundum sit. Praesto fuisse in iudicio puellam, ut multum decennem, duas mulieres quae sceleri ipsam praeparaverint, adolescentem vitiatorem puellae, et episcopum detestandi criminis ordinatorem. Tanta autem diligentia *investigata* esse omnia, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relictum sit *ambiguum*, neque quemquam debere arbitrari, *dubiae famae* et incertis opinionibus creditum esse. *Beausobrius* ad infringendum hoc testimonium eo usque progreditur pag. 756. ut aperte LEONEM *fraudis* insimulet, pio hoc consilio commissae, ut Manichaeorum haeresis facilius exstirparetur. „Qui pourroit m'assu„rer, inquit, qu'il ne se servit point d'instrumens „préparez pour jouer une *comédie*, dont le but étoit „pieux. — Supposons, que LEON — se servit de „certaines personnes, qui, sûres de leur grace, s'a„voueroient coupables des crimes imputez aux Ma„nichéens, afin d'en faire rejaillir la peine sur la „secte [7])." LEONIS fama turpiori vix macula ad-

7) Nimio studio iniurias a Manichaeis repulsandi *Beausobrius* interdum abripi se patitur, ut iniurius ipse sit in catholicos Manichaeorum adversarios. Insigne huius rei documentum invenisse mihi videor, *histor. critiq. vol.* 1.

spergi poterat hac, quam consilii pietas eluere neutiquam potest. Negari quidem nequit, catholicos interdum artificiis haud admodum absimilibus usos esse adversus haereticos. Verum enim vero LEONEM MAGNUM ab hoc crimine absolvendum esse putamus. Nam I. non satis certum est, quod tamen *Beausobrius* occupat, loqui LEONEM de dete-

---

p. 256. „Pour refuter les superbes prétentions de Manichée (in Manete apparuisse Spiritum S. promissum a Christo paracletum) l'Evêque de Rome (LEO MAGNUS) allégue à son peuple, que *Manes est venu de cette partie du monde qui ne peut recevoir l'sprit de verité.* Voilà le S. Esprit bien borné, et les *Peuples d'Orient* bien disgraciez. Je n'aurois pas crû, qu'un Evêque, à qui l'on donne le fastueux titre de *Grand*, eût pû dire un si *impertinent* mot etc.“ Irrisionem profecto et contemtum commeruisset LEO, ni negasset orientales populos posse Spiritum S. accipere. Sed si placuisset Viro doctissimo LEONIS textum paulo attentius inspicere, benignius, nisi omnia me fallunt, de illis verbis iudicasset. Sic enim LEO: Serm. 76, 7. — „ille Spiritus veritatis quem *mundus* non accepit *impiorum*“ — (et paucis verbis interiectis) „Manichaeo ne hoc quidem tribui potest, quod vel exiguam divinae inspirationis acceperit portionem: quoniam et hic de ILLA *mundi* exstitit *parte,* quae non potest Spiritum veritatis accipere.“ Scilicet de mundo impiorum (κοσμῳ, ut Christus ipse dixit, Ioh. 14, 17.) ut etiam recte monent Ballerinii. Hic de *orientalibus* provinciis (cette partie du monde,) nec vola adparet nec vestigium. Quodsi itaque ne tanto quidem viro omnem omnino reprehensionem effugere contigerit, nos, si quid forte parum accurate exposuerimus, veniam eo facilius impetraturos esse speramus.

eta turpi ista eucharistiae distributione, cuius mentionem fecerant iam ante LEONEM *Clemens* hierosol. et *Augustinus*. Obscoenitates crepat LEO atque turpitudines. Audio. Sed plura sunt obscoenitatis genera. Quis vero credat, LEONEM sedulo sibi cavisse, ne unum verbulum adderet, quo indicaret, loqui se de ista in eucharistia turpitudine, saepe Manichaeis iam objecta, ab ipsis vero semper negata. Cur non profitetur publice, de hoc facinore certiorem iam se esse factum, per ipsorum Manichaeorum indubia testimonia? Nonne mirum est, LEONEM ita obscure semper loqui? „De sacris, inquit, eorum, quae apud illos tam obscoena sunt, quam nefanda, quod inquisitioni nostrae dominus manifestare voluit, *non tacemus*." serm. 16, 4. Jam ergo quilibet exspectat a LEONE aliquod istius rei manifestum indicium. At nihil profert praeter narrationem de puella ista decenni; de eo autem crimine, de quo *Beausobrius* agit, ne verbulum quidem. *Sacrificii etiam turpitudo*, cuius mentio ibidem fit, si vel maxime huc referatur, tamen non recensetur a LEONE inter ea, quae coram iudicibus a Manichaeis confessis patefacta sint. Commemoratis iis sceleribus, de quibus ex Manichaeorum confessione liquido constabat, utebatur forsitan orator *Augustini* auctoritate, aut incerta vulgi fama, ad exaggerandam coram plebe haereticorum infamiam, qui summa sua flagitia, diversa tamen ab iis de quibus nos disputamus, ipsi detexerant. II. Si etiam concedatur, miseros illos fassos esse hoc ipsum

de quo quaeritur facinus, tamen non est quod *a* LEONE *eos emtos* atque conductos esse dicamus. Ipsi enim Manichaei, ut alia praetereamus, non negaverunt, esse homines, qui nefarium istud scelus admittant; sed hoc tantum negarunt, *Manetis* eos esse asseclas. *Catharistas* eos esse, non Manichaeos, licet de Manichaeis ortos, constanter asseverarunt. vid. *Moshemii Commentar. de rebus Christ. ante Const. M.* p. 894. et quae ibi ex *Augustino de haeresibus* cap. 46. afferuntur. Quod si vero plures erant Manichaeorum sectae, id quod *Beausobrius* concedit, a perditissimis quibusdam hominibus, Manichaeorum nomen prae se ferentibus, omnem suspicionem amovere velle, non minus iniquum esse videtur, quam omnes omnium temporum ac locorum Manichaeos eorundem criminum reos agere velle. Lubenter *Beausobrio* largior, a dogmatibus omnium primis, quae stabilivit *Manes*, prorsus abhorrere eiusmodi impuritatem. Hoc vero non sufficit ad accusandum LEONEM de malitiosae Manichaeisque funestae fraudis crimine.

§. 7. Superest ut de *poenis*, quas, instigantibus aut saltim consentientibus clericis, ab *haereticis* sumunt Magistratus politici, aliquid dicamus. Solet enim LEO iis annumerari, qui istiusmodi comprobando crudelitatem, indoli christianae religionis prorsus contrariam, malo posteritati exemplo praeiverunt. Provocant, qui Nostrum hanc ob rem reprehendunt, praesertim ad eius epistolam 15, ubi de *Priscillianistis* agit et eos laudat principes, qui hanc-

haeresin ita detestati sunt, ut eius auctorem cum plerisque discipulis *legum publicarum ense* prosternerent. „Profuit, inquit, ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio, *cruentas refugit ultiones*, severis tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spiritale nonnumquam recurrit remedium, qui timet corporale supplicium.“ Ut melius intelligatur hic locus, observari debet, Priscillianistas a LEONE non solum *errorum* maxime impiorum, sed aliorum etiam *scelerum* accusari. Per eos enim, *contra humanam societatem*, curam honestatis atque pudoris omnem auferri, coniugiorum copulam solvi, simulque *divinum ius humanumque* subverti arbitratus est. Quorum scelerum si rei fuissent, gravi omnino poena affici meruissent. Si igitur de *iure* hic quaeratur, neque *facti* veritas, quae valde dubia est, indagetur, nihil fere erit in LEONIS sententia, quod graviori dignum sit reprehensione. Nihil enim fieri potest iustius, quam ut crimina, quae salvam esse humanam societatem non sinunt, a civili puniantur magistratu; Sacerdotes autem ipsi a cruentis abhorreant ultionibus. In eo autem longius a vero abest Noster, quod per legum severitatem haereticos vere ac salubriter corrigi, et ad fidei sanitatem reduci posse existimat. Nemo profecto, qui humanum ingenium considerare, et ad actiones hominum attendere solet, ac causas, quae ad agendum impellere possunt humanos animos, investigare didicit, umquam sibi persuadebit, solis comminationibus aut

poenis externis eo adigi posse homines, ut sincere ac sine fuco, et mente ipsa emendata, ad frugem redeant. Sed multo magis humani intellectus, quin ipsius quoque veritatis indoles obstat, quominus ad *veri intelligentiam* et erroris oppositi internam *convictionem* per vim ac poenae metum adducatur quisquam. Suppliciorum itaque utilitas ad solam spectat publicam quietem, quam qui nec docendo nec agendo infestat, neque leges, quibus publica salus nititur, migrat, illum, sive haereticus sit sive catholicus, ab omni poena civili immunem esse, ius fas est. Concordant maxima ex parte cum hoc de Priscillianistarum caussa iudicio, ea quae de Monachis Palaestinis scribit Noster epist. 118. qui, Eutychianis partibus faventes, post concilium chalcedonense civitates atque ecclesias seditionibus conturbarunt, et ne a caedibus quidem improbas manus abstinuerunt. Praecipit itaque LEO, *sacerdotalis* auctoritatis esse, monachis praedicandi aliquam contra fidem licentiam non praebere; ad *imperialem* vero pertinere potestatem, ut perturbatores ecclesiasticae *pacis* et *reipublicae* severius coerceantur, et inquieti disciplina revocentur; abstinendum tamen esse ab eorum *sanguine*. Bene sententiam hic dicit LEO. Eiusmodi enim homines civilibus subiacent poenis, non quatenus alias quam orthodoxi amplectuntur opiniones, sed quatenus leges civiles, rempublicam perturbando aut evertendo, migrant. Si qui vero publici religionis administri ea dogmata in vulgus spargant, quae ipsam quidem religionis

christianae arcem invadunt, publicae vero saluti nullum afferunt detrimentum, ii ab officio suo, ecclesiastico iure, recte depelluntur. Alibi denique passim epist. 84, 3. 109, 2. 156, 6. docet LEO, pertinaces haereticos (v. c. Eutychen et Eutychianos) exilio esse mulctandos atque e civitatibus expellendos, ne alii talium contagio polluantur; transferendos autem esse eos in ea loca, in quibus nullum cum sociis possint habere commercium, ut simpliciores ad sanitatem mentis, remoti a suis magistris, facilius revocentur. Haec vero cum ad principum iura potius pertineant, quam ad clericorum officia, non est quod addamus aliquid, nisi hoc, illos parum laudabiles fuisse quondam episcopos, qui delatores magis egerunt, quam publicos ministros ac suasores saluberrimae atque λογικης religionis, quae omnium hominum felicitatem intendit. Reprimenda quidem erat eorum audacia, qui factionibus comparatis publicam religionem temere impugnabant, sed his non adnumerandi nec in exilium eiiciendi erant, qui de aliqua eruditionis theologicae parte, ipsam religionis summam, quae animum a vitiis seiungit, et virtutis amorem adiuvat, aut parum aut omnino non attingente, paulo aliter quam οἱ πολλοι sentiebant. Quodsi vero LEO acerbius iusto nonnumquam contra haereticos declamaverit, eosque nimis duriter tractandos esse decreverit, tamen laudari haec eius moderatio debet, qua correctis ab haeresi, erroremque suum propria voce ac subscriptione condemnantibus, veniam statim concedi pacisque gra-

tiam tribui voluit; epist. 28, 6. 30, 2. 71. 79, 2. 80, 2. „ut ecclesia Dei nullum sentiat damnum, cum et resipiscens possit recipi, et *solus debeat error excludi.*" epist. 32.

Sectio II.

Quae proponit locos de scriptura sacra et traditione.

§. 8. Jam in rem, quam pertractandam nobis sumsimus, ingredientes, primo quid LEO de fidei principio senserit, et ex quibus fontibus scientiam de Deo rebusque divinis hauriendam esse putaverit, dispiciemus. Igitur quotiescunque aliqua in cognoscenda veritate impediamur obscuritate, non ad nosmetipsos, sed ad scripturae s. auctoritates nos recurrere, et ad promerendum intelligentiae lumen in sacrarum novi et veteris testamenti paginarum latitudine laborare nos iubet, ep. 28, 1. 2. quoniam ab evangelica apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo liceat dissidere ep. 82, 1. Sed eundem LEONEM traditionibus etiam, (quas hic non expresse scripturae addidit.) in rebus fidei non minus, quam in ecclesiasticae disciplinae oeconomia, magnam tribuere auctoritatem, postea videbimus. Quod itaque ad *scripturam sacram* attinet, veritas eius et divina origo ubique pro concessis atque probatis a LEONE ponuntur. Formulis hac in re utitur variis, quarum praecipuae hae fere sunt: indubitatam esse auctoritatem sacrarum narrationum; s. 52, 1. Sufficere

verae fidei scire quis doceat in sacris libris ep. 164, 2. Docere autem ibi Spiritum s. ep. 15. praef. firmissime nos debere credere, in divinis libris nullum esse mendacium, etiam si nondum liquide aliquod valeamus scripturarum capere sacramentum; serm. 66, 1. Scripturam denique sacram *divinitus esse inspiratam* s. 34, 4. 72, 1. 76, 7. Ex postrema autem, quam attuli, locutione haud satis certo efficitur, LEONEM omnes istas propositiones, quas nos sub hac formula (quam non ex romano stilo ecclesiastico haurire solemus,) cogitatione complecti consuevimus, animo et mente concepisse. Saepissime enim de conciliis, de constitutionibus patrum, de imperatoribus, de se loquens, *divinae inspirationis* mentionem facit. Sic Patres illos 318. qui Nicaeae convenisse dicuntur, divinitus *inspiratos* ep. 114, 2. canonesque ab his, *Spiritu Dei* instruente, conditos, nulla in parte esse solubiles ep. 104. 3. 106, 2. pronuntiat. De *chalcedonensi* synodo similia profert. ep. 145, 1. *Leoni imperatori*, per inhabitantem Spiritum Dei satis instructo, negat ullum errorem posse illudere ep. 162, 3. Eundem imperatorem putat ex Dei inspiratione ratihabitionem concilii chalcedonensis decrevisse ep. 148. *Pulcheriae* etiam, Augustae, religiosam a Deo inspiratam laudat sollicitudinem ep. 84, 1. Ipse noster Pontifex epistolam suam 16. Deo inspirante scriptam esse testatur; Sermonem autem ad populum de incarnatione Verbi habiturus palam profitetur, se non de facultate sua confidere, sed de inspiratione divina praesumere, ut aliquid, quod au-

dientes aedificet, promere possit s. 25. In hisce sententiis omnibus *inspiratio* accipitur significatu plane diverso, ab eo longe augustiori, qui in theologorum scholis cum *θεοπνευστιας* vocabulo hodie coniungitur. Cum vero neque huius phraseos LEONINAE, *Scriptura sacra est divinitus inspirata*, vera vis ac potestas satis accurate possit difiniri, quia plures ei significatus subiici possunt; neque e caeteris, quas de divina sacrorum librorum origine atque auctoritate protuli, sententiis certi quid colligi queat, praeterquam quod scriptura fidei sit regula hominibus a Deo praescripta, eaque certissima, cui assensum, etiam si rerum rationes ac modum non perspiciant [8]), praebere debeant firmissimum, a qua vel minimum recedere nefas sit: ex ipsius LEONIS verbis atque sententiis diiudicari satis nequit, utrum omnes dogmaticas istas atque magnificas iam habuerit de inspiratione verborum aeque ac rerum ἐννοιας,

8) De abusu disputationum atque rhetoricationum in rebus fidei, egregius est LEONIS locus, ep. 164, 2. ubi statuit Christi evangelium huiusmodi artibus non indigere. Quae ibi praecipiuntur in se spectata recte quiden sunt dicta; sed bonis argumentis LEO malam defendit caussam. Cogit enim ex illis, non licere, *cum haereticis disputare, neque retractare ea*, quae semel concilii alicuius auctoritate stabilita sunt. Verum satius forte fuerat, haereticos a LEONE etc. prorsus non curari, quam auctoritatibus humanis, decretis, mandatisque tam amplum locum factum, ad eos, si placet, corrigendos, qui non nisi argumentis atque rationibus ad veritatis agnitionem poterant liberaliter adduci.

quas in recentiorum theologorum libris fere omnibus copiose invenimus expositas; an vero cum seculorum crescente numero, notionum etiam sententiarumque theologicarum ambitus in hoc fidei capite, aeque atque in aliis, fuerit auctus.

§. 9. Evicta sacrarum litterarum divina auctoritate, nihil acriorem diligentioremque curam desiderat, quam ut ii libri, quos canonicos vocare solent, ab *apocryphis* recte discernantur, ne humani ingenii foetus, scriptis divinitus inspiratis admisceantur. *Manichaei* in primis atque *Priscillianistae* LEONIS tempore multis scriptionibus utebantur, quae vel apostolorum nomen prae se ferebant, vel eorum doctrinam et historiam copiosius continere dicebantur, quae vero a Catholicis dudum tamquam spuriae erant reiectae. *Turibius*, Asturicensis, in epistola ad *Idacium* et *Ceponium* 9), *actus* memorat *Thomae* et *Andreae* et *Johannis*, itemque *memoriam apostolorum.* Ad hos maxime libros respicere videtur LEO, cum epist. 15, 15. ad eundem *Turibium* apocryphas scriptiones non solum interdicendas, sed etiam penitus auferendas esse atque ignibus concremandas, decer-

9) Ediderunt eam et *Quesnellius* et *Ballerinii*, post LEONIS epistolam 15. Nonnulla de libris apocryphis in ea perperam narrari, monuit iam *Beausobrius in hist. critiq. du Manichée tom. I.* p. 402. 415. qui etiam ex testimoniis *Turibii*, atque auctoris *Synopseos*, quae exstat inter *Athanasii* opera, recte docet, non omnes narrationes de Christi Apostolorumque rebus gestis, in huiusmodi scriptionibus occurrentes, falsas esse aut plane confictas.

nit. Non quidem negat esse in iis nonnulla, quae speciem habeant pietatis, attamen vel haec nunquam vacua esse venenis existimat; cum per fabularum illecebras hoc latenter operentur, ut rerum mirabilium narratione seductos laqueis cuiuscunque erroris involvant. Non plane assentior LEONI, cum s. 34, 4. consilium, quo huius generis scripta apostolorum aliorumque celeberrimorum virorum nominibus conficta sunt, illud fuisse putat, ut veritatis adversarii errorum suorum commenta iis munire, hominesque simplices facilius decipere possent. Certe quidem ex his libris, quos ad hoc usque tempus studiosissime occultatos fuisse dicebant eorum admiratores, haurire se iactabant reconditam caeterisque mortalibus ignotam sapientiam [10]): quibus illecebris quam plurimi, ut fit, allici se patiebantur, ut ad impostorum partes transirent. Sed de nonnullis tamen apocryphis libris paulo aliter sentiendum est, cum vix de omnibus affirmari possit, haereticorum malitiae originem eos debere [11]). Nimirum multa sine dubio Christi

10) Vide laudatam epist. *Turibii* cap. 4. et *Origenis* homil. 1. in Lucam, qui testatur, legisse se apocrypha evangelia; „ne quid ignorare videremur propter eos, qui se putant aliquid scire, si ista cognoverint. „ edit. de la Rue tom. 3. p. 933.

11) Ad hoc genus pertinere *Beausobrius* l. c. p. 453. putavit *evangelium secundum hebraeos*, illud *secundum aegyptios* (quod tamen *Hieronymus* in *prooemio commentarii super Matth.* iis accenset evangeliis, quae a diversis auctoribus edita, diversarum haereseon fuere principia) et

miracula atque dicta ii, qui praesentes tum fuerunt, memoria retinebant. Haec vario consilio a nonnullis collecta et litteris utcunque mandata sunt; idque non ita multo post Christi discessum e terris iam factum esse, non solum a veri specie non abhorret, verum etiam e *Lucae* I, 1. colligi quodammodo potest [12]). Additum est postea apostoli aut viri alicuius apostolici nomen, ut maior istarum narratio-

---

praedicationem Petri, quas scriptiones non *malas* quidem et *haereticas fuisse*, atiusta tamen auctoritate caruisse contendit. *His Grabius in spicilegio Patr. sec. I.* p. 72. etiam *apocalypsin Petri* annumerat, quam scriptionem *Sozomeni* adhuc tempore in quibusdam ecclesiis Palaestinae die Parasceves lectam esse, docet e Sozom. lib. 7. c. 19. Exaratae fuerunt, ut *Hieronymi* l. c. verbis utar, ab iis hominibus, qui magis ordinare narrationem, quam historiae texere veritatem *sine spiritu et gratia Dei* conati sunt. Prorsus singulare fuit illius presbyteri consilium, de quo *Tertullianus* de *baptismo* c. 17. narrat, composuisse eum sub Pauli nomine *Acta Pauli et Theclae*, fraudis autem convictum respondisse, *id se amore Pauli fecisse.*

12) *Hieronymus* iam ista Lucae verba ita intellexit in *prooem. comm. in Matth.* et ante eum *Origenes* in *hom.* I. *in Lucam*, qui, „*conati sunt*, „inquit, „latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus S. „ad scribenda evangelia prosilierunt.“ Pertinent etiam ad hanc caussam, quae *Origenes* in *Prooem. in canticum* de apocryphis observavit; ubi pronunciat, multa vel ab apostolis vel ab evangelistis exempla esse prolata, quae evidenter *ex apocryphis* (vet. testam.) desumta sint. Eos enim Spiritu S. repletos scivisse, quid assumendum ex illis sit scripturis, quid refutandum. tom. 3. p. 36.

num sit ad alios auctoritas. Non omnes autem primitus statim eo animo scriptae sunt, ut dogmatum quorundam falsorum probatio inde peti posset, quanquam mox deinde ad hos accommodatae sint usus. Ii scilicet inter Christianos, qui a caeteris in re ad religionem pertinente dissentiebant, hos libellos, si hypothesi adamatae favere videbantur, avide, ut sunt homines, arripiebant; alii, ut infirmarum alias sententiarum aliquod haberent praesidium, ea addebant, quae suae caussae utilia putabant, istis quae minus placebant mutatis aut plane omissis [13]); alii denique, caeteris scelestiores, eiusmodi libros ipsi conscribere et sub apostolorum nomine publicare ausi, iisque ad decipiendos alliciendosque homines abusi sunt; quod in primis a coryphaeis sectarum recens ortarum fa-

13) Sic ortae sunt procul dubio duae illae *Actuum Andreae* recensiones, quarum alteram omnes repudiant, alteram vero *Bellarminus* et *Natalis Alexander* cum aliis quibusdam pontificiis defendunt. Vid. *Beausobre* I. c. p. 400. Utra genuina, utra adulterata sit, id ad hanc causam nullius est momenti, cum illud tantum affirmem, utramlibet esse a quadam Christianorum parte ad confirmandas suas opiniones immutatam. Forsitan etiam duplex illa *Ignatianarum epistolarum* recensio invenustis huiusmodi studiis suam debet originem. Quid? si utraque, quae nobis supereat, recensio dicatur paraphrasis esse epistolarum *Ignatii* genuinarum, plane deperditarum? Non desunt enim in utraque interpolationum ac immutationum vestigia. A diversis Christianorum sectis, quarum altera tamen multo audacior fuit altera, concinnatae videntur diversae editiones.

ctum esse existimo. Sed fuisse etiam e catholicorum partibus, qui tales fraudes (pias vocant) admitterent, res ipsa loquitur. Unde enim *canones*, unde *constitutiones Apostolorum?* etc.

§. 10. Alius sed valde similis criminis circa Scripturam S. commissi accusantur a LEONE iidem, de quibus hactenus egimus, haeretici. „*Manichaei*, inquit, ipsas evangelicas et apostolicas paginas, quaedam auferendo et quaedam inserendo, vitiarunt.“ S. 34, 4. Et de *Priscillianistis* Ep. 15, 15. idem se scribit veracium testium relatione compperisse, et multos *corruptissimos* eorum *codices*, qui *canonici* titularentur, invenisse. „Unde si quis, ait, episcoporum sub canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui *Priscilliani* adulterina sunt emendatione vitiati, haereticum se noverit iudicandum.“ Laudanda est omnino LEONIS cura, qua ut eiusmodi codices e christianorum manibus eriperentur, prospexit; si quidem ista omnis caussa bona fide sua et veritate non caret. Nam, quod ad Manichaeos attinet, non desunt viri eximia eruditione conspicui, qui negent, ipsum Scripturae textum ab his haereticis esse corruptum. *I. A. Fabricius* in *cod. apocr. N. T. vol. I.* p. 306.* ad *Photii* testimonium provocat, et LEONIS verba, quae laudavimus, intelligi vult de libris apocryphis sub apostolorum nomine scriptis, quos a Manichaeis lectos fuisse satis constat. Sed dubito fore multos, qui huic interpretationi, quae vim inferre videtur toti orationis seriei, calculum suum adiiciant. LEO enim ita

ratiocinatur: quia divinae pietatis magnum sacramentum *omnibus sanctarum scripturarum testificationibus* est nuntiatum, (ad 1 Tim. 3, 16. videtur alludere,) quia *universa* eis obsistunt, et quia V. T. aeque ac *novum* eorum errores confutat: ideo 1) V. T. respuunt 2) N. T. violarunt 3) et apocryphos libros sibi confinxerunt. Etiam *Beausobre* in *hist. crit. vol. I.* p. 341. „Les Manichéens, ait, soutenoient, „que les livres du N. T. avoient été alterez, mais „ils ne les alteroient pas.“ Quodsi autem verum est, credidisse Manichaeos, Orthodoxorum codices fuisse vitiatos[14]), incredibile non est, curasse eos, ut corruptis libris medica manus adhibeatur. Quum vero documenta historica LEONE antiquiora, quantum ego sciam, afferri possint nulla, quae rem *veri similem* efficiant certam: lectori iudicium est relinquendum; qui tamen monendus est 1) ut orientales atque antiquiores Manichaeos probe distinguat ab occidentalibus et posterioribus. 2) Ut ne tantas existimet a Manichaeis factas Scripturae interpolationes, quantis Marcion aliique eam pervertisse dicuntur. 3) Ne ob criminis atrocitatem arbitretur esse illud incredibile. Certe ex orthodoxis etiam nonnulli libros sacros emendare, hoc est corrumpere, ausi sunt, iam primis post Christum seculis. Neque coniuncta

---

14) Dubitari de hac re nequit, si perpendantur *Fausti* professiones, quae leguntur apud *Augustinum contra Faustum*, passim, v. c. libr. 32.

est necessario et semper sacrarum litterarum talis corruptio cum animi impietate maloque consilio.

§. 11. De Scripturis divinis, inquit LEO, non licet aliter sapere, quam b. apostoli et patres nostri didicerunt atque docuerunt. Ep. 82. 1. Quodsi vero penes *traditionem* arbitrium est et ius et norma Scripturam interpretandi, neque lectoribus proprius usus atque liberale exercitium ingenii conceditur, sed ista librorum sacrorum explanatio, quae superiorum temporum indoli bene conveniebat, nunquam non quasi sacrosancta reverenter est retinenda: statuendum etiam erit, per eandem patrum παράδοσιν omnia Christianae religionis dogmata ita aeternis legibus esse definita, ut nobis, qui tempore sumus posteriores, nihil supersit, quam ut fideliter memoriae tradamus maiorum nostrorum de Deo rebusque divinis praecepta. Vehementer placuisse LEONI eiusmodi domestica decreta, vel ex eo facile colligi potest, quod his assertionibus sedis Romanae auctoritas mirifice et confirmetur et augeatur [15]). Nam si vera

---

15) Iam in aliorum, antiquiorum etiam, Patrum scriptis reperimus hanc traditionum venerationem. Ipse *Origenes* in praefat. librorum *de principiis:* Servetur, inquit, ecclesiastica praedicatio (a qua tamen distinguit ea, in quibus amatores sapientiae habere possunt, in quo ingenii sui fructum ostendant,) per successionis ordinem ab apostolis tradita, et usque ad praesens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione. *Oper. Tom. I. p.* 47. Vide praeterea *Irenaeum contra haereses libr.* 3. cap. 2. 3. 4. cuius sententias

sunt, quae LEO affirmat, S. 4, 2. quod Romanam sedem ipse Apostolorum princeps fundaverit Petrus, et quod huic viro tale potentiae consortium a divina dignatione concessum sit, ut quicquid cum eo caeteris Apostolis commune est, nunquam nisi per ipsum et cum ipsius participatione illis conferatur, multa autem ille acceperit solus (quae omnia nituntur satis recenti occidentalium traditione): dubitare profecto non licebit, quin illa traditio, quam Romana ecclesia a suo conditore accepit, eo magis sit aliarum ecclesiarum παραδοσεσι anteponenda [16]),

---

de traditione collectas et moleste exaggeratas invenies in edit. *Massueti* dissert. praevia 3. artic. 3. pag. CXIII. Conferendus etiam est *Tertullianus* tum in libro *de corona* c. 3. et 4. in quo tamen magis de ritibus sacris, quam de ipsa doctrina christiana agit; tum in primis in libro de *praescriptionibus* passim, ubi non solum traditioni quae fit per litteras, sed ei etiam patrocinatur, quae *viva*, ut aiunt, *voce* ad posteros propagatur. conf. cap. 21. Patet vero ex his aliisque scriptoribus, antiquiores etiam Patres non tantum in rebus quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, sed etiam in *causis fidei* ad traditionem (suorum doctorum) provocasse; cum ipsa liberalis interpretationis, praecipue N. T., et christianae cognitionis alia adiumenta locum nondum haberent.

16) Eximie *Irenaeus adv. haer.* l. 3. c. 3. maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae traditionem laudat. Ad hanc, ait, ecclesiam, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae

quo magis caput ignobilioribus membris, et fons limpidissimus rivulis praestat ex ipso deductis. Traditionis itaque nomen interponens, suae sedis lau-

---

est ab apostolis, traditio. p. 175. Coniecit S. V. PRAESES (vol. 2. polem. Baumgart. introduct. pag. 97.) ex hoc aliisque similibus locis, non *Irenaeum* illum Lugdunensium seculo secundo episcopum, sed alium seriorem Romano episcopo addictum hominem, *illorum* librorum, qui sub *Irenaei* nomine feruntur, auctorem aut interpolatorem esse; quod nos quidem hoc loco in medio relinquimus. Sed convertemus tamen hanc observationem in rem nostram. Nempe si *Irenaeus* talia iam carmina de romanae sedis praerogativis proferat, Romani certe praesules ab illis non abhorruisse putandi sunt: sin vero libri isti ex impotenti in episcopum Rom. studio subornati aut interpolati sint, liquido apparet, quid sit quod Romani, et in primis LEO M. traditionis auctoritatem ita vehementer urgeant. Hoc scilicet nomine quicquid ipsis lubebat hominibus obtrudere poterant. Quid? quod tota illa fabula de Petro, primo Romanorum episcopo, nullo nitatur, nisi traditionis fundamento. Unum addimus, quod S. V. PRAESIDIS coniecturae non nihil roboris addere videtur. Episcopi *Mediolanenses* LEONI scribunt: (epistola nobis 97, 2. 3.) invenisse se eius epistolam ad Flavianum omnibus sensibus convenientem, quos b. Ambrosius (*mediolanensis*) de incarnationis dominicae mysterio suis libris, Spiritu S. excitatus, inseruerit. „Quia (aiunt) omnia maiorum fidei, *nobis* antiquitus traditae, tota puritate conveniunt — *placuit* omnibus (in Synodo congregatis) ut eos, qui impie de incarnatione sentiunt, — suo etiam consensu, auctoritatis vestrae (LEONIS) praecedente sententia, damnatione congrua persequerentur." Tantum abest, ut traditionem suam ad Romanorum trutinam pensaverint, ut potius celeberrimam illam LEONIS

sunt, quae LEO affirmat, S. 4, 2. quod Romanam sedem ipse Apostolorum princeps fundaverit Petrus, et quod huic viro tale potentiae consortium a divina dignatione concessum sit, ut quicquid cum eo caeteris Apostolis commune est, nunquam nisi per ipsum et cum ipsius participatione illis conferatur, multa autem ille acceperit solus (quae omnia nituntur satis recenti occidentalium traditione): dubitare profecto non licebit, quin illa traditio, quam Romana ecclesia a suo conditore accepit, eo magis sit aliarum ecclesiarum παραδοσεσι anteponenda'[16],

---

de traditione collectas et moleste exaggeratas invenies in edit. *Massueti* dissert. praevia 3. artic. 3. pag. CXIII. Conferendus etiam est *Tertullianus* tum in libro *de corona* c. 3. et 4. in quo tamen magis de ritibus sacris, quam de ipsa doctrina christiana agit; tum in primis in libro de *praescriptionibus* passim, ubi non solum traditioni quae fit per litteras, sed ei etiam patrocinatur, quae *viva*, ut aiunt, *voce* ad posteros propagatur. conf. cap. 21. Patet vero ex his aliisque scriptoribus, antiquiores etiam Patres non tantum in rebus quae ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, sed etiam in *causis fidei* ad traditionem (suorum doctorum) provocasse: cum ipsa liberalis interpretationis, praecipue N. T., et christianae cognitionis alia adiumenta locum nondum haberent.

16) Eximie *Irenaeus adv. haer.* l. 3. c. 3. maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae traditionem laudat. Ad hanc, ait, ecclesi- propter potiorem principalitatem necesse est omn[illegible] venire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undi[illegible] qua semper ab his, qui sunt undique, con[illegible]

et ad soliditatem fidei pertinentes [17]), prava cuiusquam interpretatione violentur." Denique Ep. 89. „catholicam fidem, instruente nos Spiritu Dei, PER sanctos Patres A beatis apostolis didicimus" coll. Ep. 94. Monet porro, sacrilegium esse, si a traditionibus Patrum vel in exiguo aliquo devietur, Ep. 157, 3. eumque impium esse haereticum, qui ab iis discrepet; Ep. 165, 10. in eadem enim, quae ab omnibus tenetur, credulitate persistendum, Ep. 27. nullam autem penitus disputationem cuiusquam retractationis esse admittendam. Ep. 94. Quia vero Eutychiani LEONIS praedicationem a doctrina atque intelligentia patrum deviare iactitabant, Ep. 109, 3. nihil ei magis curae cordique fuit, quam ut suspicionem istam a se amoveret, ostenderetque, se nihil aliud praedicare, quam quod SS. Patres toto orbe docuerint. Ep. 165, 10. 115, 1. 131, 1. Hoc ut omnibus eo certius persuaderet, collegit ea testimonia Patrum, quae a nonnullis epistolae 28 ad Flavianum, ab aliis vero epistolae 165 ad *Leonem* Imp. subiiciuntur.

Haec quae ex LEONE de ista causa excerpsi, sufficere possunt ad mentem ipsius perspiciendam. Plenius autem ista refutare, nec consilium meum permittit, nec libelli modus. Addam potius alias quasdam observationes de toto isto, quod iam tractamus, argumento.

---

17) Αἱ διατυπώσεις των προσκυνητων πατέρων, αἳ θεόθεν την ἰσχὺν ἔχουσαι, και εἰς την τελειοτητα της πίστεως ἀνηκουσαι

§. 12. Quemadmodum supra §. 9. non omnes apocryphorum librorum narrationes confictas esse ostendi, sic etiam non omnia decreta, quae apostolicarum traditionum nomine venditabantur, falsa et serius conficta mihi videntur. Datur *traditio vere apostolica*, quae ex illis apostolorum collocutionibus, quas coram instituerunt, suam duxit originem. Nam primi isti religionis christianae administri aut nulla unquam verba fecisse ad populum, nullaque cum familiaribus et discipulis suis instituisse dicendi sunt colloquia, praeter ea, quae in Actibus Apostolorum et eorum epistolis leguntur; aut profecto illud concedi debet, quod Apostoli in sermonibus et quotidianis et publicis multa uberius exposuerint, quae quasi primoribus tantum labris in scriptis suis attigerant. Quis vero dubitet, quin tantorum virorum discipuli haec, quae a magistris acceperant, memoria saepe repetierint, et ad alios propagaverint, praesertim cum ipsi etiam crebros de religione christiana sermones habere, doctrinamque apostolicam plenius exponere deberent, ubi nihil eos poterat magis commendare, quam magistrorum mentio saepius injecta[18]. Quae cum ita sint, negari non potest, mul-

---

18) Pluribus posset exemplis confirmari, Patres, catholicos etiam, saepe provocasse ad apostolorum et Christi ipsius sententias ἀγράφους, de quarum indole, utrum genuinae sint nec ne, difficile interdum nunc est iudicium. Etsi vero fabulae nonnunquam nobis obtrudantur, quorsum v. c. narrationem *Irenaei* L. 5. C. 33. de millenario Christi

tas olim pervulgatas fuisse apostolorum veras sententias, quas viri divinitus inspirati, cum ad aeternam beatitudinem consequendam scitu omnes necessariae non essent, nunquam litteris mandaverunt. Haecce carmina vel ad ecclesiasticam *disciplinam* pertinebant vel ad *fidei* et christianae doctrinae modum[19]). De

---

in terris regno refero; nihil tamen obstat, quo minus verae ad posteros eodem modo propagatae *sint istorum virorum* sententiae, cum dubitari nequeat, multa ab iis et dicta et *facta esse*, quae litteris non sunt mandata. Extant in *Grabii* spicil. patr. Sec. I. pag. 12. et in *Fabricii* codice apocr. N. T. tom. I. pag. 321. multa Christi dicta ἄγραφα, ex codicibus nonnullis N. T. et ex antiquissimorum Patrum scriptis collecta, quae nemo facile omnia reiiciet. Sed quid multa? Paulus, qui Christum in terris ne ipse quidem audierat, usus est Act. 20, 35. sententia Salvatoris, quam nullus habet evangelistarum. Et Iohannes cap. 21, 25. testatur, multa alia, praeter ea quae ipse scripserit, fecisse (cur non etiam dixisse?) Christum. Nihil igitur ex falsis quibusdam traditionibus colligi potest, praeter hoc, quod circumspectione opus sit et examine, antequam eiusmodi carmina pro veris et genuinis habeantur. Quamobrem non magis mihi obiici possunt, quam illa, de qua mox agam, traditionum contrarietas, qua factum est, ut ab utrisque saepe partibus in causae suae patrocinium allegata sint apostolorum decreta non scripta.

19) Addi solet *traditio exegetica*, ex maiorum placitis de locorum Scripturae S. difficiliorum interpretatione praecipiens. Sed nobis non veri simile videtur, *ipsos apostolos* tales iam praeivisse exegeses, cum et ordinariorum doctorum hoc potius esset munus, et evangelica atque apostolica scripta eo tempore in nullorum fere manibus essent,

illis certum est, ea non ubique eadem fuisse, quia pro varia hominum locorumque conditione variam

---

quam quibus ab auctoribus primitus destinata fuerant; his autem hominibus, omnium circumstantiarum gnaris, vix difficilis esse potuerit eorum explicatio. Si vel maxime quorundam Scripturae S. locorum aliqua expositio, ab apostolis coram instituta, ad posteros sit transmissa, ea tota ad Vetus Testamentum pertinet. Quo vero consilio ad V. T. testimonia provocaverint interdum Christus et apostoli, e novi Test. libris patet. Operam dabant Iudaeis, quos adhibitis V. T. auctoritatibus ad meliorem religionem, quam primis lineis in hebraicis iam libris designatam esse ostendebant, manu quasi ducebant. Novi test. libros interpretari presbyterorum potissimum erat, qui pro varia et ingenii et consilii ratione *variae*, interdum satis ineptae, exegeseos auctores erant, donec catholici, Conciliorum adversus haereticos celebratorum atque symbolorum ibi conditorum occasione, arctiorem inirent societatem. Cum in his Conciliis, a quibus ne Spiritum S. quidem abesse iactitabant, multa Scripturae loca communi consensu adversariis opponerentur, eodemque tempore maiorum sedium, in primis Romanae, accresceret dignitas, factum est, ut sequenti tempore plerique fere in eadem concinerent dicti alicuius explicatione, a Patribus accepta posterisque tradenda, ob eximiam tamen linguarum ignorantiam aliquantum semper in peius mutata. Sed illud merito optimus quisque miretur, vel post litterarum instaurationem non defuisse homines, qui licet alta voce contra traditionis auctoritatem declamare soleant, nonnullas tamen interpretationes, praeter antiquitatem simul SS. Patrum ignorantiam spirantes, fideliter retinuerint. Illud sane extra dubitationis aleam positum est, omnem istam παραδοσιν exegeticam nec certum habere auctorem nec modum.

apostoli cultus externi formam observandam praeceperunt; unde antiquissimis iam temporibus diversa in ecclesiis erat disciplinae ratio. De his autem, quae ad fidem pertinent, maior esse videtur difficultas. Nam multis vix placere me puto, si diversitatis, quae inde a primis seculis in his etiam rebus observatur, causam in varietate quadam traditionis apostolicae *verae*, (de hac enim loquor) adeoque in diversis quodammodo apostolorum sententiis effatisque quaerendam esse dicam. Quamvis enim neque semper theopneustiae dono gavisi sint apostoli, neque per illud auferatur ea, quae in omni natura finita necessario ponenda est, varietas, qua ut quisque acriori subactiorique ingenio est, ita caeteros minus exercitatos et percipiendi celeritate, et judicandi soliditate et ratiocinandi subtilitate antecellit: timeo tamen, ut desint omnino, qui omnem sic inspirationis divinae auctoritatem infringi clament. Aliam insistam viam, qua ostendam, quomodo traditiones vere apostolicae potuerint tantae opinionum varietati ansam praebere; ut v. c. iudaizantes Christiani ad Petri auctoritatem continuo provocarent; gnostici vero his Pauli doctrinam opponerent; utrique vero suam opinandi rationem apostoli alicuius exemplo comprobari putarent.

Certum est, eos, qui primi christianae religioni se addixerunt, homines fuisse adultos, innumeris imbutos opinionibus atque ἐννοίαις, quae vel ex veteris religionis consuetudine, vel ex philosophandi exercitatione, vel ex toto vivendi genere altius men-

tibus inhaerebant, quam ut penitus ex illis potuerint evelli. Hinc semper aliquid religioni christianae omni, hinc etiam non parum traditionibus apostolorum admistum est. Cum vero hoc, quod addebatur, non haberet stabilem atque certam aliquam rationem, necessario etiam ipsarum traditionum interpretationes, quae ad ἐννοιας istas accommodabantur, a se invicem discreparunt. Accedebat, quod Apostoli ubique locorum non ipsi adesse potuerint, et quod haud contemnendus ecclesiarum numerus traditiones non nisi interventu multarum aliarum ecclesiarum, quarum unaquaeque ex sua cogitandi consuetudine aliquid intulerat, acceperit. Hinc istarum praecipue urbium traditionibus, tanquam omnium minime interpolatis, maximus habebatur honor, quarum sedes episcopales ab ipsis apostolis erant fundatae. Iam si illud addas, quod nonnulli doctores, etiam ex iis, quos Catholicos fuisse omnes agnoscunt, propria quaedam secuti sint studia atque instituta, cum v. c. alii Judaeis e V. T. alii gentilibus e philosophorum scriptis, alii denique haereticis ex traditione paterna se opposuerint [20]; si

20) Gregorius Nyssenus in λογῳ κατηχητικῳ in praef. edit. lat. Frontonis Ducaei, Parisiis 1605. pag. 411. aperte profitetur, alium διδασκαλιας τροπον convenire Iudaeis, alium graecis, alium Anomoeis, Manichaeis etc. omnibus tribuere aliquid debere sapientem doctorem. Praeclare haec dicta sunt, et exemplo, quod apostoli praeiverunt, convenienter.

addas, quod episcopi aemula contentione de sedium suarum dignitate concertarint et traditionibus ecclesiarum suarum ad praerogativas varias obtinendas abusi sint; quod praeterea ecclesiae nondum arctiori communionis quasi necessariae vinculo iunctae fuerint; et quod denique primis istis temporibus, cum plurimae ecclesiae vix unum aut alterum novi Test. librum haberent, ad institutionem oralem maxime recurrere debuerint: facile videbis, unde inter ipsos etiam Catholicos ortae sint istae traditionum immutationes. De haereticis enim sermo nobis non est. Cum itaque ne catholicae quidem ecclesiae stabilis sit atque firma traditio, et tam variae immutationum causae extiterint; neque argumentis exceptione maioribus possit probari, ullam esse ecclesiam, quae acceptam ab ipsis apostolis traditionem incontaminatam servaverit: nulla plane potest esse universae istius παραδοσεως ad nos auctoritas.

§. 13. Hoc autem non obstat, quominus affirmare ausim, vix ulla re externum ecclesiasticae societatis vinculum validius contineri, quam traditionis cuiusdam genere. Nam de eo non dubitari potest, quin opus sit ad populum, ex doctoris ore pendentem, certa quadam publicae doctrinae forma, quae si cuiuslibet doctoris arbitrio subiacere permittatur, neque certo sit definita atque praescripta, numquam homines, saltim ut nunc sunt, in societatem aliquam se cogi patientur. Quamvis itaque neque exercitatiores vetentur liberae conscien-

tiae iure uti in cogitandis rerum christianarum λόγοις iisque connectendis, neque doctores publici cogi possint, ut per omnia secula unam atque eandem omnes sententiam, iisdem verbis concipiendam iisdemque argumentis semper confirmandam, consecrent: illud tamen vel ex historia christiana certum est, maiorem istum coetum, si uno eodemque tempore varius sit publicus doctrinae modus, statim in plures partes minores secedere, generaliori vinculo sublato. Ad has itaque discordias vitandas non minus quam ad dissentientes haereticosque dignoscendos et a docendi munere arcendos, opus est quasi trutina quadam, ad quam non modo examinentur ii, qui sacro coetui praeficiuntur, ne doctoris provinciam nanciscantur inquieti homines, qui a publice receptis opinionibus abhorrentes facile turbas ciere possint; sed ad quam etiam ipsi sacrarum rerum publici adiutores ea expendere debeant, quae plebi proponunt, ne vel ipsi imprudentes discordiarum semina spargant. Sed scriptura S, dicis, sola est fidei regula. Audio. Certe nihil licet quicquam credere, quod cum ea non consentiat, nec docere quod ab ea discrepet, cum quicquid de Deo rebusque divinis statuendum est, id omne vel ex ipsa totum hauriri, vel ad eius normam curate debeat examinari. Sed prior recurrit difficultas. Haeretici aeque ac doctrinae purioris assertores ad Scripturae S. decreta provocant; et cum scriptura, quamquam in exponendis rebus ad salutem cognitu necessariis sat plana omnibus sit atque perspicua,

passim tamen aut secum ipsa dissentire, aut plures sensus admittere videatur, nec semper liqueat, quis tamquam unice verus sit amplectendus: utrique suam sententiam vel plane e Scriptura S. sumtam, vel cum ea consentientem esse contendunt. Ad eos itaque, quos constitui, fines (externos) necessaria est, ut dixi, norma aliqua doctrinae publicae. Iam, ut ad id, quod volumus, veniamus, haec norma apud veteres christianos erat traditio [21]), non quidem ea tantum, quae verbo propagatur, sed etiam quae a patribus litteris iam erat consignata; quorum scriptis, additis conciliorum decretis, potissimum utebantur, quando demonstrare volebant, se esse catholicos. Hinc LEO Noster (qui alias saepe provocat tantum ad legis doctrinam, propheticas voces, evangelicas auctoritates et apostolicas litteras ep. 15, 12. 28, 1. etc.) cum primum falsae doctrinae, Nestorianismi in primis, argueretur, statim ad patrum suffragia sibi recurrendum esse putavit, ut ipsorum testimoniis ostenderet, catholicis se esse adnumerandum; illos autem qui secus sentiant a communione ecclesiae esse excludendos. Nec aliter sane agere potuit, cum haeretici suas sententias verbis e Scriptura S. desumtis aeque exprimerent, atque purioris doctrinae vindices. Ad traditiones Patrum necessario erat recurrendum.

---

21) Conferendus de hac re omnino est *Tertullianus* de praescript. haeret. cap 15. seqq.

Sectio III.

complexa doctrinam de Christo.

§. 14. Progredimur ad gravissimam difficillimamque doctrinae revelatae partem, nimirum ad articulum de mediatore inter Deum hominesque, *Christo*. Cum vero in nullo fidei christianae capite explicando confirmandove magis elaboraverit LEO, quam in hoc, quo totius religionis nostrae fundamenta continentur; neque ulla fuerit illius temporis haereticorum, in hac doctrinae salutaris parte a veritate recedentium, secta, quam magnus noster Pontifex mascule non impugnaverit: facile quilibet intelligit, libelli academici modum me esse transgressurum, si omnia, quae de Christo e LEONIS scriptis colligi possent, plena enumeratione exhibere et verbosiori explicatione persequi vellem. Dabo tamen pro virium mearum mediocritate operam, ut missis plerisque notioribus et auctori nostro communibus cum omnibus puriora divinarum litterarum dogmata sequentibus nihil praeteream eorum, quae aut rariora sunt et a nostrae aetatis opinionibus aliquantum discrepant, aut nonnihil saltim facere possunt ad historiam huius doctrinae plenius cognoscendam, ad facilius rectiusque diiudicandas de hac caussa controversias, et ad promovendam liberalem eruditionis theologicae indolem. Illud autem in limine statim monendum esse censeo, plerasque auctoris nostri sententias de Christo oppositas esse erroribus *Euty-*

chianorum, nonnullas etiam *Nestorianorum* placitis. Operae itaque pretium erit, curatius inquirere, quanam potissimum in re a veritate deflectere existimaverit LEO utriusque haereseos coryphaeos. Sic enim facili negotio quilibet perspiciet, utri haereticorum sectae opposita sint singula scriptoris nostri decreta.

§. 15. Quod itaque ad *Nestorium* attinet, culpatur ille a LEONE, quod Mariam *hominis tantummodo* ausus sit praedicare genitricem, et in conceptione eius et partu (si ad Mariam *matrem* concipiendi et pariendi refertur ministerium,) *nullam* Verbi et carnis factam *unitionem* (ἕνωσιν) crediderit[22]: Quia

22) *Nestorius* abhorruit omnino a plerisque, quos LEO ei obiecit erroribus. Sic *Mariam* non *hominis tantummodo genitricem*, sed *Emmanuelis* matrem in anathematismo I. *Harduin.* collect. Conc. tom. I. p. 1298. et *Christiparam*, Harduin. p. 1411. nuncupat. Quia aliqui sanctam virginem Θεοτοκον *tantummodo* nominabant; alii ἀνθρωποτοκον, ideo, dicit p. 1332. se vocasse eam χριστοτοκον, ut hoc nomen *utrumque* manifeste significaret; concessisse etiam se testatur, ut pie *genitrix Dei* nominaretur, propter *unitionis* rationem, *quae* facta est ex *ipso vocum angeli principio*, quas de conceptione locutus est. Quin manifeste p. 1334. declarat, sanctam virginem esse *Dei genitricem* ideo, quia illud templum, quod in ea ex Spiritu S. creatum est, Deitati erat *unitum*. conf. p. 1552. De *unitione* autem confitetur p. 1282. esse filii deitatis corpus templum, et templum secundum summam quamdam et divinam *unitum* coniunctionem, (κατ' ἀκραν τινα και θειαν ἡνωμενον συναφειαν.) Confer. quae p. 1333. de unitione ineffabili duarum naturarum in utero virginali dicuntur.

filius Dei non ipse factus sit hominis filius, sed creato homini *sola se dignatione* sociaverit. S. 28, 5. Accusatur porro ep. 30, 1. quod dominum Iesum Christum de matre virgine *hominem solum* asseruerit *natum* [23]), et deitatem verbi ab assumti (per verbum) hominis substantia *separaverit*; ep. 35, 1. [24]) et quod denique docuerit, Mariam sine Deitate concepisse hominem, qui creatus a spiritu s. *posteà* [25])] sit susceptus a verbo, ep. 59, 5. duabus scilicet *personis* distinctis atque divisis [26]), ut non esset filius homi-

23) Concedit *Nestorius* p. 1411. *Deum Verbum* (id est reduplicative Christum quatenus Deus est) ex Christipara virgine *processisse* (*προελθειν*): monet tamen Scripturam nusquam affirmare, *Deum* esse ex virgine *genitum*; semper eam praedicare hoc de Iesu Christo, filio, Domino. Aliud enim, inquit, est *simul esse cum nato* et aliud *nasci*. Si cum his conferantur quae *Cyrillus* ipse scribit in epist. Synod. ad Nestcr.: „in ipso utero cum" carne unitus (filius Dei, Deus) generationem carnalem sustinuisse dicitur, „carnis suae nativitatem tanquam propriam sibi faciens;" apparet, parum abfuisse *Nestorium* a *Cyrilli* sententia.

24) Si quis, ait *Nestorius*, p. 1299. non *secundum coniunctionem* unum dixerit Christum — anathema sit. Statuit vero *συναφειαν* sive coniunctionem indivisam *non secundum naturas* (*φυσικην*) *sed secundum dignitatem filiationis*; quoniam illi unitus est, qui in principio filius erat. p. 1414.

25) Sed conf. quae diximus not. 22.

26) Fatetur *Nestorius* p. 1279. impassibilem et passibilem substantiam *ἐν μοναδικῳ προσωπῳ*, itemque naturarum *εἰς ἑνος προσωπου συναφειαν*.

nis qui filius Dei [27]), neque unus Christus in utraque natura [28]), sed alter sempiternus ex Patre, alter temporalis ex Matre. ep. 102, 3.

§. 16. Haec sufficere possunt de Nestorio; accedamus ad oppositam *Eutychianorum* haeresin, de qua plura sunt notanda.

I. *Momentum* huius controversiae maximum esse credidit LEO, nec portiunculam aliquam fidei nostrae, quae minus lucide sit clara, pulsari, sed id quod dominus in ecclesia sua *neminem voluit ignorare* [29]), impugnari, ep. 30, 2. ipsaque religionis christianae fundamenta convelli putavit per hanc haeresin, ep. 60. religioni christianae inimicissimam, ep. 95, 8. et symbolo apostolico repugnantem; serm. 96, 1. cui, qui addicti sint, christiano nomine prorsus indigni sunt ep. 124, 1 et 8. Cum enim negata carnis in Christo humanae physica ve-

---

27) *Nestorius* p. 1414. aperte negat se duos filios inducere, et p. 1334. Deum et hominem *unum* filium confitetur.

28) *Nestorius* anathemat. 3. eos anathemate ferit, qui non secundum coniunctionem unum Christum dicunt, aut ex utraque substantia unam filii connexionem negant.

29) Non mirum est, sic locutum esse hominem, qui sibi persuadebat, plurimos gravissimos errores in verbis latere Eutychis. Haud paulo tamen rectius huius rei pondus aestimat *Marcianus* imp. in epist. ad Archimandritas et Monachos habitantes in Aelia. Harduin. l. c. tom. 2. p. 670. „Vobis harum rerum (doctrinae de duabus naturis) examinationem facere non congruit, qui την ἐπι τουτοις λεπτοτητα intelligere nequitis.„

ritate, (cuius impietatis accusabatur Eutyches) negetur etiam corporea passio: ep. 28, 5. vacuari per hanc haeresin existimabat salutis nostrae singulare sacramentum, et totum quod credimus in vanitatem et mendacium per eam converti putabat. ep. 88, 2. Perperam pleraque haec a LEONE dicuntur. Certe eae, quas Eutyches *vere* defendit, opiniones, nec christianae religioni nec symbolo apostolico tam aperte et omnino repugnant, ut Eutyches sciens et volens symbolo contradixerit.

II. Docet LEO non fuisse *Eutychem* huius *haereseos auctorem* erroris que inventorem, sed olim a patribus in praecedentibus haereticis eam, cui Eutyches subscripsit, sententiam, damnatam iam esse atque destructam ep. 79, 1. 88, 2. Innuit quidem LEO eos potissimum aut *Manichaeorum* aut *Apollinaristarum* errores, quos in dictis *Eutychis* latentes deprehendisse sibi visus est: verum etiam de quibusdam sententiis, quibus revera et aperte usus est celebris iste archimandrita, praesertim de eo ipsius effato, quo post ἐνσάρκωσιν duas in Christo naturas esse negavit, recte dici potest, non esse eas novas aut antea inauditas phrases. Eiusmodi a nonnullis antiquioribus doctoribus christianis usurpatae sunt elocutiones, ut ab Eutychianorum decretis non longe abesse et ipsi videantur. Neque id a solis factum est haereticis, sed ab iis quoque, quos orthodoxos a doctrinae puritate nominare solent. *Eutyches* ipse doctrinae suae patronos laudat *Iulium*, *Felicem*, *Athanasium* et *Gregorium* ep. 21, 1. Adnotant ad

hunc locum *Ballerinii*: Acephalos (Severianos) in collatione Constantinopoli habita anno 533. eorumdem patrum, *Iulii*, *Felicis*, episcoporum Romanorum, *Athanasii*, *Cyrilli*, *Gregorii* Thaumaturgi ac *Dionysii* Areopagitae testimonia, veluti Eutychianae sententiae faventia, opposuisse; sed ea pleraque ab Apollinaristis olim conficta esse, catholicos respondisse. vid. Hard. tom. 2. p. 1159. Certe contra *Iulii* testimonium, quod Eutychis epistolae ad LEONEM M. subiectum legitur, dudum a viris doctis tam valida prolata sunt argumenta, ut omnes fere in eo nunc concinant eruditi, *Iulii* tantum nomen adscriptum esse fragmento, quod *Apollinarem* auctorem habet. Sed dubiis in hac caussa testimoniis non opus est. Nam ab omnibus, qui non plane hospites sunt in historia dogmatum, nec totos se praeconceptis opinionibus regendos permittunt, facile impetrabimus, ut nobis concedant: ante Nestorianas atque Eutychianas controversias dogma de duarum naturarum in Christo unione nondum fuisse tam accurate atque definite explicatum, quam post istas lites motas. Antea enim, cum suo tempori et suis hominibus inservirent doctores, tot de ea re ἔννοιαι et phrases neque necessariae erant neque exsistebant, quam sequentibus temporibus; eas autem, quibus adsueti erant religionis ministri, libere coniungebant. Licet enim in eo omnes convenirent catholici, quod unus Iesus Christus simul hominis sit et Dei filius, nulla tamen lege ecclesiastica disertis verbis constitutum erat, quid de unionis duarum naturarum ratione et

modo credendum sit. Accidit itaque in hac sentiendi libertate, ut nonnulli Patres easdem fere sequerentur ideas aut certe, ne nimis videamur difficiles, easdem formulas, quas postea prae caeteris elegit atque defendit *Eutyches.* Ne temere hoc affirmare videar, provoco, quia spatium mihi non permittit plura colligere, ad ea quae PRAESES GRAVISSIMUS adnotavit ex *Gregorii* Nysseni scriptis in Introduct. in Pol. Baumg. vol. III. p. 209. seqq. et 236. 237. Non ignoro, posse ex antiquiorum patrum scriptis colligi locutiones, quae catholicorum dogmata confirmare videntur; fateor etiam ingenue, eosdem patres, qui minus accurate aut orthodoxe interdum loquuntur, aliis in locis propius ad orthodoxam accedere doctrinam: sed ex ipsa hac auctorum inconstantia concludo, istis temporibus nihil certi de his rebus fuisse definitum. Parum profecto accurate rem mente conceperant ii, qui eam verbis expresserunt tam variis atque diversis, ut fere vix divinando, quid sibi voluerint, sagacissimus quisque interpres assequi possit [30]). Evenit quidem his scriptionibus idem, quod sacris litteris contingere solet, ut multi lectores proprias suas sententias in eis et quaerant et inveniant. Sed invenusta sunt ista studia. Omnis enim interpretatio historica esse debet.

---

30) De variis interpretandae scripturae, cum de Christo loquitur, hypothesibus, amplissimus superest requirendi locus; quasdam quasi lineas praeivit S. V. PRAESES in apparatu ad N. T. interpretationem pag. 138. seqq.

§. 17. III. Ea est Pontifex noster animi moderatione, ut miserum istum septuagenarium senem non tam ex versutia aut veritatis odio, quam ex *imperitia incautaque simplicitate* errasse pronunciet. Ep. 30, 1. 31, 1. 32, 2. Quam ob rem veniam ei concedendam, *communionemque sui* ordinis illi reformandam esse decernit, modo omnia, quae male senserat, viva voce et subscriptione damnare non recuset. Ep. 30, 2. Attamen illud vitio ei vertit, ep. 28, 1. quod *sapientioribus doctioribusque* (episcopis scilicet) *non cesserit* (presbyter et monachus) [31]). Verum enim vero in synodo Constantinop. *cesserat* aliis. Ibi enim concilii sententiam amplectitur his verbis: „Quia ve„stra sanctitas hoc dicit, dico — Usque ad hanc „horam metuebam dicere — quoniam autem vestra „Sanctitas permittit et docet, dico — et sequor pa„tres. Neque autem inveni manifeste hoc explana„tum, neque omnes patres dixerunt." Harduin. coll. conc. T. 2. p. 163. 166. Et ab ipso LEONE laudatur, ep. 23, 2. quod paratus sit ad corrigendum, si quid in se inventum fuerit, quod reprehensione sit dignum.

IV. Neque praetermitti debet id, quod in omnibus fere controversiis theologicis similiter observare licet, multas Eutychi erroneas tribui sententias, quae

---

31) Sine dubio etiam illud LEONI admodum displicuit, quod Eutyches in Synodo Constantinop. declaraverat, solas se scripturas scrutari, tanquam firmiores atque meliores sanctorum patrum expositionibus. Harduin. II. 142. et 186.

nonnisi ratiocinationum, interdum longius repetitarum adminiculo, ex verbis eius vix cogi possunt. Quod ut patescat non inutile quidem esset praecipuas formulas ex paucis ipsius quae ad nos venerunt decretis dictisve colligere: sed ne nimis multus sim in hac re, missis istis [32]).

V. Eam in medium proferam *errorum Eutychis recensionem*, quam in binis suis ad LEONEM litteris suppeditat *Flavianus* ep. 22. et 26. Sic autem ille: „*Eutyches* — antiquam impii *Valentini* et *Apollinaris* reparat sectam — dicens: dominum nostrum I. C. non oportere confiteri *de* (ἐκ) *duabus naturis* post humanam susceptionem.“ Haec parum accurate dicta in altera epist. 26. sic exprimuntur: „Ante incarnationem quidem salvatoris nostri duas naturas esse, *μετα δε την ἑνωσιν, μιαν φυσιν γεγονεναι.* Verum omnino est, dixisse Eutychen, ἐκ δυο φυσεων γεγενησθαι τον κυριον ἡμων προ της ἑνωσεως, μετα

32) Speciminis loco ex professione fidei, quam Eutyches adiunxit epistolae 21. ad LEONEM, (in qua, Deum testem invocans, multis atque gravissimis verbis queritur de insidiis et *factionibus* adversariorum, perniciem sibi machinantium, adeo, ut etiam de *vita* periclitetur) unum exscribam locum: „ipse, inquit, qui est verbum Dei, descendit de coelo sine carne, et factus est caro in utero sanctae virginis *ex ipsa carne* virginis, *incommutabiliter* et *inconvertibiliter*, sicut ipse novit et voluit. Et factus est, qui est semper *Deus perfectus* ante secula, idem et *homo perfectus*.“ Nihil poterat dici rectius, si verborum ineptam sedulitatem non amamus.

d

δε την ἑνωσιν μιαν Φυσιν confessum eum esse. Harduin. l. c. tom. 2. p. 165. Alio etiam loco, p. 142. statuit, post incarnationem esse *unam* naturam, eamque *Dei incarnati* et inhumanati. Sed dixerat simili modo *Cyrillus*, non oportere intelligere duas naturas, sed *unam* Dei Verbi *incarnatam*, idque testimonio *Athanasii* confirmaverat. p. 127. Ad hunc *Cyrillum* ut et ad *Athanasium* atque *Gregorium* eiusdem sententiae adsertores, provocat etiam *Dioscorus*, in conc. chalc. et palam testatur se *cum patribus* eiici, quorum dogmata defendat. In libris se habere affirmat eorum testimonia p. 131. Ipse etiam *Flavianus* in exemplo fide p. 7. profitetur quidem Christum post incarnationem ἐν δυο Φυσεσι, ἐν μιᾳ ὑποστασει (una subsistentia: sed in collatione catholicorum cum Severianis p. 1165. legitur: in una substantia) και ἐν ἑνι προσωπῳ ἑνα χριστον, eosque damnat qui δυο ὑποστασεις aut δυο προσωπα annunciant; sed addit: *unam* Dei Verbi Φυσιν, incarnatam tamen et inhumanatam, dicere non negamus, eo quod ex ambabus unus atque idem sit dominus. *Dioscorus* cum Aegyptiis aliisque Eutychis sequacibus, ita statuit μιαν Φυσιν, ut *physica* unio, quam Nestorius impugnaverat, omni conatu defenderetur, et δυο ὑποστασεις negarentur. Nam ὑποστασιν multi eo tempore non distinxisse videntur a Φυσει. In Ephesina Ληστρικη *Seleucus* Amasiae Hellenoponti episc. anathematizat τους εις δυο Φυσεις, ἡ δυο ὑποστασεις, ἡ δυο προσωπα μετα την ἑνωσιν διαιρουντας τον κυριον. Harduin. tom. 2. p. 216. Plane eadem paulo ante dixerat *Basilius* ep.

Seleuciae Isauriae. p. 213. Recte itaque dici potest, eum praesertim fuisse Aegyptiorum errorem, quod ἐνεϱγειαν non tribuerint humanae naturae propriam, sed omnem agendi vim in divina natura, quam ideo solam φυσεως nomine insignire solebant, positam esse arbitrati sint. Utrum vero ipsius etiam *Eutychis* eadem fuerit mens idemque consilium, dum μιαν φυσιν Dei incarnati assereret, id quamvis veri speciem habeat, vix tamen poterit satis tuto definiri. Haec vero de una ἐνεϱγειᾳ hypothesis ab omnibus etiam iis defendi debuit, qui τον λογον animae rationalis locum in Christo obtinuisse arbitrati sunt, qua opinione inde ab antiquissimis temporibus permulti ducebantur patres. conf. S. V. PRAESIDIS introduct. ad *Baumg.* Polem. tom. II. p. 118.

Pergit *Flavianus* ep. 26. in recensione errorum *Eutychis:* „Quod ex Maria ortum est corpus domini non esse nostrae substantiae neque humanae materiae (ἀνθϱωπειου φυϱαματος); sed humanum (ἀνθϱωπινου) quidem — *non* tamen *consubstantiale nobis*, nec ei, quae illum peperit secundum carnem [33]). Eadem ep. 22. sic explicantur: — „neque carnem Domini consubstantialem nobis esse, tanquam ex nobis assumtam, et unitam Deo verbo secundum

---

33) Sed in Synodo Constantinop. anno 449. habita, iuramento confirmare spondet Iohannes presbyter, Eutychen dixisse: Consubstantialem quidem Dominum esse matri, sed non habere eum consubstantialem nobis carnem. Hard. Tom. 2. p. 190.

subsistentiam (καθ' ὑποστασιν); — virginem quidem, quae eum peperit, secundum carnem consubstantialem nobis esse, ipsum autem Dominum non sumsisse ex ea carnem nobis consubstantialem; sed Domini corpus non esse quidem corpus hominis (σωμα ἀνθρωπου), humanum autem (ἀνθρωπινον) corpus (esse), quod ex virgine est.“

VI. Rationem, cur hactenus non dixerit *corpus Domini et Dei nostri consubstantiale esse nobis*, hanc affert ipse *Eutyches:* „quoniam ipsum corpus *Dei* confiteor. Non dixi corpus hominis corpus Dei: humanum autem corpus est, quoniam ex ipsa virgine incarnatus est Dominus. Si autem oportet ut dicatur ex virgine et consubstantiale nobis, et hoc dico.“ Harduin. Tom. 2. p. 166. Quum praeterea Eutyches Christum nominet perfectum hominem, incommutabiliter et inconvertibiliter factum ex ipsa carne virginis, quae nobis consubstantialis est: nihil aliud videtur dicere voluisse, quam quod Dominus non merus sit homo, neque corpus eius vere humanum et ex matre sumtum sit corpus vulgare meri hominis et του τυχοντος, sed θεανθρωπου [34]). Cui videtur addendum esse hoc, quod humanitas Christi habuerit neque propriam hypostasin sive subsistentiam ne-

---

34) Cum concessisset patribus Constantinopoli congregatis, Christum nobis esse consubstantialem, addit: Non (sic) dico consubstantialem, (quasi simul) negans, quod ipse sit filius Dei. Timuit igitur ne posita hac ὁμοουσια tollatur divinitas salvatoris.

que ἐνεργειαν, adeoque nec propriam φυσιν. Σαρξ enim existit ἐν τη φυσει του λογου qui caro factus est, id est, ex Eutychis mente, qui carnem in suam φυσιν (ὑποστασις dicenda erat ex catholicorum sententia) recepit. Hinc etiam intelligitur, quid sit quod Eutychiani Christum concedant esse ἐκ δυο φυσεων, negent ἐν δυο φυσεσι. Si haec est vera Eutychis sententia, patebit postea admodum iniquum fuisse LEONEM in erroribus adversario suo adfingendis, a quibus hic aberat longissime; eundemque ubique fere contra larvas pugnasse.

§. 18. VII. Caeteri quidem haeretici plerique erraverunt ex arrogantia et nimia de se suaque perspicacia praesumtione, aut ex animi levitate linguaeve securitate, ad quam postea pertinacia plerumque accesit; Sed *Eutyches*, si errasse dicendus est, ex immodica verecundia, nimiaque ancipitum locutionum fuga, et exorbitanti Nestorianismi speciem vitandi studio, in errorem incidisse videtur. Profitetur ipse, se non audere de natura tractare Dei Verbi, aut adimere vel addere verbum contra fidem Nicaenam. ep. 21, 1. Alia flexibilis atque obsequentis animi documenta iam proposuimus. Quid? quod hanc ob rem maxime in Synodo Constant. ἐνδημουσῃ anno 448. damnatus sit, quia noluit *anathema* dicere iis, qui contraria sentiunt. Hanc veram fuisse causam, cur damnationis sententia adversus Eutychem lata sit, Constantinus diac. in concil. quod Constantinopoli anno 449. celebratum est (ad examinanda synodi praecedentis acta, quae corrupta esse a non-

nullis dicebantur) clare atque manifeste asserit. Hard. tom. 2. p. 202 seqq. Idem etiam ex ipso LEONE M. discere possumus: „Bene coeperat a sua persuasione discedere Eutyches. — Sed cum anathematizando impio dogmati noluisset praebere consensum, intellexistis eum in sua manere perfidia, dignumque esse, qui iudicium damnationis exciperet." Ep. 28, 6. Ac si quis gesta prioris synodi Constantinopolitanae sub Flaviano 448. habitae relegat (ibid. pag. 166. seq.), dubitare non poterit, omnibus fere in rebus Eutychen cessisse Flaviano, atque iis quae a Synodo credenda proponebantur, assensum praebuisse. Sed cum Synodus postularet, ut *anathematizaretur* omne dogma, quod contrarium sit iis, quae paulo ante lecta fuerant: Eutyches quidem profitebatur, eadem se dicere, quae synodus doceat; quoniam vero in scripturis nondum invenerit manifeste hoc, de quo quaerebatur, explanatum, neque omnes patres idem dixerint, non posse se aliter sentientes exsecrari. „Si ergo anathematizavero, ait, vae mihi est, quod *patres meos anathematizo.*" Quibus auditis exsurgens Synodus clamabat: *anathema ipsi;* quem clamorem mox sententia excepit, qua de dignitatis et officii gradu deiectus ex communione sacra exterminatus est. Sed quando Eutychen, hominem probum verique amantem, ex nimio Nestorianos errores vitandi studio errasse contendimus, non id hic agimus, ut contraria statuamus iis, quae S. V. PLANCKIUS in *Selectis capitibus histor. eccles. tom. I. p. 244. seqq.* adnotavit, sedulo compositam videri hanc fabu-

lam, quam *Eutyches* in Alexandrinae sedis honorem egerit. Nos quidem sententiam, quae pugnabatur, ab ipsa pugna distinguentes sub prima controversiae initia Eutychen arbitramur bona fide professum esse ea, quae necessario credenda esse putavit; an vero hac semper fuerit animi constantia ut in neutram partem inclinaret, et vacuus esset ab amicitia et odio, de eo nihil plane definimus. Alios autem ad istam caussam abusos esse Eutychis sententiis, extra dubitationis aleam fere positum est. Certum etiam est, satis cito *Eutychen* ipsum (qui infensum sibi *Eusebii* Dorylaeensis animum penitus noverat, et forsitan *Flavianum* quoque propius quam nos cognitum habebat,) adiisse et *Theodosium Imp.* et LEONEM M. aliosque. Ad praefectos etiam monasteriorum Constantinop. scriptas dedisse fertur chartas, ipsorum subscriptiones ambiens. Harduin. tom. 2. pag. 151 seqq. Quis itaque dubitet, Alexandrina quoque praesidia sibi ipsum quaesivisse? Apte itaque cohaerent ea, quae S. V. PRAESES l. c. pluribus exponit, cum his quae nos de ortu erroris Eutychiani modo disputavimus. Nimirum Theodosius Imp. adversus Nestorium huiusque sectatores insigne conceperat odium; eximie contra favebat acerrimo Nestorii adversario, Cyrillo Alexandriae episcopo, eiusque fautoribus (inter quos eminebat *Eutyches*) ac successori *Dioscoro*. Facile nobis persuademus, Chrysaphium, eunuchum, illiberalibus studiis Imperatorem in hasce partes magis magisque traxisse, nullamque praetermisisse eum occasionem, Nestorii re-

liquias penitus opprimendi, Alexandrinorum vero auctoritatem adaugendi. Quid vero poterat accidere exoptatius opportuniusque ad utrumque istum finem obtinendum, quam error Nestorianismo e diametro oppositus, quem errabat Eutyches, vir modestia atque temperantia multos post se reliquens istius aetatis clericos. Quid itaque mirum est, Theodosium Augustum, non minus quam Alexandrinos, ex partibus stetisse Eutychis? Quem cum impugnaret Flavianus Constantinopolitanus, Chrysaphio sine dubio exosus, fieri non potuit, quin iudice Dioscoro Alexandrino, qui eunuchi artibus praeses erat constitutus in Ephesina ληστρικῃ, Flavianus caussa caderet, et vinceret Eutyches, ad Cyrilli ac Athanasii Alexandrinorum antistitum auctoritates provocans, et Nestorii, Constantinopolitani quondam episcopi, sententiis incredibili animi fervore se opponens. Dioscorus enim, homo ferox atque factiosus suaeque sedis praerogativis magis consulens quam religionis puritati, non tantum Constantinopolitanos praesules odio prosequebatur capitali, verum etiam Cyrillo aliisque, qui ante ipsum Alexandrinae sedi praefuerant, Eutychianaeque sententiae favere videbantur, deditus erat atque emancipatus. Antecessorum vero famam atque memoriam in Eutyche violari arbitrabatur. Etiam Flavianum (licet in Synodo Constantinopol. sic se gesserit, ut leni in Eutychen animo fuisse videatur,) ab omni partium studio liberum pronunciare non ausim. Minus forte favebat Alexandrinis non solum, sed etiam Eutychi, doctrinam Cyrilli

Alexandr. sequenti; praesertim cum Eusebius Dorylaeensis, Eutychis delator totiusque litis sator, acri quotidie incitatione episcopi animum inflammaret; Monacho autem hoc damnato, Aegyptiorum etiam quodammodo imminui videretur auctoritas. Hanc suspicionem eo confirmari putamus, quod in concilio Constantinop. anno 449 habito, professus est Magnus, silentiarius: *ante* synodum Eutychis damnationem sibi esse ostensam; et studuisse praeterea Flavianum evitare Expraefecti, Consulis et Patricii *Florentii*, praesentiam in synodo; huiusque rei hanc eum obtendisse causam, quod forma iam data et damnatus sit Eutyches, quoniam secundo vocatus non obedierit. Hardnin. Tom. 2. p. 211. Sed antequam ter evocatus erat accusatus, nulla contra eum actio, ex canonicarum regularum praescripto, locum habere poterat. Potuissemus haec omnia, quae de hac re breviter disseruimus, pluribus roborare testimoniis, quae vero brevitatis studio missa fecimus.

§. 19. VII. Omnes istos errores, quorum Flavianus Eutychen insimulat, (vide num. V.) LEO pro concessis ponebat, et adversarium convictum iam esse iudicabat; ipse etiam passim uberius eos interpretabatur, et varias inde eliciebat consequentias. Sed audiamus LEONEM ipsum, attendamusque, quomodo Eutychis mentem explicet. Tam impie, inquit, duarum naturarum ante incarnationem unigenitus Dei filius fuisse dicitur ab Eutyche, quam nefarie, postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur. Ep. 28, 6. E priori pro-

positione concludit, hoc habuisse Eutychen persuasum, animam, quam Salvator assumsit, prius in coelis esse commoratam, quam de Maria Virgine nasceretur, sibique Verbum in utero eam copularet; hac quidem in re Origenem eum esse secutum, ep. 35, 3. Posteriorem vero elocutionem ita interpretatur, quasi Eutyches id dicat unitione effectum esse, ut ex duabus naturis una remaneret, nullatenus alterius existente substantia serm. 28, 5. Alibi vero declarat, adversarium statuere, Christum veram carnem de matre non sumsisse, nec nostri illum generis corpus habuisse, sed divinitatis eius et carnis unam esse naturam; et hinc efficere conatur, eum credidisse Dominum nostrum I. C. et falsum hominem et Deum passibilem; ep. 102, 3. unde porro deducit, eum et *Apollinaris* esse et *Manetis* asseclam. ep. 109, 3. [35]) Triplicem autem nobis narrat LEO

35) *Eutyches* in ep. 21. ad LEONEM data, disertis verbis non modo *Apollinarem* et *Manetem*, verum omnes etiam generatim haereticos, usque ad magnum *Simonem*, anathemate percutit. De *Simone* vero tradunt veteres, negasse eum veram Iesu Christi humanitatem; docuisse vero hominem audacissimum, se esse eundem Iesum, qui non vere sed putative tantum in Iudaea passus sit. conf. *Irenaeus* L. 1. c. 23. Quum itaque inter *Eutychis* errores recenseri, quanquam falso, soleat sententia de phantastica et simulata Christi passione, videri posset nonnullis, deliberato consilio *Simonis* mentionem inferri. Sed quoniam eo tempore, quo scripta est illa epistola, (mox post synodum Constantinop. 448.) Eutyches huius erroris, quantum quidem ex

Apollinaristarum errorem, quippe qui docuerint, deesse Christo sive animam, sive mentem rationalem, sive carnem; carnem enim non de foemina sumtam, sed factam esse de Verbo in carnem converso atque mutato. Ep. 59, 5. Hoc tertium dogma delegisse Eutychen arbitratur; quasi negata humanae carnis atque animae veritate totum Christum unius assereret esse naturae, tanquam Verbi Deitas ipsa se in carnem animamque ita converterit [36]), ut concipi ac nasci — crucifigi ac mori — divinae tantum essentiae (naturae) fuerit, ep. 165, 2. Quod autem formam servi gessit Christus et nostri similis fuit — id quandam naturae nostrae fuisse imaginem, non veritatem ep. 31, 1. Christum simulatorie omnia egisse nec humanum in ipso corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium [37]); Ep. 126, 2. 165, 2. hinc corporeas Christi

---

actis concilii colligi potest, nondum accusatus fuisset, rectius anathema Simoni ideo dictum ab eo esse creditur, ut ab omnibus, quotquot inter christianos fuerunt, haeresibus se abhorrere testaretur. Nam primo loco numerari solet a patribus Simon inter haereticos N. T.; nec desunt ex recentioribus etiam multi, qui omnibus haeresibus signa eum praetulisse existimant; quamquam apertus christianae religionis hostis potius dicendus sit quam haereticus.

36) Hoc si statuit Eutyches, non potuit asserere animam Christi prius exstitisse quam cum Verbo copularetur. Utrumque enim simul dici nequit nisi ab homine mente capto.

37) Attamen manifeste profitetur Eutyches ep. 21, 3.

actiones simulatorii fuisse phantasmatis. ep. 59, 1. Et sic in *Manichaei*[38]) et *Marcionis* insaniam transire *Eutychen* censet ep. 165, 2. Alio vero loco, ep. 59, 3. ostendit, *Arianae* etiam perversitati multum suffragari hanc impietatem, quae Verbo Dei humanam negat inesse naturam, ut dum humilitatem in Dei maiestate fastidit, aut falsam in Christo asserat imaginem corporis, aut omnes actiones eius et passiones corporeas Deitatis potius fuisse dicat, quam carnis, — ut aut passa sit Deitas, aut mentita sit veritas. Ep. 59, 3. Imo in *Photini* iam perfidia dam-

---

Verbum in *veritate, non in phantasmate* hominem factum esse.

38) Negavit quidem haeresiarcha iste et duas in Christo naturas, et veras eius passiones. Quamquam vero, quod ad errorem de *una* natura attinet, Eutyches quodammodo cum illo conveniat, immerito tamen Manichaeis accensetur, quos certe miser ille senex duces sibi non legerat. Sed facillime sic invidia opprimebatur Eutyches. Caeterum Manetis verba, quae nobis post *Photium* exhibet I. A. Fabricius in bibl. graec. Lib. V. cap. 1. p. 284. digna sunt, quae hic transscribantur. *Των Γαλιλαιων*, inquit Manes, in epist. ad Odan, *δυο φυσεις ὀνομαζοντων ἐχειν τον χριστον, πλατυν καταχεομεν γελωτα, ὀυκ ειδοτων, ὁτι ἡ ὀυσια του φωτος ἑτερᾳ ὀυ μιγνυται ὑλῃ. Αλλ᾽ ἐξω ἀκραιφνης, ἑνωθηναι ἑτερᾳ ὀυσιᾳ μη δυναμενη, κἀν δοκῃ ταυτα συνηφθαι* etc. Et in epist. ad Zebenam contendit, simplicem naturam non mori, ac umbram carnis non crucifigi. *Μιαν οὐν ἐχων ἐμεινα την φυσιν και ἐνεργειαν το φως* etc. Nestoriani itaque non minus in Manichaei insaniam transiisse dicendi essent quam Eutychiani.

natum esse Eutychen, narrat serm. 96, 2. Quis vero non videt, argutiis ubique uti LEONEM. Certe ita philosophatur de adversarii sui opinionibus, ut vix ipse satis perspectam habuisse videatur istius mentem; et talia ex eius verbis cogit consectaria, quae Eutyches nunquam concessit, sed a sua sententia plane diversa esse constanter professus est. Hoc sane pro certo affirmari potest, LEONEM Eutychis de Christo placita non ad eam formam revocasse, quae sibi ubique constet, sed ita varie eius locutiones eum coniunxisse, ut ex iis, aliis in locis aliter expositis, varios errores eliceret. Sic verbi causa ep. 109, 2. Manichaeismi et Apollinarismi simul, epistola 165, 2. autem alterutrius tantum erroris eum accusat, hac usus ratiocinatione: Si ab *Apollinaris* perversitate desciscit, ne convincatur Deitatem passibilem sentire, non dubie in *Manichaei* transit insaniam.

§. 20. Sufficere haec possint ad declarandum, contra quos, et quo potissimum consilio in scriptis suis de incarnatione verbi agat LEO: iam videbimus, qua ratione hoc fidei caput exposuerit ipse. Quum vero omnes fere sequentes christiani doctores eius vestigia presserint, non multa quidem occurrent, quae cum doctrina recepta in varietate sint et dissensione; nihilo secius tamen operae pretium erit, fontem ipsum paululum degustare, ex quo caeteri plerique orthodoxae doctrinae vindices hauserunt. Ob rerum autem, quas sub articulo de Christo complecti solemus, incredibilem copiam atque variam in-

dolem, certas constituam earum classes, ut omnia meliori ordine procedant. Agam itaque primo de argumentis, quibus duas in Christo naturas evincit; tum nonnulla notabo de incarnatione, per quam ambae naturae intime sunt unitae; his addam nonnulla de unionis statu; deinde de exinanitione atque exaltatione salvatoris dicendum aliquid erit; finem vero sectionis faciet tractatio de munere atque provincia Christi, quam ita instituam, ut primo agam de hypothesi eorum, qui per Christum redemtos nos esse statuunt a dominatione diaboli, deinde vero de reconciliatione ac satisfactione per salvatorem facta pauca disputem, et postremo de unione hominum cum Christo mediatore aliquid notem.

§. 21. Theseos, quod Iesus Christus sit verus Deus et verus homo innumera fere *argumenta* a theologis omnium temporum proposita sunt, quae tamen non omnia eandem habent probandi vim. Quamvis enim non numero sed pondere aestimanda sint, multa tamen precario afferri solent prorsus futilia; nonnulla etiam leviora, quamquam non plane inepta. Minor semper eorum fuit numerus, quae ita ad rem extra omnem dubitationem ponendam idonea sunt, ut omnis evellatur scrupulus ex animis eorum, qui rerum rationes attentius scrutari didicerunt. Nec omnibus temporibus eadem conveniunt argumenta, sed missis antiquioribus nova interdum quaerenda sunt. Hoc etiam de iis argumentis observari licebit, quibus LEO M. utriusque naturae in Christo veritatem evincere conatus est, quae

quanta fieri potest brevitate recensebimus. Et *divinitatem* quidem Iesu Christi ut probet, ad plures provocat sacrarum litterarum auctoritates, quarum potiores sunt, Luc. 2, 49. 3, 22. (epist. 16, 2.) Matth. 3, 17. 16, 16. Ioh. 1, 1. seqq. 10, 30. (ep. 28) Rom. 9, 5. Christus — qui est super omnia Deus, benedictus in secula. (ep. 24, 9.) Ioh. 5, 26. (ep. 165, 8.) Ioh. 14, 9. qui videt me, videt et Patrem. Ariani itaque (sic argumentatur Noster) dum filii maiestatem non viderunt, patris quoque gloriam non cognoverunt, sed imperfectam putarunt generantis essentiam, quae ad habendum quod non habuit generando profecit. (serm. 25, 3.) Matth. 17, 5. praesens quidem erat in filio pater; sed ad commendandam proprietatem utriusque personae filium splendor, patrem vox nunciavit. (serm. 51, 6.) Praeter haec scripturae s. testimonia satis bene et orthodoxe exposita, laudatur etiam a LEONE *symbolum* et apostolicum [39]) et nicaenum. (ep. 28, 2. 124, 8. 165, 3.) Ex *historia* quoque vitae rerumque gesta-

39) Hoc symbolum, quod Christiani recitabant sacramentum baptismi recipientes, ep. 124, 8. duodecim apostolorum totidem sententiis signatum esse, et solo ipsius gladio omnes haereticorum opiniones detruncari posse statuit. ep. 31, 4. Prior illa fabula dudum est explosa; posterius autem, quod de usu symboli additur, falsum est. Oppositum est hoc symbolum Iudaeis atque gentilibus, neutiquam haereticis, qui inter ipsos christianos oriebantur. Postea vero e. c. Nicaeae, novae additae sunt contra haereticos definitiones.

rum Iesu Christi, divinam eius naturam disci posse monetur. Deum enim arguunt partus virginis, voces angelorum, et, praeter alia multa, adoratio etiam magorum, qui thus Deo, myrham homini, aurum obtulerunt regi, scienter divinam humanamque naturam in unitate venerantes. serm. 31, 2. et 34, 3. (Impetrare a me non possum, ut haec munera putem Christo a magis esse oblata ad haec indicanda mysteria. Partus etiam virginis et angelicus cantus opus aliquod divinum extraordinarium annunciant; Deum natum esse hominem non per se evincunt.) Divinitatis quoque documenta sunt innumera, quae I. C. patravit, *miracula*. Eandem alia quoque demonstrant *salvatoris gesta*. Homo enim non potuisset v. c. Samaritanae largiri aquam vivam, nec omnia elementa tremefacere; („pendente enim in patibulo creatore, universa natura congemuit, et crucis clavos omnia simul elementa senserunt„ serm. 7, 4. Duriuscule haec dicta sunt.) Nec paradisi portas homo potuisset fidei latronis aperire, nec clausis ad discipulos ianuis introire, nec flatu suo dare Spiritum S., ac donato intelligentiae lumine sanctarum scripturarum pandere occulta etc. ep. 28, 124. 165. serm. 65. Facile tamen intelligitur non magnam esse horum, quae ultimo loco recensui, argumentorum ad probandum vim, nisi simul ostendatur, Iesum virtute sua propria haec omnia effecisse. Posset etiam hic mentio fieri istius argumentationis, qua ostenditur, non potuisse Christum

sufficere ei, cui destinatus erat, operi perficiendo, nisi verus fuisset Deus: sed de hoc infra.

§. 22. Ad *humanam naturam* quod attinet, permultis utitur LEO argumentis, ad probandam eius in Christo veritatem, quam *Eutyches* negare videbatur. Primo quidem multa laudat *Scripturae S. dicta* v. c. Matth. 1, 1. Rom. 1, 1-3. Gen. 22, 18. coll. Gal. 3, 16. Ies. 7, 14. c. 9, 6. Ioh. 1, 13. *Verbum — habitavit in nobis*: h. e. in ea carne quam assumsit ex homine, et quam spiritu vitae rationalis animavit. (Sic solent omnino antiquiores plerique hunc locum interpretari, graeci et latini, nec sine omni specie,) coll. Proverb. 9, 1. *aedificat sibi sapientia domum.* Gal. 4, 4. Ioh. 14, 28. *Pater maior me est;* quod LEO cum plerisque patribus postnicaenis de natura Christi humana, dissentientibus tamen non paucis aliis, intelligi vult, indeque colligit, serm. 77, 5. Christum maiorem esse se ipso. Luc. 24, 39. 1 Ioh. 5, 4-8. Hic paulo accuratius dabimus totam LEONINI sermonis seriem. „Qui christianam, ait, suscipit fidem (de Iesu Christo vero perfectoque homine) videat, quae natura in crucis ligno pependerit, et (ad fidem suam confirmandam) intelligat, unde sanguis et aqua fluxerit, ut ecclesia Dei et lavacro rigaretur et poculo. Audiat et beatum Petrum apostolum praedicantem, quod sanctificatio spiritus per aspersionem fiat sanguinis Christi. Legat eiusdem verba 1 Petr. 1, 18. Beati quoque Iohannis testimonio non resistat 1 Ioh. 1, 7. et 5, 4 sqq. *haec est victoria, quae vincit mundum* etc. *et spiritus est,*

qui testificatur, quoniam spiritus est veritas; quia tres sunt, qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis, et tres unum sunt. 40) Spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemtionis, et aqua baptismatis, quae *tria unum sunt*, et individua manent, nihilque eorum a sui connexione seiungitur: *quia* catholica ecclesia hac fide vivit, hac proficit, ut in Christo Iesu nec sine vera divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate divinitas." (ep. 28.) Subobscura est haec interpretatio, qua ex istis verbis argumentum pro humana Christi natura ducitur, ita tamen, ut cum ea divinam unitam esse naturam ex eodem Iohannis dicto simul ostendatur. Mihi qui-

40) Est hic locus alicuius ponderis in critico huius dicti examine. Haec enim celeberrima epistola 28 ad Flavian. non ex tempore, sed praevia diuturna meditatione, neque parum diligenter, sed summo studio conscripta, et praeterea in concil. chalced. universali tot episcopis, e tam variis provinciis, praesentibus, praelecta est, actisque synodalibus inserta. Accedit, quod satis magnam periocham e Iohanne exscripserit LEO, hoc uno commate omisso, quod tamen ad rem non minus pertinet, quam versus quintus, qui totus recitatur. In iis scilicet, quae textui Iohanneo statim a LEONE subiiciuntur, divinitatis Christi aeque fit mentio ac humanitatis. Caeterum hac occasione generatim notamus, multa posse e LEONIS colligi scriptis, quorum singularis est ad crisin sacram, et ad historiam latinae bibliorum versionis utilitas. Ipse iam huius auctoris stilus testatur, magna diligentia summoque studio elucubratas esse ipsius scriptiones; et hinc est, quod ubique fere ipsa biblici textus verba accurate exscripserit.

dem sequentem in modum rationes colligere videtur LEO. Nimirum humanam naturam ita ex hoc dicto probat, ut moneat, sanguinem et aquam ex crucifixi latere confosso fluentem supponere corpus *humanum*; quo negato sanguinis quoque et aquae defendi nequeat veritas, sine qua tamen nec sacra coena nec baptismus aliquo nitatur fundamento; quod quia repugnet omni christianae doctrinae tenori, recte a catholicis doceri, Christum verum esse hominem. Iam vero duplici huic testimonio, sanguinis et aquae, inseparabiliter alius coniungitur testis, spiritus scilicet sanctificationis. Sanctificatio vero fit per aspersionem sanguinis Christi, qui tantam non posset habere vim, nisi servator, qui sanguinem istum fudit, verus sit *Deus*. Ratio itaque, cur, Iohanne teste, *tria* ista unum sint et inseparabilia maneant, nulla est alia, quam quod unus Iesus Christus et Deus est, (hinc sanctificationis Spiritus, et sacramentorum efficacia) et homo, (hinc lavacrum et poculum); et hoc modo ex isto Iohannis dicto colligitur, duas esse in Christo naturas, easque unitas. Ad dicta humanam Christi naturam probantia referuntur a LEONE adhuc sequentia. Eph. 1, 20 - 23. Nimirum Christo, quatenus Deus est, omniumque rerum creator, nullo non tempore omnia fuerunt subiecta. (ep. 59, 2.) Ioh. 1, 29. Philip. 2, 6 seqq. *Forma servi* LEONI aliisque patribus est natura humana, quare serm. 46, 1. duplicis formae in Christo unam docet esse personam. — Ps. 85, 12. *Veritas de terra orta est* (ep. 124.) Rom. 9, 5. (ep. 124. 9.

et 139, 3) Ies. 50, 6. (serm. 65, 3) 1 Cor. 15, 20. (serm. 65, 4.) Matth. 22, 43. coll. Ps. 109, 1. (serm. 28, 2.) Ies. 45, 8. *Producat terra*, (terra carnis humanae) *et germinet salvatorem* (serm. 24, 3.) 1 Tim. 3, 16. Ignorat quidem LEO vocabulum *Deus*, et legit, sacramentum *quod* manifestatum est etc. At argumentum tamen inde ducit pro humana Christi natura, atque veritate catholicae doctrinae, Eutychi oppositae. [41]) (ep. 165, 10.) Matth. 17, 2. Transfiguratio scilicet Christi, coram tribus discipulis facta, [42]) inferioris substantiae sacramentum docet. Intellexerunt enim discipuli divinam eius maiestatem; sed ipsius corporis, quo divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Praeter haec scripturae dicta, quorum multa male in hanc rem sunt allata, *symboli* etiam tam apostolici quam nicaeni auctoritatem affert LEO ep. 28, 2. 124, 8. 165, 3. cui illud porro addit, omnium apostolorum, et quorumque doctorum, martyrum atque confessorum *consonas esse sententias*, quod in I. C. deitatis et carnis una sit confitenda persona; contra neque ulla rationis simi-

---

41) Multi solent patres *μυστηρίου* vocabulum, sine additamento alio positum, interpretari de incarnatione *του λογου*.

42) Hi ex LEONIS sententia sunt illi, de quibus Christus Matth. 16, 28. dixerat, eos non prius gustaturos esse mortem, quam viderint filium hominis venientem in suo regno, i. e. in regia claritate, quae specialiter ad naturam suscepti hominis pertinet serm. 51, 2.

litudine, neque sacrorum voluminum parte adiuvari haereticam impietatem, quae veritatem negat corporis Christi. ep. 165, 9. Deinde ex *vitae* Iesu Christi narratione sententiam catholicorum confirmat; existimat enim ex omnibus illis aut actionibus aut perpessionibus, quae in Deitatem cadere nequeunt, effici posse, salvatorem verum esse hominem. Huc refert nativitatem, infantiam, baptismum a Iohanne acceptum etc.; quibus omnibus adiungit *locorum sacrorum* in Palaestina testimonium, ubi visui quasi et tactui tota humanae salutis sacramenta ingerere se arbitratur. Epist. 28. 120. 124. 189. serm. 4, 3. 71, 3. [43]) Denique ex mysterio *eucharistiae* veritatem carnis in Christo probat; cum nec ab infantium (amen accinentium serm. 91, 3.) linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communionis sacramenta, taceatur; nos vero in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus; ep. 59, 2. qua de re infra plura dicam. Cunctis hisce probationibus addit postremo, quod, negata in Christo humana natura, *sacramentum*, per quod unum salvati sumus, impudentissimis *evacuetur figmentis*; statui enim deberet aut deitas passibilis, aut passio non vera, sed ficta, oculos tantum fallens; quod utrumque aeque foret

43) Verum haec magis ad superstitionem, quam ad fidem alendam idonea sunt, neque ii, qui phantasticum fuisse putant corpus Christi, negarunt, in Palaestina, Hierosolyma etc. Christum esse visum, in Golgatha putative eum fuisse cruci affixum etc.

impium et absurdum. Ergo nisi Verbum caro factum esset, nullus poenam damnationis evaderet. Praeterea Christus, si verus homo non esset, *exemplum* non posset praebere hominibus. 44) Erubescens itaque carnem Christi, quae velamen est verbi, quo induuntur omnes, qui ipsum integre confitentur, similis erit improbo convivae Matth. 22, 13, qui sacris epulis sine ornatu regio importunus se immiscuerat. Quia enim nec sponsum agnoscit, nec sponsam (naturam humanam Christo unitam) nuptiali non potest interesse convivio, ep. 28, 5. 59, 4. 124, 6. 7. serm. 21, 2.

§. 23. Haec utriusque generis argumenta, quibus et divina et humana in Christo natura probatur, ita plerumque a LEONE miscentur, ut nonnullis ex utroque genere coniunctis, ostendat, in Christo vere esse duas naturas. Interdum tamen argumentatione aliqua utitur, ex qua non quidem singularum *naturarum* veritas seorsim, sed *ambarum* in Christo *coniunctio* demonstratur. Sic v. c. Eutychianos, unam in Christo naturam asserentes, hac ratiocinatione refellere conatur: Si hominis tantum intelligenda est natura, ubi est, quae salvat deitas? si tantummodo Dei, ubi est quae salvatur humanitas? S. 90, 2. non enim nisi utroque salvamur, serm. 30, 6. Simile fere argu-

---

44) Haec phrasis, *exemplum* praebuit Christus, saepissime in patribus occurrit; ante, quam *Socinianorum* nomen et anceps disciplina innotuisset.

mentum desumit ex 2 Cor. 5, 19. ep. 124, 3. 4. et S. 65, 2. Porro de naturarum coniunctione interpretatur LEO dicta nonnulla Scripturae, 1 Ioh. 4, 2. *omnis spiritus qui solvit Iesum* (sic aliquoties hic locus recitatur), *ex Deo non est, et hic est antichristus.* Quid est, inquit, solvere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam. ep. 28, 5. 75, 1. 164, 3. serm. 34, 5. Huc etiam refert Coloss. 2, 9. *Corporaliter* non spiritualiter, quia vera est carnis substantia. Et *estis repleti in illo:* quia Dei verbum nostri sibi generis et animam et corpus univit. serm. 28, 7. 30, 3. 65, 5. Porro Iohannis 5, 25. (serm. 30. 5.) Luc. 1, 43. Maria erat et ancilla Domini et mater, ep. 124, 2. Item Matth. 16, 16. tu, qui vere es filius hominis, idem vere es filius Dei vivi; eundem et *Dei filium* confitetur Petrus, et *Christum.* [45]) ep. 28, 5. 33, 1. Tandem etiam Genes. 2, 24. *erunt duo in carne una* collat. Ephes. 5, 30. satis inepte ad hanc

45) *Humanam* itaque naturam LEO arbitratur indicari vocabulo *Christus*, quam significationem alii etiam e catholicis admiserunt, v. c. *Fulgentius*, et *Facundus* hermian. ex *Theodoro*, vid S. V. PRAESIDIS Selecta cap. histor. eccles. T. 1. p. 445. et 453. Alii contra patres utuntur hoc nomine ad indicandam *divinam* Salvatoris naturam, vel ante incarnationem. Sic *Hilarius* Pict. libr. 2. p. m. 19. de Patre scribit, ipsum in Christo et per Christum (λογον) originem esse omnium. Ipse etiam LEO sic utitur hoc verbo S. 63, 3. ubi eundem *Christum* (λογον) esse dicit in omnibus sanctis, qui est in illo *homine* (Iesu) creaturae totius primogenito.

caussam a LEONE trahitur. „Utique, inquit, duo sunt, Deus et homo, Christus et ecclesia, quae de sponsi carne prodiit, quando ex latere crucifixi manante sanguine et aqua sacramentum redemtionis et regenerationis accepit. — Ab ipso ergo initio generis humani Christus est denunciatus in carne venturus.“ ep. 59, 4. Hic tantum addo, quaedam ex allatis argumentis, quibus LEO duas simul naturas, humanam et divinam, probare vult, ea praesertim quae ex necessitate redemtionis duxit, hoc quidem efficere, Christum fuisse nec merum hominem nec merum Deum, (quod LEONI sufficere poterat;) sed dubito tamen, an ex iis valide colligi queat, oportuisse mediatorem *summum* esse *Deum*, ipsum illum spiritum perfectissimum, qui est a se.

§. 24. Antequam ulterius progrediemur, addere nonnulla lubet de *exegeseos*, quae in LEONIS scriptis deprehenditur, indole ac ratione. Nempe quilibet ex speciminibus in antecedentibus paragraphis allatis facile videbit, parum laudabilem interdum scripturae interpretem esse LEONEM. Possent quidem *παρερμηνειων*, a LEONE aliisque patribus commissarum, multa hic afferri genera, multaeque rationes [46]). Meo tamen scopo atque illustrandis

---

46) Copiosius hoc argumentum tractavit *Dan. Whitby* in dissert. de S. Scripturarum interpretatione secundum patrum commentarios Londini 1714. 8vo, qui satis amplam hallucinationum exegeticarum farraginem e patrum scriptis liberali consilio collegit, et passim ad fontes quoque *παρερμηνειων* digitum intendit.

iis, quae §. 22. et 23. dicta sunt, pauca sufficient. Permultarum, nisi forte plurimarum, falsarum interpretationum causa in eo est ponenda, quod christiani doctores, textus graeci negligentiores, solent omnes fere scripturae s. locos ad *lites dogmaticas* trahere, iisque ad sua νοηματα stabilienda abuti. Plerique istius aevi doctores, e quorum numero LEO non prorsus excipiendus est [47]), ad interpretationem librorum sacrorum eo accessisse videntur animo, ut idearum hypothesiumque suarum, quas e Scriptura S. non desumserant sed ei intulerant, praesidia sibi quaererent, telaque inde desumerent, quibus oppositarum sententiarum defensores iugulari posse arbitrabantur. Sed quum sacra scriptura de plerisque quaestionibus, quae tertio et quarto seculo sequentibusque temporibus, magna animorum contentione, ventilatae sunt, claris verbis nihil definiverit certi; accidit haud raro, ut utrinque plumbeis pugionibus pugnaretur. Nimirum omnes, paucis, qui erectioris sunt ingenii, exceptis, patres, in primis latini, inde ab *Augustini* potissimum tempore, ita sacram Scripturam interpretantur, ut singulis vocibus, lati-

47) Fidem huic assertioni facere possunt exegeseos specimina, quae in antecedentibus haud pauca dedi. Nec deerunt alia eiusdem rei documenta in iis, quae dicenda adhuc sunt. His addi etiam possunt alii LEONIS loci. e. gr. Ep. 85, 1. 155, 2. et praecipue ep. 120, 2. ubi Ioh. 8, 44. in Eutychis et nominatim in *Dioscori* causam accommodatur.

nis aeque ac graecis, eam tribuant vim, eumque subiiciant notionum ambitum et numerum, qui satis longo intervallo post apostolos cum iisdem vocabulis aut in celeberrimorum doctorum scriptis coniungebatur [48]), aut in conciliis, ecclesiastico iure, iis assignatus erat, aut cum receptis eo tempore, quo interpres vivebat, hypothesibus ac νοημασι omnium optime convenire videbatur. Hac vero ratione non declaratur sensus earum sententiarum, quibus usi sunt scriptores sacri: sed in illorum locum substituuntur atque explicantur aut recentiorum doctorum placita, iisdem verbis expressa, quibus Christus olim atque apostoli sua decreta exposuerant; aut saltim sententiae multo copiosiores ac significantiores, quam fuerunt illae, quas Apostoli dixerunt. Apostolorum enim tempore, quo theologia dogmatica longe minori sententiarum numero absolvebatur quam nostra aetate, nemo istas iam animo conceperat serioris temporis quaestiones; quare nec ἐπιλυσις earum, si vel maxime ab Apostolis suppeditatae fuissent, a quoquam mortalium istius aevi, cui tamen proxime destinatae erant sacrae litterae, intelligi potuissent. Occupant enim hae quaestiones earum-

48) Nemini ignota sunt, quae post *Augustinum* de electione, praedestinatione disputata sunt; nec quemquam latet ingens numerus locorum scripturae s. in quibus his dogmatibus praesidium est quaesitum. Facile vero cuilibet hic patet, notiones *latinas* coniunctas esse cum scripturae s. verbis.

que solutiones (quae pro vario hominum ingenio variae erunt, quamdiu non deerunt, qui ipsi mente complecti audent sententias,) seriem aliquam idearum ac propositionum longe continuatam, et certam quandam cogitandi, philosophandi, subtiliterque ratiocinandi consuetudinem, quae omnia in ista rei christianae initia nondum cadunt. Amplus hic est campus, in quem excurrere posset mea disputatio; sed re dudum a summis theologis fere perorata, mitto ista. Mihi, quod iusti harum rerum arbitri facile dabunt, sufficit, eiusmodi lites theologicas e sacra scriptura raro posse dirimi, nisi in subsidium assumatur ratiocinationum ministerium; quo recte adhibito, et consecutionibus e scripturae verbis subtiliter derivatis, iudicari demum potest, utra propositionum in dubium vocatarum (v. c. de unione duarum Christi naturarum aut physica aut hypostatica etc.) magis concordet cum caeteris, aut in scriptura sacra manifeste expositis, aut aliunde certo cognitis veritatibus. Quum autem praeterea non in uno alterove scripturae loco, sed in omnibus eius paginis, vocabulis, syllabis, suarum sententiarum confirmationem quaerant diversarum sibique invicem oppositarum hypothesium amatores, nec tamen quisque eorum, incredibile dictu, operam perdat quaerendo: fieri non potest, quin librorum sacrorum sensum saepissime adulterent, qui hypotheses, licet veras interdum, mente tamen praeformatas, ad scripturae interpretationem afferunt, et id per interpretationem addunt, aliis etiam cunctis di-

vina auctoritate credendum, quod ipsi ex sua cogitandi consuetudine verum esse existimant. Sed satis expositum est de hac re. Ad alia quae iam in loco de Christo sequuntur, progredior.

§. 25. Plenam exhibere istorum omnium enumerationem, quae de *Incarnatione Verbi* docuit LEO, nimis esset prolixum. Et eo tutius ista me supersedere posse opera existimo, cum auctor noster, ut supra iam dixi, nulla in re ab iis rei christianae sacrae antistitibus dissideat, qui inde ab isto tempore magnifico recte sentientium titulo invicem se salutarunt. Ubique scilicet Nestorianorum Eutychianorumque opiniones, ut quidem vulgo solent fingi, magno conatu refellit, ista vero adducit omnia, quae ad animos hominum in recta sententia confirmandos, et adversus illos errores praemuniendos aliquid facere posse videbantur. Quam ob rem saepe et docet et probat, unam esse salvatoris nostri Iesu Christi personam, duas autem naturas; a verbo enim in unitatem personae carnem esse susceptam, atque naturae immortali ac impassibili unitam naturam passibilem et mortalem; utramque naturam in uno Christo Iesu, etiam post ascensum in coelos [49])

---

49) Carnem Christi antea passibilem et mortalem, commutatione facta, nunc impassibilem esse, immortalem atque incorruptibilem, LEO existimat; eam mansisse quidem eandem per essentiam, sed non eandem esse eam arbitratur per gloriam. Huc respicere putat Paulum 2 Cor. 5, 16. serm. 71, 4.

manere, et *unum* esse in utraque, non diversitate divisum, nec permixtione confusum [50]; utramque

---

50) Ex his verbis aliisque locis minime dubiis explicari debent duriores nonnullae LEONIS fromulae, quae primo intuitu naturarum in Christo commixtionem atque confusionem indicare videntur. v. c. S. 23, 1. „non sic creatura in societatem sui creatoris est assumta, ut ille habitator, et illa esset habitaculum, (quod Nestorio tribuunt,) sed ita ut naturae alteri altera *misceretur.* „ Etiam serm. 34, 4. Deus Dei filius naturae carnis dicitur *immixtus.* Observavit iam *Quesnellius* ad priorem locum, securius locutos esse patres, nondum litigantibus Eutychianis. Editores autem nostri doctissimi, fratres *Ballerinii*, plura super hac re se collegisse indicant *dissert,* 2. c. 3. in *Zenonis opera.* Sed non opus est multa hic coacervare, cum et aliunde veram rectamque LEONI's sententiam cognitam habeamus, et *Augustinus*, aut si mavis *Leporius*, in testimonio, quod epistolae LEONIS 28. aut 165. adiectum est, hanc *immixtionem* (quo vocabulo et ipse utitur) ita interpretetur, ut excludat omnem corruptionem atque imminutionem utriusque substantiae, ne quis arbitretur talem se dicere mixtionem, qua conflatili quodammodo genere duae naturae in unam redactae sint substantiam; Deus enim, inquit, mixtus est naturae humanae, non humana natura mixta est divinae. Quid itaque hoc aliud est, nisi ea, quam nostri theologi docent, περιχώρησις, qua humana natura a divina permeatur et perficitur? Indicat hoc LEO S. 54, 2. ubi *utramque alteri naturam inesse*, neutram tamen in alteram a sua proprietate transire contendit. Sed ne hic quidem satis accurate rem exponit LEO, qui ante Eutychianam controversiam haec scripsisse videtur. Licet enim participatio et communio naturarum mutua sit, περιχώρησιν tamen vix solent mutuam nuncupare theologi.

substantiam (naturam) id est *salvantem* atque *salvatam* [51]), tenere sine defectu proprietatem suam; uncti-

---

51) Sic loquitur LEO ep. 102, 3. Similiter etiam serm. 91, 2. (quem locum paulo ante iam laudaveramus) humanitatem, quae *salvatur* distinguit a Deitate quae salvat. Sed non ita hoc est intelligendum, ac si Christus, quantum ad humanam naturam, se ipse salvaverit. Saepius enim auctor noster profitetur, Dominum non fuisse participem nostrorum delictorum, nec assumsisse eum una cum forma servi simul conditionem servilem, sordemque et culpam peccati; innocentem eum esse natum; diabolum in eo non habuisse, suum quod diceret; morti illum solum nihil debuisse etc. Quum itaque humana Christi natura nec a peccato nec a diaboli aut mortis potestate liberata redemtaque dici queat, (confr. Hebr. 7, 26 seq.) non videmus, qua ratione *salvata* possit nuncupari, nisi id admodum improprie fiat ideo, quia ea humana natura, quam salvator assumsit, per omnia, excepto peccato, similis fuit naturae hominum salvandorum. Sic vero intelligeretur non individuum illud corpus individuaque anima, quam Verbum sibi univit, sed natura, quae omnibus hominibus communis est, in abstracto. Verum ne hoc quidem commodum efficit sensum; quamvis certum omnino sit, fuisse nonnullos ex patribus, qui *universam* generis humani *naturam* assumsisse Christum existimarent. Sic. v. c. *Hilarius* Pictav. de trinit. lib. 2, §. 24. (qui locus adiectus epist. LEONIS 165.) statuit, per admixtionis societatem (per assumtionem carnis,) in filio Dei sanctificatum corpus universi humani generis exsistere; Christum *omnes in se* per id, quod corporeum se esse voluerit, condidisse; et rursum in omnes, per id quod eius est invisibile, ipsum referri; (conf. LEONIS S. 63, 3.) atque Christum, assumtione carnis unius, interna *universae carnis* incolere. Vide

one illa divinae naturae nihil conferri, nihil detrahi; humanam vero naturam assumtione non adimi aut consumi, sed divinis augeri atque ita beatificari, ut glorificata in glorificante permaneat; corpus Christi non fuisse phantasmaticum, sed verum, rationali anima praeditum, nobisque consubstantiale; et quae sunt reliqua, quae omnia copioso persequi solet sermone. Nos vero pauca tantum exscribemus, quae fini nobis proposito, prae caeteris, convenientia esse iudicamus.

§. 26. Ipse *unitionis actus* ita explicatur: Impassibilis filius Dei — in plenitudine temporis — factus filius hominis venit quaerere et salvare quod perierat. Venit autem non locali accessu, nec motione corporea, tanquam praesens futurus, unde abfuisset, aut illinc recessurus, unde venisset; sed venit per hoc, quod erat visibile et commune cernentibus, declarandus, humanam scilicet carnem atque animam in visceribus virginis matris accipiens. Ep. 59, 3. Illa enim essentia, quae ubique tota est, locali descensione non eguit, et tam ei proprium fuit, totam homini inseri, quam ei proprium est, totam a Patre non dividi S. 25, 3. Carnem (σωμα) assumsit ex homine, eamque spiritu vitae

etiam *Athanasii* orat. 2. contra Arianos passim; alicubi *Cyrillum*; et *Gregorium* Nyss. in illud: quando sibi subiecerit omnia etc. p. m. 569. 572. Immo LEO etiam nonnullis in locis parum abesse videtur ab isto νοηματι. Quicquid sit, in verbis ludit LEO, loc. cit. ut solet.

rationalis animavit. ep. 28, 2. Utrique virtus Verbi nullo temporis puncto (neque in partu neque in conceptu, ep. 88, 1.) defuit, nec prius formatum atque animatum templum corporis Christi, quod sibi superveniens vindicaret habitator, S. 28, 2. sed ipsa assumtione creata est nostra natura. — Scilicet secundum carnem (*corpus*) non est creatus ex nihilo, sed sumtum est corpus de corpore concipientis; *Anima* vero ipsius neque anterior exstitit — neque alio illi quam caeteris hominibus est inspirata principio [52]; excelluit quidem, verum non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Nihil enim (liceat hoc statim hic addere) carnis suae habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantiam *voluntatum*; (hoc est, nullae in salvatore erant turbulentae affectionum commotiones, nulla rationis cum sensitivo appetitu pugna.) *Sensus* corporei vigebant sine lege peccati, et veritas *affectionum*, sub moderamine Deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat iniuriis. ep. 35, 5. Voluntati *superiori*, (divinae) voluntas cessit *inferior* (humana.) Matth. 26, 39. S. 56, 2.

§. 27. Posteriora, quae de *anima* Christi traduntur, variis quidem opposita esse possunt adversariis. Unum vero *Eutychen* petit LEO; contra hunc

---

52) De omnibus generatim animabus hominum statuit LEO, contra Origenem ep. 35, 3. et Priscillianistas, ep. 15, 10. eas prius non fuisse, quam corporibus a Deo, horum aeque ac illarum opifice et creatore, inspirarentur.

enim non solum tota epistola, ex qua haec excerpsimus, scripta est, verum hunc etiam manifeste ibidem nominat, eumque claris verbis Origeniani erroris de animarum praeexistentia, non quidem documento historico, sed argumentatione usus, accusat. Fatemur, non esse absque veri specie, *Eutychen* huic opinioni deditum fuisse. Sic enim illa sententia, qua *duas ante* incarnationem naturas profitetur, facilem habet sensum, quae alias vix commode poterit explicari. Ea vero quae LEO in contrarium disputat, satis accurate sunt dicta. Sed non est quod quis miretur, subtiliora et intellectu difficiliora dogmata fere prius atque accuratius fuisse definita, quam multa christianae religionis capita, quae, quamvis planiora sint minusque impedita, gravitate tamen atque utilitate cetera antecedunt. Sic, ut exemplo rem illustremus, ea scientiae theologicae pars, quam *Anthropologiam* nominare consuevimus, quamque omnes sciunt cognitu maxime esse necessariam ad vitam vere christianam instituendam, multo minus erat exculta, ac multae difficillimae de Christi persona quaestiones, quarum magna pars non modo a paucissimis potest perspici, sed etiam ad informandum animum Christiano dignum multo minus faciunt, quam doctrina de regeneratione, fide, iustificatione, sanctificatione etc. Similiter de fructu, quem ex nativitate ac passione salvatoris capere possunt et debent homines, incertiores sunt, ut paulo post videbimus, et minus clarae minusque verae ac sanae patrum sententiae, quam de modo

incarnationis, quem tamen, ut ipsi fatentur, nemo mortalium suo ingenio suisque cogitationibus assequi potest. *Generationem* enim *eius*, inquiunt, *quis enarrabit?* Ies. 53, 8. serm. 29, 1. Sed is fuit istius aevi mos, ut iis, de quibus controversia nondum erat, neglectis, ea fere unice tractarentur publice, de quibus lis iam fuerat mota. Quum vero contentionibus bellisque, si placet, theologicis, (in quibus fustibus etiam atque gladiis pro opinione et consuetudine utrimque pugnabatur,) ansam plerumque praeberet, aut ea saltim aleret atque in infinitum duceret episcoporum aemulatio parum christiana; facile quilibet intelliget, rarius ibi pugnatum esse de ipsa christianae religionis arce, quam parum curabant isti homines suis commodis inservientes, quam de aliis rebus quibuscunque, quae quanto erant difficiliores subtilioresque, tanto ampliorem dabant concertandi materiam; id quod in rem erat eorum, qui istis rixis abutebantur, ad amplificandam suam potentiam dignitatemque, imminuendam vero aliorum auctoritatem. Hisce autem consiliis minus convenire videbantur istae quaestiones, quae de rebus ad vitam christianam propius spectantibus aliisve facilioribus, ventilabantur, quae, ut nullo paene negotio confici poterant, ita triumphum pollicebantur parum ad ista consilia utilem victori, nec admodum gloriosum. Eiusmodi itaque dogmata, nondum acrius oppugnata, neque plene ac distincte a doctoribus proponebantur, neque firmo argumentorum probationumque praesidio roborabantur.

§. 28. Cur, ait LEO ep. 35, 2. inconveniens aut impossibile videatur, ut *verbum* et *caro* et *anima*, unus Iesus Christus, et unus Dei hominisque sit filius, si *caro* et *anima*, quae dissimilium naturarum sunt, *unam* faciunt etiam sine Verbi incarnatione *personam*; cum multo sit facilius, ut hanc unitatem sui atque hominis Deitatis praestet potestas, quam ut eam in substantiis suis obtineat solius humanitatis infirmitas. Desunt haec verba, (ut aliae etiam sententiae huius epistolae) in graeca versione, quam *Ballerinii*, in *admonitione* huic epistolae praefixa, auspicantur ab ipso *Iuliano* Coënsi, ad quem datae erant hae litterae, concinnatam esse; quae autem in graeco desiderantur, consulto omissa esse, ob eas, quae tunc effervescebant, turbas, non absque veri specie coniiciunt. Nimirum usi erant hac similitudine, ad illustrandam naturarum in Christo unionem, plures christianorum doctores v. c. *Cyrillus* in *epistol. synodica ad Nestorium*, quae legitur in *Harduini collect. concil. Tom. I.* p. 1283 seqq. Quam facile vero eiusmodi sententiae ab Eutychianis suis opinionibus adaptari potuerint, patet ex fragmento epistolae, quae *Iulio* Papae tribuitur, quod suis ad LEONEM M. datis litteris subiecit *Eutyches*. In hac enim epistola Eutychianis admodum favente haec leguntur: „sicut homo una natura est, ita et is, qui ad similitudinem hominis est factus Christus." *Iulianus* itaque, qui LEONEM scripsisse similia istis videret, de consulto potuit in translatione haec praetermittere, quae *Nestorianis* potius quam *Eutychi*

opposita erant. Hoc sane indubitatum est, abstinuisse ab hac comparatione recentiores plures theologos, qui, unionem naturarum in Christo neque naturalem neque essentialem dici posse, statuerunt. Illud etiam extra controversiam est, recte quidem, sed non satis accurate dixisse LEONEM, Verbum et animam et carnem unum esse Iesum Christum; modus enim, quo Verbum unitum est cum corpore humano animato, ob consilii diversitatem diversus est ab eo, quo corpori coniuncta est anima.

§. 29. Ad describendum, ex LEONIS sententia, *unionis naturarum statum* pauca haec, quae sequuntur, sufficere possunt. — Salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam coeunte, natura inviolabilis unita est naturae passibili, ut unus atque idem mediator et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero, idemque esset dives in paupertate, omnipotens in abiectione, impassibilis in supplicio, immortalis in morte. Nam utraque alteri natura inest, et nihil est alterius naturae, quod non sit utriusque. Tenet tamen sine defectu proprietatem suam utraque natura, et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei servi forma non minuit. Unius personae sunt actiones. Agit scilicet utraque natura, cum alterius communione, quod proprium est: verbo operante quod verbi est, et carne exsequente quod carnis est; quare etiam quid cuius formae sit, ex operum qualitate sentimus intelligimusque, quid sit quod caro sine Verbo non agit, (e. g. mortuos vivificare,) et quid sit quod

verbum sine carne non efficit, (v. c. cibum ei somnum capere.) Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis; aliud est, unde in utroque communis est contumelia, aliud unde communis est gloria; sed ita sibimet inhaeserunt exaltans et exaltatus, ut sive in omnipotentia, sive in contumelia, nec divina in Christo careant humanis, nec humana divinis.

Ex his formulis, quas ex Ep. 28. et 124. et ex serm. 30, 64. 65. collegimus, quibus vero permultae addi potuissent, ista notabimus. I. *Recte* et orthodoxorum decretis convenienter sensit LEO de duarum in Christo *naturarum communione* vera et inseparabili. Addita est huic dogmati a catholicis determinatio illa, quae salvam esse enunciat utriusque proprietatem, ut ab Eutychianorum societate, quibus naturarum confusio et in unam concretio placuisse videtur, sese seiungerent. Ipsa autem περιχωρησις Nestorianorum placitis opposita est: hi enim dignitatis tantum communionem admittere putabantur. II. *Actiones*, quae ab alterutra natura proficiscuntur, utrique *communes* esse dicit LEO. Idem etiam dicendum erit de passionibus, de proprietatibus essentialibus, caeterisque omnibus quae alterutri naturae, ut πρωτῳ δεκτικῳ, formaliter propria sunt, et quae *Idiomatum* vocabulo acroamatici comprehendere solent. Maxime enim universalis LEONIS est canon: S. 30, 5. Nihil est alterius naturae, quod non sit utriusque. III. Ex his patet LEONEM non ignorasse *idiomatum communicationem*, quamvis voca-

buli huius nullum in eius scriptis inveniatur vestigium, neque tria propositionum, quae communicationem innuunt, genera, distincte iam ab ipso numerentur. Plerumque loquitur de communicatione apotelesmatum, quae ad officium Christi respiciunt, et tertium genus constituunt: sed caetera genera non prorsus praeterit silentio. De secundo sane, quod divina axiomata humanae naturae collata enuntiat, luculentum est testimonium ep. 124, 7. Quicquid in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit — humana ergo humilitas in gloriam divinae potestatis evecta est; atque serm. 30, 5. et Verbum in Christo homine, et Christum hominem adoremus in Verbo; et serm. 24, 3. indesinenter ipsum partum salutiferae virginis adoremus. IV. Quid? quod *propositionum idiomaticarum* satis aperta fiat mentio, ep. 28, 5. 124, 7. et serm. 47, 2. ubi exempli causa has adfert: filius hominis descendit de coelo; filius Dei, (ut haec phrasis hic significare solet,) est crucifixus et sepultus, (id quod, ut monet LEO, in ipso symbolo confitemur); Dominus maiestatis cruci est affixus; ille, qui aequalis est Deo, exaltatus est. Rationem autem, cur huiusce modi elocutionibus, quas ipsa scriptura nobis praeivit, uti liceat, hanc profert, quod una sit persona in utraque natura, quare nec sine homine divina, nec sine Deo acta sint humana. Nihil ergo interesse docet, ex qua Christus natura nominetur. Hinc etiam in scriptura sacra, quamvis ea, quae disseruntur, alia sint humanitatis alia Deitatis, sub nomine tamen filii hominis (aliis

vero in locis sub nomine filii Dei) utraque memorantur. Propositio quidem nostris theologis usitata: *Deus passus est*, a LEONE nusquam, quantum observare mihi licuit, disertis verbis usurpata est [53]). Saepissime contra Eutychianos (unam naturam, adeoque passibilem asserentes ep. 124, 2.) monet, ipsam Verbi essentiam passioni mortique non esse subdendam; nam impassibilem esse Deitatem, eamque fuisse quidem in dolente, non autem in dolore. serm. 68, 1.; et S. 65, 1. 3. docet, Deum esse impassibilem, sed carnis supplicia redundasse etiam ad impassibilem, quia merito ei dicantur illata, quae in eius corpus sunt admissa. Idem itaque ille, qui verus Deus est et verus homo, in sua veritate fuit inviolabilis, in nostra infirmitate passibilis; ep. 35, 2. conf. serm. 54, 2. et vera

---

53) Auctor epistolae anonymus, qui Eutychis litteras ad LEONEM M. datas refutare conatus est, omnino negat Deum passibilem nominari posse. Concedit tamen, Deum in homine a se suscepto iniuriam esse passum, quamvis passionem non sustinuerit. Nam, inquit, qui indumentum conscindit, et induto facit iniuriam. — Si ingenue nostram de hac formula sententiam exponere nobis licet, profitemur quidem veritati eam esse consentaneam, quoniam I. C. qui verus Deus est, cruciatus atque mortem in sua carne perpessus est. Attamen cautione opus est, ne imprudenti talium carminum ad plebem usu rei christianae plus detrimenti afferamus quam utilitatis. Neque illi laudandi sunt, qui eiusmodi formulis, quanquam veris, (quod saepius dicendum est) tantum tribuunt, ut sine illis negent quemquam aut verum christianum esse, aut consequi posse aeternam felicitatem.

divinitas veris se humanae carnis *sensibus* induit. serm. 65. 2. V. Unius, ut diximus, personae sunt actiones; sed duplex est ἐνεϱγεια, *duplex actionum principium.* Saepe atque sollicite hoc LEO inculcat, utramque φυσιν operari ea ἐνεϱγηματα, quae formaliter uni ipsi propria sint; distinctas igitur esse vires, licet non separatas. Opponuntur haec Eutychis sequacibus, qui, dum duas in Christo naturas negarent, duas sane ἐνεϱγειας sibi persuaderi non patiebantur. Quum vero pleraque, quae modo vidimus, bene ac sapienter constituta sint ad haereticorum errores excludendos, seculo demum quarto aut quinto exortos: mirum videri debet nemini, cuncta fere ista decreta de Christi persona, quibus orthodoxi omnes postea subscripserunt, ante haec tempora aut plane esse inaudita, aut multis saltim christianis doctoribus penitus ignota, aut aliter quam nunc fit a nonnullis, etiam catholicis, proposita fuisse.

§. 30. Sed de iis rebus, quae ad Christi personam atque incarnationis unionisque modum pertinent, satis expositum videtur. Sequitur, ut has LEONIS sententias persequamur, quibus *duplicem statum Christi* describit. Ad *exinanitionem* quod attinet, praecipui in quibus de ea agit loci, hi sunt. ep. 28, 3. 4. ep. 124, 7. S. 25, 2. 29, 2. 87, 2. 65, 2. 72, 5. ex quibus inter se collatis colligimus:

I. LEONEM sub exinanitionis statu complecti ipsam etiam Verbi *incarnationem*, sive eum actum, quo natura humana, e sanguinibus Mariae virginis formata, in unionem hypostaseos a verbo est assumta.

Ad humilem enim istum statum refert et hoc, quod creator ac Dominus omnium rerum unus voluerit esse mortalium, et invisibilis visibilem se praebuerit. ep. 28, 3. Quae est, inquit, eius exinanitio, quaeve paupertas, nisi formae servilis (naturae humanae) acceptio? ep. 124, 7. Et serm. 37, 2. sub una eademque maiestatis inclinatione hoc susceptum esse docet a filio Dei, ut a homine vellet nasci, et ab hominibus posset occidi. Plerique cum nostro consentiunt primorum seculorum patres, exinanitionis subiectum *quo* reputantes Deum verbum. Sic v. c. *Origenes* de principiis L. II. c. 6. §. 1. eminens, ait, omnium ista natura, exinaniens se de statu maiestatis suae, homo factus est. *Gregorius Nyss.* Orat. 1. de beatitudine (quae citatur in concil. chalc. p. 1407.) ad Philip. 2, 5. exclamat, τι ταπεινοτερον ἐπι του βασιλεως των ὁλων, ἠ το εἰς κοινωνιαν της πτωχης ἡμων φυσεως ἑκουσιως ἐλθειν. De eodem Gregorio observavit *S. V.* Praeses introduct. in Baumg. Polemic. Tom. III. p. 311. dixisse eum, evacuari (κενουσθαι) divinitatem, ut capere eam possit humana natura; cum quibus concinit *Hilarius Pictav.* L. 9. §. 14, edit. Froben. p. 160. accipere formam servi, nisi per *evacuationem* suam, non potest qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi formae utriusque concursu; h. e. sine praecedente evacuatione impossibilis fuisset incarnatio, ob nimiam naturarum disparilitatem. Huius erroris procul dubio occasio fuit, praeter ignorantiam verae rationis, qua idiomata divina cum humana

natura communicantur, falsa, sed omnibus, quantum mihi quidem observare contigit, patribus communis persuasio de phraseos μορφὴ δούλου Phil. 2, 7. significatione. Si enim vocabulum μόρφη eo significatu accipi debet, ut *naturam* denotet; fatendum omnino est, ad κένωσιν referri a Paulo naturae humanae ipsam assumtionem. Verum gravissimae obstant rationes, quominus istam interpretationem nostram nunc facere possimus. Nam neque in Verbum, antequam incarnatum fuit, ullam putant catholici cadere potuisse exinanitionem, cuius subiectum *quo* natura sit humana in unione personali considerata; neque etiam verbum, quod Deus est, arbitrantur dici posse, in *forma* esse Dei, aut *εἶναι ἴσα Θεῷ*; quamvis *Athanasius* aliique antiquiores patres de divinitate Christi istas interpretari soleant locutiones. Ad divinam itaque naturam formaliter non magis pertinet exinanitio quam exaltatio. Cum vero alias LEO ea, quae utrique naturae sunt propria, accurate atque orthodoxe distinguat, imo aperte profiteatur, serm. 21, 2. summae et aeternae essentiae naturam non recipere diminutionem et varietatem: mirandum sane est, eum sibi non cavisse ab hoc errore. De caeteris quidem exinanitionis gradibus satis accurate disserit, omnesque et actiones et passiones, quae eo referri solent, naturae humanae absque ulla haesitatione assignat: sed in hac re documentum nobis reliquit, quanta in hominum animos vis sit erronearum scripturae interpretationum praeconceptarumque opinionum, imo etiam formularum antiquitus re-

ceptarum. Vix vero admittenda videtur excusatio aut a latiori vocabuli significatione, aut ab humilitate rerum, quae ἐνσαρκωσιν circumstabant, petita.

II. *Exinanitionis forma*, si ea ex LEONI's mente est describenda, in eo posita fuit, partim ut salvator se *abdicaret*, non ab ipsa quidem divina maiestate, sed a perpetuo, pleno atque glorioso divinarum perfectionum et dignitatis *usu*; partim ut ipsam hanc maiestatem cum humana natura communicatam *occultaret*. Non enim est defectio potestatis, exinanitio ep. 28, 3. neque ab aequalitate paternae gloriae filius Dei unquam recessit, cap. 4. sed *intra semetipsam continuit* et claritatem suam et potentiam immutabilis Deitas, S. 29, 2, ut verbi *maiestate velata*, dispensatio humanae redemtionis impleretur. ep. 124, 7. Propter nostram infirmitatem extenuavit se, incapacibus sui, et velamine corporis splendorem maiestatis suae, quem visus hominum non ferebat, *obtexit*. Hinc exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute evacuaverit, dum in ea humilitate, qua nobis consuluit, non solum patre, sed etiam seipso (alia enim est persona,) factus est inferior. Sed hoc ipsum praestari ut potuerit, divina omnipotentia opus erat. s. 25, 2.

III. Sigillatim aliquid addere lubet de quibusdam huius status momentis. 1) *Derelictionem* Christi in cruce, si LEONIS iudicio standum esset, non ita intelligere liceret, quasi ab eo relinqui potuisset, a quo non poterat separari; cum in tantam unitatem Dei et hominis natura conveniret, ut ne

supplicio quidem potuerint dirimi. Quemadmodum ergo non aberat a patre filius nec a filio pater, ita etiam caro non dividebatur a Verbo. Reliquit tamen eum (Christum) non solum Pater, sed etiam ipse se quadam ratione deseruit, voluntaria scilicet cessione. Nam nisi continuisset se ab impiis crucifixi potestas, sed uti voluisset Christus virtute manifesta, non potuisset humani generis redemtio perfici. Igitur vox ista: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti,* doctrina est, non querela [54]. Nostra enim intererat intelligere, cur caro, pati metuens, Matth. 26, 39. *non* fuerit *exaudita*, id est *relicta.* Docet itaque Christus, potestatem redemtoris nihil conferre humano generi, si quod petebat, nostra obtinuisset infirmitas. serm. 67 et 68. Doloris itaque tristitiaeve

54) Cum his probe concordat interpretatio querelae similis, quam a Domino in horto Gethsemane emissam memoriae prodidit Matthaeus cap. 26, 38. 39. Quibus verbis, quandam formidinem profitentibus, Christum *nostrae infirmitatis* affectus *participando curasse*, et poenalis experientiae metum *subeundo pepulisse* existimat LEO S. 59, 4. qui remedii tantum h. l. mentionem facit, expiationis vero, quae ad Deum referatur, ne verbulo quidem meminit. Aliter ista verba, quibus derelictum se esse a Deo queritur dominus, exponit *Leporius.* Putat scilicet hic usum esse Christum quasi carnis ipsius voce; *corpus* iam mortuum indicasse his verbis, (per πρόληψιν,) se a Deo et anima esse relictum et vere mortuum; posuisse autem Christum (sive potius corpus Christi mortuum, quod hic quasi loquens inducitur) praeteritum pro futuro, quoniam mortui loqui non solent, et tamen sine isto indicio nemo veram Christi mortem crediturus fuisset.

acerbissimum sensum, peccatorum nostrorum, quae Christus tulit, proprie dictam *poenam*, in derelictione non agnoscit LEO. Concinunt alii rei christianae statores antiquiores. *Hilarium Pictav.* praetermitto, qui, verum doloris sensum in Christo prorsus negans, derelictionem in separatione verbi a corpore posuit. Comment. in Matth. cap. 33. p m. 434. *Gregorius Nazianz.* serm. 4. de theologia edit. Colon. 1690. T. I. p. 580. arbitratus est, figurata hic tantum esse ea, quae nostra sunt (το ἡμετερον); nos enim eramus derel cti. Timebant scilicet homines, ne nimis abiecte de Iesu Christo Dei filio loqui viderentur, et animos hominum Christianae religioni infensorum prorsus ab ea abalienarent, si, ut iam posteriores solent, de sensu mortis aeternae poenarumque infernalium haec verba exponerent. Accedit, quod temporibus LEONE anterioribus de satisfactione Christi vicaria, et poenis nostro loco ipsi irrogatis parum accurate cogitaverint plerique christiani. Quatenus vero LEO cum caeteris ecclesiae priscae doctoribus hac in re concordet, ex illis iudicari poterit, quae §pho 39. dicemus. — 2) In *triduo mortis* anima Christi descendit ad inferna, sed caro requievit in sepulcro. ep. 15, 17. Verum sicut nec carni nec animae defuit ullo temporis puncto virtus verbi, ita quoque id, quod erat mortuum, resuscitatum est per id, quod non poterat mori, per divinam Christi naturam. serm. 70, 3. 55)

55) Rectius quam multi patres de hac re disserit LEO.

§. 31. *Exaltationis status* totus ad humanam Christi naturam pertinet, et ὁμοουσιος Dei filius non nisi ob naturarum communionem arctissimam exaltatus dici potest. Ep. 124, 7. Etenim nunquam creatori suo non fuerunt subiecta quae condidit. Ep. 59, 3. Quare quicquid in forma servi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipse donavit. ep. 124, 7. Saepius haec urgentur contra *Eutychen*, qui, dum unam του λογου ἐνσαρκου φυσιν defendebat, non poterat non, ut LEO quidem inde cogit, eidem naturae exaltationem attribuere, cui ex omnium consensione per se infinita competit maiestas. Tanto magis vero est mirandum, LEONEM, dum doceret naturam divinam exinanisse se suscipiendo carnem, in eundem fere errorem incidisse, quem admisisse creditur *Eutyches*, statuens divinam naturam fuisse exaltatam.

§. 32. Superest, ut de *consilio*, quo filius Dei humanam naturam sibi univit, duplicemque exinanitionis et exaltationis statum experiri voluit, aliquid dicamus. Solent recentiores christianae religionis administri istas utilitates omnes, quae per Salvatorem in genus humanum redundarunt, ad tria genera re-

---

Leporius v c. in libell. satisfactionis, cui ipse etiam *Augustinus* subscripsit, cum aliis episcopis Africanis, putat terrenum *corpus* necessario fuisse per mortem crucis pro tempore *relinquendum* non solum a *Deo*, verum etiam ab *anima* sua, *quae* erat unita cum Deo. „*Non* crucifixum hominem in *poenam*, sed exanimem carnem deseruit" etc.

ferre, quia triplici functionum genere mediatorem ea, quae ad salutem hominum pertinent, peregisse statuunt. Alia itaque beneficia per ipsum nobis obtingere docent, quatenus *sacerdotis* officio perfungitur, alia in quantum *prophetae* munia obiit, alia denique quatenus *regnum*, cum in omnes res creatas, tum in primis in ecclesiam capessivit. Sed alium secuti sunt tropum paedias antiquiores theologi, in quorum grege LEO etiam est annumerandus, qui sacerdotem et prophetam et regem esse ac dici posse Christum, neutiquam quidem negat, verum isto tamen, nobis usitato, beneficia per Christum parta recensendi ordine, in scriptis suis utitur nusquam. Officium Salvatoris propheticum ac regium perraro et leviter admodum attingit, quo fit, ut valde parcus sit in tractandis nonnullis, quae nos ad munus Christi mediatorium referre, et locupleti oratione exponere solemus. Contra ea habet haud pauca, quae vix sub triplici illo functionum genere comprehendi possunt. Quamobrem confido fore, ut omnes theologicarum causarum aequi aestimatores, qui, quanti momenti haec quam ago res sit, recte perspiciunt, non prorsus vituperent eam, quam huic materiae impendere constitui, operam. Omni itaque diligentia, quantum per libelli angustos limites licet, accurate inquiram, quaenam sint eae rationes, propter quas LEO M. necessariam reputaverit την του λογου ἐνσαρκωσιν, et quosnam fructus ex incarnatione, vita, passione, morte, resurrectione etc, Christi, in homines redundare existimaverit. Antequam

autem ad specialiora pergam, aliquot afferam formulas, quibus omnia per Christum nobis parta beneficia complectitur LEO. Totum, ait, quicquid in Christo et virtutis divinae est et infirmitatis humanae, ad nostrae *reparationis* tendit effectum. ep. 28, 2. 16, 3. Aliter enim nulla posset caro salvari, et nemo tetram *diaboli dominationem* evaderet, nec cuiquam aut *reconciliatio* ad veniam, aut reditus pateret ad *vitam*, nisi filius Dei etiam hominis filius esse dignaretur, serm. 52, 1. per quem nobis est *sacrificium redemtionis*, *abolitio* peccati, et ad aeternam vitam initium *resurgendi*. serm. 48, 1. *Medicina* aegris, [56] *reconciliatio* reis, *redemtio* impensa est captivis; S. 56, 1. in redemtione Iesu Christi et *salus* est et *iustificatio* serm. 52, 1, Gloria enim dominicae passionis omnes nos et *redemit*, et *docuit* (exemplo,) [57] ut unde da-

---

56) Venit e coelo Christus medicus singularis, serm. 64, 1. ut contagia nostra auferret, vitiis mederetur, languorem corruptionis et universa ulcera sordentium curaret animorum, novamque impollutae sinceritatis *gratiam corporibus humanis* inferret, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donaret virtutem. S. 22, 2. Ad corpora etiam refert gratiam LEO, non solum quia immortalitatem iis per Christum rursus partam esse existimavit, verum etiam quia animae languores magna ex parte derivare solet ex corporea infirmitate. S. 71, 6. Gratiam itaque h. l. informat fere vim aliquam *physicam*, quae corruptionem superat corporis.

57) Alium locum, quem haud praetermittendum putamus, de doctoris provincia, quam Christus administravit, hic indicabimus e serm. 23, 3. „Ut a mundanis revocare-

tum est pretium, inde et *iustitia* (inhaesiva, forma iustitiae quam sequeremur imitando, serm. 62, 5.) sumeretur. serm. 63. 1. Ab omnipotenti *medico* duplex nobis remedium praeparatum est, cuius aliud est in *sacramento*, aliud in *exemplo*. serm. 67, 5. Possent nonnulla adhuc ex serm. 22. his addi, sed ad specialiorem potiorum momentorum tractationem progredimur.

§. 33. I. *Iesus Christus redemit homines a potestate diaboli et mortis.* Diabolus non immerito sibi in omnes homines *ius* tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei *sponta-*

---

mur erroribus, ipse ad nos descendit — Ad auferendum ludibrium, quo captivae mentes superbienti diabolo, (falsi nominis scientia homines fallenti) serviebant, *non sufficiebat* doctrina *legalis* nec per solas cohortationes *propheticas* poterat natura nostra reparari; sed adiicienda erat veritas redemtionis moralibus institutis, et *offerenda erat* pro reconciliandis *hostia*.„ Recte utrumque coniungitur, cum sine altero neutrum nobis potuisset prodesse. Sed singularem ob causam utrumque 1. 2 o connectit. Quum scilicet diabolo iustum in homines ante Christi redemtionem imperium tribueret, non potuit non opinari, nihil profuturam fuisse hominibus liberationem ab erroribus, nisi simul in libertatem vindicarentur a diaboli, errorum auctoris, tyrannide. Caeterum memorabilis est *Hilarii Pictav.* de provincia, quam Christus administravit, sententia: Proprium, ait, Domini nostri I. C. *officium* est, cognitionem Dei afferre, et intelligentiam nominis eius potestatisque praestare. *Comment. in Matth. cap.* 23.

neos in obsequium suae voluntatis illexerat. Poterat quidem maiestas filii Dei creaturam, ad imaginem divinam conditam, a iugo diri dominatoris sola Deitatis virtute liberare: sed non *iuste* amitteret originalem humani generis servitutem tyrannus, nisi *de eo*, quod non sine liberi arbitrii consensione subegerat, vinceretur. Multo vero minus causam lapsorum sola agere potuit natura mortalium, quoniam non exueretur a conditione, quae libera non esset a genere. Deus itaque, cuius voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga homines pietatis suae dispositionem *sacramento occultiore* complevit. Filius igitur Dei natus est homo verus nobisque ὁμοούσιος. Natus vero est ex virgine, partim ut esset absque omni contagione peccati, partim ut natam humano generi salutem *ignoraret* [58]) diabolus. Cum itaque salvator sic susceptionis humanae moderaretur exordia, ut Deitatem (virtutem inseparabilis a suo homine deitatis) *per velamen* nostrae infirmitatis *absconderet*, illusa est securi hostis astutia, qui sciens, quo naturam humanam infecisset veneno, nequaquam credidit primae transgressionis exsortem, quem multis tenta-

---

58) Idcirco e virgine *desponsata* nasci voluit salvator, ut ne diabolus in virgineo conceptu *θεῖόν τι* subolfaceret. Sic ex antiquioribus multi graeci latinique philosophati sunt; secuti, ut videtur, aliquam παράδοσιν, quae, pro rerum et temporis ingenio, hominum quorumdam praeconceptis opinionibus aliquid concessit, quod ab aliis, alio in loco et tempore, non erat studiosius repetendum.

minum generibus [59]) didicerat esse mortalem. Vidit plane singulares Iesu Christi virtutes; quare securum se fore credidit de perpetuitate sui *iuris*, si nulla iustitiae merita mortis iura superare potuissent [60]). Perstitit ergo improbus praedo et avarus *exactor* in eum, qui nihil morti debebat, insurgere; et dum vitiatae originis praeiudicium generale persequitur, *chirographum*, quo nitebatur, *excessit*, ab illo iniquitatis exigens poenam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque letiferae *pactionis* male suasa *conscriptio*, et per *iniustitiam plus petendi* totius debiti summa vacuatur [61]).

---

59) Solent etiam multi patres tentationis historiam Matth. 4. et Luc. 4. ita exponere, ut et Satanam idcirco statuant tentasse Dominum, ut experimento cognosceret, quis sit ille homo plane singularis, morum sanctitate caeteros omnes longe antecedens; et Christum eam ob rem *oeconomice* ac κατ' ἀμφιβολίαν contendunt respondisse diabolo, ne hic se filium Dei esse certo posset resciscere. Similia *L e o* etiam narrat s. 40. 3. 42, 3.

60) Aliter alii. *Origenes* v. c. putat principes mundi (habentes singuli sapientias suas et adstruentes dogmata sua variasque sententias) iratos fuisse, cum viderent Dominum praedicantem, se ob hoc venisse, ut destrueret omnia illa quaecunque essent falsi nominis scientiae dogmata. *De principiis* 3, 3. T. 1. p. 143.

61) Plane concinunt *Hilarius Pictav. Ambrosiaster, Pacianus* aliique; sed paulo aliter mente conceperat rem *Basilius* ad Ps. 48, (hebraic. 49,) 8. qui diabolo *persuasum* esse fingit, ut captivos suos servos *ultro* ac *lubenter* (ἑκὼν) dimitteret, pro λύτρῳ a redemtore ipsi oblato, quoniam longe maioris pretii hoc esse putaverit, quam omnes, quos cap-

Sic *in redemtoris ius transiit pactum captivitatis*, et diaboli destructus est principatus. Ligato autem mundi principe, captivitatis vasa rapiuntur; Christus iis victoriam suam tribuit, in quorum corpore triumphavit; et effusio eius sanguinis tam dives fuit ad pretium, ut si universitas captivorum in redemtorem suum crederet, nullum diaboli vincula retinerent. serm. 22, 1. 3. 4. 56, 1. 62, 3. Ep. 28, 2. 124, 7. etc.

Mortem simul sua virtute destruxit salvator, dum vicit diabolum, qui mortis habebat imperium, omnesque hominum generationes mortali sibi lege subiecerat. Quia itaque gloriabatur seductor, hominem immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam et ab aeternitatis arce esse deiectum, *leges inferni* moriendo subiit redemtor, secreta usua dispensatione (οἰκονομιαν graeco nomine dicunt;); sed resurgendo easdem dissolvit, et ita perpetuitatem mortis incidit, ut eam de *aeterna* faceret *temporalem*. Nam temporali sua morte aeternae mortis

---

tivos detinebat, homines. Eodem modo alii etiam patres hanc hypothesin informarunt. In eo vero plerique v. c. *Origenes*, *Gregorius Nyss.* etc. conspirant, λυτρον (animam Christi) non Deo patri datum esse, sed *diabolo*. Lectu etiam digna sunt, (historiae caussa,) quae de λυτρῳ disputat *Gregor. Nazianz.* orat. 42. quae secunda est in Pascha. num. 48. Et in *Photii* bibliotheca cod. σλβ. ex Stephani Gobari Tritheitae libro pag. 476. edit. Hoeschel. recensetur quasi problema, utrum Deo an diabolo Christus λυτρον dederit; quia patrum divisae fuerunt sententiae.

vincula disrupit, et per resurrectionem non solum animae, sed etiam *corporis immortalitatem* declaravit, quia aliter nunquam valuisset ad aeternitatem redire mortalitas [62]). Natalis itaque Christi, natalis fuit vitae. Nam sicut per Adamum mors, ita resurrectio mortuorum est per Iesum Christum, qui letale chirographum diluit, dominationem principis mundi *e corporibus* eiecit, et novam impollutae sinceritatis gratiam humanis corporibus intulit S. 21. 22. 59. 8. 62, 3. 64, 2. 69, 3. 70, 1. 3. 4. 73, 2. ep. 28, 2. 3. 165. 4. 9. etc.

§. 34. Paulo verbosiores in describenda hac hypothesi fuimus, ut luculento specimine uno in medium prolato, de aliis multis *dogmaticis hypothesibus* tam vetustioribus quam recentioribus, earumque indole generatim, facilius et rectius iudicari posset: quod quidem tanti momenti esse arbitramur, ut si aut plane negligatur, aut minus fiat *liberaliter*, in-

---

62) Huius hypotheseos fautores plena enumeratione recensere qui velit, illi quam plurimorum patrum antiquiorum nomina longo ordine essent recitanda. *Immortalitatem*, per Adamum amissam, reparatam esse Christi beneficio, consona est omnium fere vox, licet in definiendo medio discrepent, per quod haec gratia hominibus iam actu adplicetur. Plerique per sacram coenam, (quam ideo infantibus etiam statim post baptismum, porrigebant,) fieri hoc existimabant: nec tamen deerant, qui baptismatis potius hanc esse efficaciam arbitrarentur, ut per illud ad ἀθανασιαν ac ἀφθαρσιαν regenerentur, quotiquique sacro fonte abluantur.

signi ad religionis christianae iustum modum penitius perspiciendum adiumento nos fraudari existimemus. Ea scilicet semper fuit, ut omnis cognitionis humanae, ita inprimis scientiae quae de Deo rebusque divinis exponit, sors, ut *vicissitudinibus* subiecta fuerit innumeris, et pro vario locorum, temporum, atque hominum ingenio, varia et ipsius fuerit conditio. Non ita multo post Christi e terris abitum, in contrarias christiani discesserunt sententias, multaeque exortae sunt *haereses* h. e. hominum societates, qui de rebus *theologicis* aut *christianis* [63]) secus sentiebant, quam *οἱ πολλοι*, et proprias suas sequebantur hypotheses. Romanus vero episcopus, aulico plerumque fretus favore, aliarum sedium praesulibus in consilii societatem adsumtis, arrogavit

63) *Theologiam* publicam hic distinguimus a *religione christiana*, privata maxime. Posterior haec ad omnes christianos pertinet; prior illa ad doctores spectat, et recte in erudita sanae religionis adiuvandae cognitione ponitur. Hinc porro colligimus, concertationes inter christianos ortas referendas esse vel ad hanc, vel ad illam. Utrumque dissensionum genus *haereseos* nomine hic complectimur, quia ecclesiastico stilo sic dici solet. Potest enim argumentis exceptione maioribus evinci, non omnes, qui *haeretici* nuncupantur, errasse in ipsa a Iesu Christo et apostolis tradita *religione*, quae doctrinis de Deo et hominum cum eo coniunctione, in sacra scriptura diserte expositis, et ad salutem, emendationemque salubrem scitu necessariis, continetur: sed multos dissensisse tantum in rebus, quae ad *eruditam* religionis tractationem pertinent, et proprium subactioris ingenii usum occupant.

sibi hoc, ut ad suae doctrinae trutinam, christianorum omnium fidem expenderet, omnesque ab ista norma paulum recedentes, non modo *catholicorum* christianorum s. ecclesiasticorum, sed etiam *orthodoxorum* (quasi catholica ecclesia, maior christianorum pars, semper recte et sentiat et agat) titulo spoliaret, eosque, quae erat illorum hominum temporumque inhumanitas, diabolo traderet, extra ecclesiam, catholicam illam, non esse salutem decernens [64]). Rebus ita se habentibus in summam invidiam haereticorum adductum est nomen, sensimque denotare coepit christianos, erroribus aeternam salutem impedientibus, pertinaciter deditos. Ab his itaque ut se manifeste non solum seiungerent, sed iis etiam felici successu contraire possent catholici, *novas* subinde *hypotheses* excogitarunt, et melioribus utilioribusve repertis a vetustioribus discesserunt [65]). Ita

64) Per excommunicationem putabat LEO animam, pro qua Christi sanguis effusus est, sauciatam et inermen quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, ut facile caperetur, obiici. Ep. 10, 8.

65) Rem exemplo declarabimus. Constat inter omnes, antiquissimos patres non paucos, inde a *Iustino Martyre* docuisse, indignum esse Deo Patre, τῳ των ὁλων Θεῳ, ingenito, invisibili (Ioh. 1, 18.), ut descendisse et apparuisse Patriarchis in V. T. dicatur; sed filium saepius videndum se praebuisse Adamo, Abrahamo, Mosi, aliisque. Hoc vero cum Ariani ita exponerent, ut filium non eiusdem qua Pater est, sed ignobilioris naturae esse inde cogerent, et orthodoxos hac ratione premerent, placuit catholicis posteriorum seculorum Patribus nonnullis, sententiam antiquitus

evenit, ut dogmata sua curatius definirent, eaque novis firmioribusque argumentis confirmarent, et innumera conquirerent, quibus haereticorum hypotheses convelli existimabant; quae quidem studia, uti insignem attulerunt theologicae *eruditioni* utilitatem, copiam certe et diligentem rerum distinctionem, ita summis laudibus merito sunt celebranda. Ista vero sunt, quae censuram mereri videntur: alterum, quod rationes postpositae saepe fuerint auctoritati, mandatis, vi; alterum, quod isti homines interdum ausi sint, omnes omnium temporum christianos ita hypothesibus suis et formulis adstringere, quasi minus liceat aliis, quam ipsi sibi licitum esse recte intellexerunt. Sed *protestantes* tandem ecclesiae acerbissimum illud iugum excussere. Antiquissimis quoque temporibus, inter eos etiam qui *catholicae* fidei vindices se professi sunt, non defuerunt *novarum hypothesium* auctores, quos vero quoniam in doctrinis, ut ita dicam, *symbolicis*, publicis certe *dogmatibus*, orthodoxorum secuti sunt decreta, nemo unquam *haereticis* accensuit [66]). Hanc vero incre-

---

defensam deserere, istasque apparitiones *angelis* tribuere creatis. Laudavit Rich. *Simon* et *Quesnellius Augustini* locum *de trinit.* libr. 2. et 3. ubi recentior haec hypothesis magna contentione asseritur. Sed LEO M. cui sane neque Arianorum oppositiones, neque *Augustini* scripta ignota esse poterant, antiquiorem sequitur hypothesin, et Ep. 31, 2. *filium Dei* dicit patriarchis et prophetis apparuisse, sermones cum iis conseruisse, appositum cibum sumsisse etc.

66) *Facundus hermian. pro defensione* 3. *capitul.* Lib. 12. „Etiam Apostolorum tempore multi ignorabant aut aliter

dibilem opinionum de rebus theologicis varietatem, non est quod quis miretur, nisi forte aut omnem theologicae eruditionis ambitum ex compendii alicuius modulo metiatur, aut quae sit humanae intelligentiae indoles prorsus ignoret. Per ipsam, inquam, intellectus nostri naturam non eadem sentire possumus omnes. Qui ea quae tantummodo *creduntur* ab aliis, ipsi audent *mente complecti*, et intelligendis rerum theologicarum rationibus ac perspiciendo dogmatum nexui, qui multiplex esse potest, operam dant; neque cuncti aequalibus a natura praediti sunt animi dotibus; neque iisdem omnes imbuti opinionibus ad theologiae tractationem accedunt; neque iisdem adminiculis aeque bene omnes utuntur; neque tandem eadem cuncti sequuntur consilia. Sed nihil fere plures peperit dogmaticas hypotheses, quam eruditionis humanae, pro temporum indole, varia ratio, placita philosophorum, opinionesque vulgariter receptae, de rebus pneumatologicis, psychologicis et moralibus. Qui enim de his aliter sentiebant quam caeteri, aut omnem omnino proprium cogitandi usum debebant eiurare, aut profecto decretis theologicis aliorum hominum, qui oppositas sequebantur ἐννοίας, et aliis ministeriis consiliisque religionem christianam adiutum ibant, subscribere non poterant. Ii contra facile in theologicae alicuius quaestionis definitione concordabant, quorum erat eadem, de aliis cogni-

---

sentiebant, quam veritas (a nobis scilicet perspecta) fert, tamen *catholici.*"

tionis humanae partibus sententia. Mirum itaque videri potest nemini, quam plurimos olim christianorum doctores magno consensu conspirasse in asserendis quibusdam hypothesibus, quas postea, mutato eruditionis humanae statu, nemo magnopere defendit.

§. 35. His annumeranda est etiam ista, quam descripsimus, de redemtione hominum a diaboli ac mortis potestate, hypothesis. Tantum non omnes priorum seculorum patres ei favent, et quamquam nonnulli aliquid aut detraxerint, aut mutaverint, aut de suo addiderint, in re tamen ipsa, diabolum a redemtore, divinam suam virtutem occultante, deceptum esse, inter se conveniunt [67]. Neque *catholici* tantum doctores his ἐννοιαις delectabantur, sed *haereticorum* etiam familiae nonnullae, eae prae-

67) Otium fere nobis hic fecit S. V. PRAESES, qui in dissertatiuncula, qua diem Salvatoris natalem pie colendum academicis civibus 1764 indixit, de vetustissimorum quorundam egit ἐννοια, humana Christi natura studiosius impositum fuisse diabolo. Recenset autem huius opinionis adsertores, e graecis, Clementem Alex. Irenaeum, Ignatium, Origenem, Athanasium, Basilium, Gregorium Naz. et Nyss. etc. a latinis vero, praeter LEONEM, laudat Hilarium Pictav., Hieronymum, Augustinum, *Maximum* denique taurinensem. Quae igitur ibi a *Viro incomparabili* disputata sunt, huc transscribere non opus est. Inter omnes vero, quorum nomina hic enumeravimus, a LEONIS νοηματι proxime abest *Gregorius Nyssenus*, in libro, qui inscribitur λογος κατηχητικος ὁ μεγας cap. 22. seq.

sertim quae γνωσεως aucupio dediti erant, similia fere sibi finxerunt commenta, de secreta aliqua dispositione, per quam imperium spiritualium potestatum, salvatoris personam ac provinciam ignoratium, abolitum sit. *Simonem* [68]) (si quidem hunc annumerare huic gregi licet) atque *Basilidem* talia commentos esse docet *Irenaeus*, *contr. haer.* *L.* I. c. 23. §. 3. et cap. 24. §. 4. *Marcion* etiam multis argumentis, vel e sacro codice desumtis, probare ausus est, Deum Iudaeorum, (*iustum* illum quem a *bono* Deo distinguere, eique mundi creationem tribuere solebat,) Christum per Iudaeos cruci affigendum ex ignoratione curasse, „nesciens, ὁτι ὁ Θανατος του ἀγαθου σωτηρια ἀνθρωπων ἐγενετο.„ conf. *Origenis* si placet, *Dialog. contra Marcion. sect.* 2. et *Beausobre hist. crit. Vol.* 2. p. 110. Hi vero homines, cum de salvatore longe aliter sentirent, quam catholici, neutiquam quidem potuerunt totam illam hypothesin, ut v. c. LEO eam describit, suam facere: at usi tamen sunt huiusmodi ἐννοιαις, quas varie et inter se et cum aliis combinabant, ad stabiliendas, quantum poterant, suas opiniones. Multorum quoque *apocryphorum* librorum auctoribus admodum placuit ista hypothesis. *Evangelium* praesertim, quod *Nicodemi* nomen prae se fert, copiosissime rem exponit, eamque cum Christi descensu ad inferos con-

---

68) Conf. *Tertullianus de anima* c 34. qui ita exacte cum *Irenaeo* Lib. I. cap. 23. concinit, ut vel alter ex altero, vel uterque ex uno eodemque fonte hausisse dicendus sit.

iungit. Vid. *Fabricii cod. apocr. N. T. P. I. p.* 276. seqq. *Testamenta* vero XII. *Patriarcharum*, cum non solum antiquiora sint ista scriptione, verum etiam ab homine non prorsus inepto exarata esse videantur, utiliora sunt ad historiam istius *νοηματος* intelligendam. Vestigia eius deprehenduntur in *testamenti Levi* cap. 14. et 18. *Zabulon* 9. *Dan* 5. *Aser* 7.

§. 36. Praeter ea, quae iam observavimus, annotamus ista adhuc, quae ad hanc causam pertinent.

1) Hypothesin de redemtione hominum a diabolo et morte, cum aliis, quibus ea exornatur figmentis, *superstructam esse* opinionibus, maxima ex parte, *iudaicis*, de inferno et diabolo, eiusque imperio infernali, de tyrannide quam malae potestates ac spiritus in mundum exercent, de morte etc. Ex his fontibus profluxisse ista *νοηματα*, tam ex aliis indiciis [69]; quam ex convenientia rerum ac sententiarum liquido apparet. Christiana enim ista carmina, de Christi victoria etc. non solum ipsa necessario occupant iudaicas de *ᾅδῃ* opiniones, verum etiam plerumque connectuntur cum aliis opinionibus

---

69) Huc referimus v. c. quod *Simon* et *Basilides*, qui primi fere de ignorantia diaboli aliquid memoriae prodidere, placita sua, magna ex parte, e Iudaeorum, Graecorum praesertim, rivulis hauserint. Auctor etiam *testamentorum* XII. *patriarcharum* tot habet sententias e Iudaeorum disciplina desumtas, ut *Grabius* aliique, quamvis minus firmis rationibus usi, Iudaeum eum fuisse asseruerint. Iudaeo — christianus rectius dici poterat.

v. c. de descensu Christi ad inferos, de eductione Patriarcharum ex orco per Christum [70]), etc. quae iudaicas ἐννοιας ponunt.

2) Iudaicae illae opiniones de spiritualibus potestatibus etc. multis etiam *christianis* doctoribus placuerunt, et per hos novis quibusdam mysteriis, vel ab ipsis excogitatis, vel e διδασκαλιᾳ ἀνατολικῃ desumtis, auctae sunt. Occasionem huic rei, inter alia, praebuit graeca versio των ό, e qua ista commenta confirmari posse videbantur. Sed nihil maiorem addidit auctoritatem ἐννοιαις illis de angelis bonis malisve, eorumque ordinibus, officiis, potentia, de spiritualibus δυναμεσι, rectoribus huius mundi etc. quam sententiae nonnullae N. T. vel κατ' οἰκονομιαν dictae eo tempore, quo repleti erant homines hujusmodi opinionibus, vel minus bene intellectae.

3. Istius, de qua agimus, hypotheseos, de ignorata a diabolo salvatoris provincia, hominumque ex orco redemtione, auctores erant *christiani*

---

70) *Grabius* in *spicil. Patr. sec. I.* p. 264. e. *Bereschith Rabba* super Gen. 44, 18. iudaicum testimonium pro ascensu Messiae ex inferno laudat: ascendent captivi ex inferno, et Deitas (השכינה) in capite eorum. Ex eodem commentario super Genes. 1. *Grabius* p. 362. alium affert locum, in quo Messias cum Deo loquens ita inducitur: Suscipio super me tribulationes istas, sub hac conditione, ut resuscites mortuos in diebus meis, et quidem eos, qui mortui sunt a primo Adam usque nunc etc. (Nempe ut vivant in regno millenario?)

iudaicis potissimum ἐννοιαις adsueti, ac pro seculi sui more de ἐπουρανιοις atque καταχθονιοις liberius philosophantes [72]), qui sacrorum N. T. librorum formulas, quotquot potuerunt, in suam rem sedulo converterunt. Praecipua autem *scripturae dicta*, quae fingendae huic hypothesi locum dederunt, sunt: 1 Cor. 1, 21. Ubi (ut *Beausobrius* e *Tertulliano* et auctore *dialog. contra Marcion.* docet, *hist. critiq. tom.* 2. p. 110.) per κοσμον deum huius mundi intelligi voluit *Marcion* Eph. 3, 9. ubi reiecto vocabulo ἐν, *Marcion* legi iussit: μυστηριου του ἀποκεκρυμμενου ἀπο των αἰωνων τῳ Θεῳ, τῳ τα παντα κτισαντι. (conf. *Beausobre* loc. cit.) Col. 1, 13. 1 Petr. 3, 19. et 4, 6. Hebr. 2, 14. Ps. 2, 2. (confr. *Origenes de princip.* 3, 3.) Provocant etiam multi patres ad Iobi 41, 20. *duces draconem* (diabolum) *in hamo*, atque

---

72) Neque tamen abnuerim, si quis pertendat *a gnosticis* originem duxisse hanc hypothesin. Nempe duo in ea possunt νοηματα a se discerni, quorum alterum de redemtione ex tartaro exponens, quantum quantum est, iudaicum est; alterum, ignorantiae diabolum aut deum huius aevi accusans, a gnosticis primo repertum esse videtur. Verum primi gnosticae disciplinae statores, quamvis Iudaismum spernerent, parum tamen a permultis abfuerunt placitis Iudaeorum, eorum puta, qui philosophiae, Platonicae potissimum, amore ducti, litteram aspernabantur, et allegorico sacros libros interpretandi genere mirifice delectabantur. Hi, inferentes patriae religioni sua φιλοσοφουμενα, γνωσεως quamdam speciem praeiverunt, caeterosque, quos πνευματος plane expertes putabant, contemnere ipsi solebant.

varia hinc comminiscuntur carmina de deitatis ἀγκιςτρῳ intra naturam Christi humanam abscondito. A LEONE vero huic hypothesi *sex* praecipue *dicta* accommodantur, *α*) Ioh. 1, 5. *lumen tenebrae non comprehenderunt*; serm. 69, 4. scil. Iudaeos non solum, sed etiam diabolum latebat consilium Dei. *β*) 1 Cor. 2, 8. *Si enim cognovissent, nunqum dominum maiestatis crucifixissent*; serm. 69, 4. Quem locum Paulinum fautores huius hypotheseos ita interpretantur, ut per ἀρχοντας (ἀρχας, angelos, Elohim) του αιωνος τουτου intelligi contendant spirituales potestates. Conf. S. 60, 3. *γ*) *Omnis faciens peccatum, servus est peccati* Ioh. 8, 34. hinc *iustum* diaboli in homines dominium. serm. 56, 1. *δ*) Oseáe 13, 14. *O mors, ero mors tua* etc. Impletum hoc est, cum Iesus moriendo *leges inferni* subiret, et resurgendo eas dissolveret. serm. 59, 8. *ε*) Rom. 5, 2. *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia.* ep. 124, 3. et 165, 4. LEO hunc locum ita cum variis phrasibus, de mortis vinculo per peccatum contracto, de captivis et debito servitutis, de vinculis diaboli atque de pretio a Christo soluto, connectit, ut vix dubitem, quin per *peccatum abundans* intellexerit illam diaboli iniustitiam, qua, chirographum *excedens*, debitum ab eo exegit, qui (ut LEO loc. cit. scribit) solus morti nihil debuit. Nempe cum diabolus dominium suum exercere vellet etiam in Christum, liberati sunt a servitute ii quoque, qui iuste diaboli erant servi. Sic validius factum est (superabundavit) donum libertatis, quam debitum servitutis. *ϛ*) Rom.

8, 3. Nam Serm. 69, 3. ubi admodum verbosus est in exponenda ista hypothesi, verba Pauli: *ut de peccato damnaret peccatum*, excitat, iisque hanc interpretationem adiungit: *et diaboli opus* (peccatum [72]) captivitas, aeterna mortis duratio,) *de opere diaboli* (Iudaeos ad occidendum Christum insontem iniuste instigantis, sed in praeiudicium suum sae-

72) *Athanasius orat. contra Arianos* I. §. 60. collat. 57. et II. §. 55. 56. hunc locum ita explicat, ut statuat, remotum esse a carne delictum, quo captiva perpetuo tenebatur, adeo ut divinum sensum (τον θειον νουν) non valeret recipere; carnis peccatum ex carne esse expulsum, ne regnare perseveret; Domino in carne habitante, peccatum in carne penitus esse exterminatum, carnem autem factam esse δεκτικην του λογου (sive ut *Cyrillus* in thesauro p. 208. scribit του ἁγιου πνευματος); nos habere ἐλευθερον το φρονημα: cum quibus conferri etiam possunt quae orat. 2. §. 69. leguntur, e. g. profligatum esse serpentem a salvatore in carne eum persequente; praecisum esse quicquid mali exoriebatur ex carnis motibus, et ipsam mortem, peccati comitem, simul fuisse interemtam. Non longe abest *Athanasius* a LEONIS sententia, quod ad expositionem posterioris partis huius loci (κατεκρινε την ἁμαρτιαν ἐν τη σαρκι) attinet; sed de verbis περι ἁμαρτιας nihil prorsus addit, neque eorum mentionem facit, nisi ubi totum Pauli locum recitat. Posset hinc forte dubitari, an verba περι ἁμαρτιας in textu Athanasiano ab initio fuerint posita, praesertim cum eadem ignoret *Cyrillus in thesauro. op. tom. 5. part. 1. p. 162. edit. Auberti* collat. p. 160, qui liber, (ut nuperrime detexit S. V. PRAESES vid. Sammlung über die Beweisstellen der Dogmatic, Stück 2. p. 221. seqq.) cum *athanasianis orationibus* ita convenit, ut nihil fere quicquam sit in alterutra,

vientis,) [73]) *solveretur.* Ibidem etiam LEO ad alias huius loci Paulini phrases alludit v. c. ad ὁμοιωμα σαρκος ἁμαρτιας. Certe ad νομον της ἁμαρτιας

---

scriptione, quod non in altera quoque simili modo et similibus plerumque formulis expressum legatur. Etiam in *homil. paschal.* 8. *tom.* 5. *part.* 2. *pag.* 105. omisit *Cyrillus* haec verba. Alibi tamen in eius operibus aliquoties leguntur, ut v. c. loc. cit. *homil.* 10 *pag.* 132. nulla vero addita eorum explicatione. Posset autem credi: *Cyrillum*, diverso Epistolarum exemplari usum, diversa ratione hunc locum excitare.

73) Clarius haec exponit *Ambrosiaster in commentar. in epist. ad Romanos*, qui Apostoli verba ita explicat: peccatum peccato proprio damnavit. Christus enim cum *a peccato* crucifigitur, quod est Satanas, peccavit peccatum in carne corporis salvatoris. Hoc itaque peccato (homicidio) reus factus Satanas, amisit dominium retentarum animarum. Tom. 3. oper. *Ambrosii* Colon. 1616. p. 137. Provocat etiam hic auctor ad Coloss. 2, 14. 15. ad quem locum p. 256. nonnulla observavit, quae omnino huc pertinent „dum non peccando salvator vincit peccatum, quod hominem tenebat obnoxium, insuper et ab eo occiditur innocens: sic crucifigitur peccatum — crux enim non Salvatoris mors est, sed peccati. (Conf. *Origenis* Homil. 8. in librum Iesu Nave tom. 2, p. 416.) Innocens enim sic qui occiditur, reos illos facit a quibus occiditur. Peccatum autem principes et potestates intelligamus, quorum studio peccavit primus Adam, — qui dum exspoliantur animabus, quas tenebant in captivitate, mortificantur.“ Observandus autem est hic significatus vocabuli *peccatum.* In toto contextu Paulino Ambrosiaster per peccatum intelligi existimat vel *diabolum*, peccati auctorem, (e. gr. cap. 7. 11,) vel diabolum una cum hoc ipso, quod vocatur peccatum; v. c. vers. 8. *sine lege*

και του θανατου respexit, dum omnes homines *mortali lege* diabolo subiectos fuisse diceret.

4) Ineptam esse omnique iusto fundamento destitui hanc hypothesin, a qua recte recentiores theologi se abstinuerunt, non est quod multis probemus.

5) Sed nemo tamen impiam eam esse, aut christianae religioni prorsus adversariam, temere arbitrabitur. Poterant isto tempore publici religionis adiutores hisce propositionibus, cum melius non intelligerent, recte uti ad excitandas in auditoribus lectoribusve suis, (quos σαρκικους fuisse scimus et rudes,) cogitationes satis pias, et ad commovendos salubriter animos idoneas. Sed edocemur illorum exemplo, nostris hominibus eandem nos debere operam impendere, quam illi suae aetatis christianis, quamquam saepe minus feliciter, dederunt. Videmus enim tantum abesse, ut priorum temporum atque hominum beneficia excludant aut supervacua reddant nova posteriorum seculorum studia, ut potius ista haec requirant. Quemadmodum vero tenuia

---

peccatum mortuum *erat*, quem quidem locum *Origenes* etiam et *Methodius* (teste *Whitbyo* in *dissert. de S. S. interpretatione secundum patres*) de diabolo interpretantur. Si vero ex hac hypothesi epistola ad Romanos aliaeque sacrorum librorum partes explicentur, plane aliud earum invenietur argumentum, quam quod nos quidem haud paulo melius in ipsis deprehendimus. Quanti igitur momenti sit cognitio hypothesium dogmaticarum ad historiam exegeseos, et quanta sit ipsarum hypothesium ad interpretationem scripturae vis, vel hoc exemplo intelligere licet.

illa religionis, sive theologiae potius, rudimenta, sequentibus temporibus perpolita, aspernari non decet; ita nostro ingenio non debemus soli tantum confidere, ut omnia optime a nobis iam definita esse, nobis persuadeamus, et nihil amplius a quoquam opinemur dici posse rectius atque commodius, quam dictum est a nobis. Quodsi enim tot tantique viri, quos vidimus, non potuerunt aeternis legibus nos adstringere, ut hypothesin tum excogitatam, omnibus fere sub utroque sole probatam, et scripturae sacrae auctoritatibus, ut quidem iis videbatur, confirmatam, nostram faciamus: nobis profecto non magis licet alios impedire, quominus pro se quisque suis oculis suique ingenii acumine, in interpretanda scriptura et reperiundis rerum theologicarum λογοις, iisque inter se invicem coniungendis, liberaliter et pro conscientiae suae sensu, ad informandum suae religionis usum, utatur. Sed haec hactenus. Progredimur iam ad aliud beneficium, quod per Iesum Christum nobis partum esse, docet LEO Magnus.

§. 37. II. Iesus Christus verus est *sacerdos* (secundum ordinem Melchisedech Serm. 3, 1. et 5, 3.) qui ad auferendum peccatum mundi in altari crucis per immolationem suae carnis se ipsum (naturam suam humanam) hostiam et *reconciliationis sacrificium* obtulit Deo Patri; quo facrificio nullum fuit umquam sacratius, quia nullius, quamquam insontis, occisio *propitiatio fuit mundi.* Iusti, quotquot occisi sunt, acceperunt, non dederunt coronas. Singulares quip-

pe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo fine persolvit: sed in uno solo Iesu Christo, qui omnia ad se traxit, omnes mortui sunt; omnes sepulti, omnes sunt etiam resuscitati. Per sacrificium istud veram in pacem cuncta revocata sunt; reconciliatum est humanum genus Deo, et propitiatus est humano generi Deus, cum omnium causam mediator Dei hominumque susciperet. Hic enim pro omnium salute moriebatur. In omnibus, quae patiebatur, nostrae diluebantur maculae, nostrae *expiabantur offensae:* quia natura, quae in nobis rea semper fuerat et captiva, in illo innocens patiebatur et libera. Per lignum (crucis) erigitur lapsus in ligno, et gustu fellis et aceti diluitur esca peccati. Nam ad destruendum peccati mortisque dominatum *poenae* (mortis) capax fuit natura eius humana. Recepit Salvator infirmitatem atque mortalitatem, quae non peccatum erant, sed poena peccati, ad supplicium, ut impenderentur ad pretium. Iniit commutatione mirabili commercium salutare, nostra (contumelias, dolores, mortem,) accipiens, et sua (honorem, salutem, vitam,) tribuens. In quo itaque solo homo se invenit innocentem, in eo fides iustificans impios, et creans iustos, acquirit salutem. Ut enim per unius reatum omnes facti sunt peccatores, ita per unius innocentiam omnes facti sunt innocentes. Hic etiam verus noster Pontifex, licet in Patris sit dextra constitutus, in eadem tamen carne, quam sumsit ex virgine, sacramentum *propitiationis* nunc quoque exsequitur. Rom. 8, 34. — Contexuimus

hanc sacerdotii Christi et reconciliationis per eum factae descriptionem, e Serm. 3, 2. 23, 3. 46, 1. 54, 4. 55, 3. 56, 3. 57, 4. 59, 1. 5. 8. 66, 3. 72, 2. et Ep. 31, 2. 80, 2. 124, 3. 4. 139, 3. 165, 5. aliisque quibusdam locis diligenter inter se collatis.

§. 38. Ad haec iam notamus. 1) LEONEM docuisse, salvatorem passum esse *pro omnibus hominibus*, etiam impiis, Serm. 52, 4. 54, 2. 3. 59, 1. 62, 4. 5. Sicut nullum, inquit, a reatu liberum reperit Christus, ita liberandis omnibus venit, Serm. 21, 1. quare si universitas captivorum in suum redemtorem crederet, nullum tyrannica vincula retinerent. Ep. 124. 3. Imo statuit Noster, persecutores etiam ac interfectores Christi potuisse salvari, si modo credidissent. Serm. 54, 2. 55, 1. 67, 3. 70, 2. Docet itaque redemtionem, ex antecedenti Dei voluntate, generalem. De *Iuda* tamen proditore arbitratus est, eum ad indulgentiam pervenire non potuisse; cuius vero rei neutiquam illam esse dicit causam, quod impios pertinaces, et Iudam ipsum, non redemerit salvator; (vid. S. 52, 5. et 67, 4.) sed hanc adfert causam: „quoniam prius in desperationem transiit, quam sacramentum generalis redemtionis Christus impleret." Serm. 62, 4. collat. 54, 3. Videtur hic LEO simile quid innuere iis, quae de Iuda habentur apud *Hilarium Pictav. Commentar. in Matth. Cap.* 32. Ubi eo tempore e vita emigrasse dicitur, ut nec inter mortuos visitaretur (a Christo,) nec inter vivos post resurrectionem haberet poenitendi facultatem.

§. 39. 2) Agnoscit LEO passum et mortuum esse Christum *pro nobis*, nostra eum *debita persolvisse*, naturam humanam ideo a filio Dei esse susceptam, ut *poenas* subire posset *pro nobis;* propter ipsum deleri ac *remitti* peccata, per eum nobis *repropitiatum* esse Deum etc. Designat itaque primas quasi lineas doctrinae de satisfactione Christi vicaria, qua factum est, ut redemtor, cui nostra peccata imputabantur, nostro loco poenas eorum luendo nos ab obligatione poenam sustinendi liberaret, efficeretque ut Deus, cuius iustitiae factum est satis, iuste iam possit peccatoribus, in Salvatorem suum credentibus, delicta condonare iisque propitius esse. Sed si quis contendere vellet, plene atque accurate hoc fidei caput exponi a LEONE, is suam assertionem nullis confirmare posset argumentis, nisi LEONINIS verbis apertam vim inferre, iisque sui animi sensa subdere, quam ex magni nostri Pontificis formulis veram eius sententiam sollicite atque ingenue eruere malit. Rei, inquam, quasi aliquam summam, quae satis clare in S. S. a nobis, qui caremus variis opinionum sarcinis, perspicitur, tenuisse videtur; verum totam causam nullibi, quantum ex eius scriptis iudicari potest, explicate ac perspicue tradidit [74]). Quod ut rectius in-

74) Subiungimus hic notitiam eorum, quae de *Iustificatione per fidem* docuit Noster; quae quidem cum his, quae supra observavimus, coniuncta non modo clariora fient ipsa, sed illis etiam, quae de satisfactione Christi annotavimus, maiorem lucem afferent. Totam rem brevibus quibusdam positioni-

telligatur, observandum est, eum ubique fere, ut primum tractationem de beneficiis, quae per Christum nobis obtingunt, ingressus est, delabi in nar-

---

bus complectemur. I. Vocabulum *fides* saepe usurpatur a LEONE ad indicandam ipsam doctrinam, cui fidem habent christiani. Ep. 94. 124, 1. 165, 2. Serm. 24, 6. II. Saepe *fides* sumitur pro scientia dogmatum christianorum, et certa animi persuasione de eorum veritate. Conf. S. 66, 1. 74, 1. 2. 3. et 9, 1. ubi fidem statuit LEO posse esse sine caritate. Sic etiam Ep. 168, 1. baptisma conferri dicitur desiderantibus et *credentibus*. Pertinet etiam huc LEONIS effatum, quod Ep. 161. legitur: Fides voluntate percipitur; i. e. nemo ad veritatis convictionem pervenit, qui infenso in eam est animo. III. *Fides* in LEONINIS scriptis significat interdum, sed rarius fere, assensionem coniunctam cum fiducia in Deo posita et desiderio eorum quae creduntur. Docet enim LEO, in eo potissimum fidei virtutem constitutam esse, ut credantur sine diffidentia, atque animo recipiantur, nostrosque tangant affectus, quae obtutui non subiacent, sive praeterita sint sive futura, et ut ibi figatur desiderium, quo nequeas inferre conspectum. S. 5, 2. 70, 1. 74, 1. Et S. 45, 2. instet, ait, fides sperare quod credit; — desiderium credulitatis implebit remuneratio visionis. Conf. etiam S. 49, 2. 87, 4 Praecipue vero huc referendi sunt sequentes duo loci, quorum alter extat Ep. 124, 4. „Fides vera iustificans impios et creans iustos, ad humanitatis suae participem (Christum) tracta, in illo acquirit salutem, in quo solo homo se invenit innocentem — qui his victoriam suam tribuit, *in quorum corpore* (de diabolo et morte) triumphavit.“ Alter vero S. 66, 1. 2. docet, fideles veteris Test. non nisi in I. C. salvationem sperasse, eosque per eandem fidem iustificatos esse, qua etiam nos iustificamur. Nos sanguinem Christi credimus pro reconciliatione mundi fusum,

rationes de redemtione hominum a diabolo, per humilem Salvatoris conditionem decepto. Conf. Ep. 124, 3. 4. 139, 3. Mirum in modum omnia huc detor-

---

illi credidere fundendum. Nobis hic sanguis idem donat, quod contulit illis. Similia fere leguntur S. 52, 1. IV. Liquido constat ex his, *subobscure* tradidisse LEONEM doctrinam de *fide*. Nullibi enim fides clare describitur, prout Christi satisfactionem ac meritum amplectitur sibique appropriat, atque omnem felicitatem, peccatorum in primis remissionem, a Deo per Christum placato exspectat. V. *Iustificare* LEONI saepissime idem est ac Sanctificare. Ep. 1, 3. 31, 2. Serm. 39, 4. 59, 8. 67, 5. VI. Interdum tamen *iustificatio* significat absolutoriam Dei sententiam, qua hominibus in Christum credentibus peccata remittuntur. Coincidit fere notio *του* iustificari cum generaliori notione *του* salvari. Ita explicandi sunt LEONIS loci, in quibus fideles sub veteris Test. oeconomia haud secus ac nos iustificati dicuntur per fidem in Christum, totius generis humani Salvatorem. Vide S. 66, 1. 2. (quem locum num. 3. iam attulimus) S. 30, 7. 63, 2. 69, 2. Quum vero Patribus in V. T. nec doctrina quam Christus demum nobis auctiorem proposuit, nec exemplum quod praeivit, prodesse potuerit quidquam ad morum emendationem vitamque sancte instituendam; neque tamen isti minus iustificati dicantur per fidem in Christum quam nos: liquet, iustificationem hic non posse accipi de ea, per quam actualiter iusti, hoc est sancti reddimur. His adde S. 55, 3. Tam velox, inquit LEO, fidei erat effectus, ut latro paradisum iustificatus intraverit — Exiguo temporis puncto longorum scelerum reatus abolетur. Et S. 49, 3. ubi de baptismate loquitur, profitetur, nulli obesse vel proprium vel originale peccatum, quia iustificatio non meritis sed sola gratiae largitate donetur. Consuli etiam omnino hic debet locus, quem num. 3. ex

quet. Quo fit, ut interdum, si simpliciter spectentur eius formulae, de satisfactione ac peccatorum expiatione loqui videatur, cum tamen ex συναφείας

Ep. 124, 4. exscripsimus. Ipsam vero doctrinam de *remissione peccatorum* propter Christum alibi etiam exponit. Docet nimirum, sine ea salvari neminem; S. 48, 2. completam autem eam esse in Christo, i. e. effecisse Christum, ut peccata hominibus iam possint condonari. S. 62, 5. Notatu etiam dignissima sunt, quae S. 92, 1. de nexu iustificationis et sanctificationis traduntur. Statuit scilicet LEO, Deum reparationem sanctificationemque in peccatorum remissione constituisse, ut *remota severitate vindictae*, omnique cessante *supplicio*, reus innocentiae redderetur, et finis criminum fieret origo virtutum. VII. Familiaris LEONI est formula, quod per fidem iustificetur peccator e. gr. S. 22, 4. 34, 1. Ep. 71. Sed cum utrumque vocabulum dubiae sit significationis, in singulis locis sigillatim verus sensus eruendus esset. Sed ista opera nos supersedere posse existimamus, quia certum est LEONEM hanc doctrinae christianae partem non satis pure tenuisse. Nam praeterquam quod ita nonnunquam locutus sit, ut statuisse videatur, eos qui orthodoxa catholicorum dogmata sequuntur, et cum hac fide caritatem coniungunt, ob hoc ipsum iustificari, et peccatorum remissione aeternaque vita donari: (vide v. c. S. 24, 6.) VIII. tantam quoque putat esse bonorum operum, ieiunii praesertim et eleemosynarum, quibus orationem etiam interdum adiungit, vim tantamque efficaciam, ut non solum compendia sint ad obtinendum regnum caeleste, S. 44, 2. nos purificent atque mundent, S. 19, 3. 93, 3. Dei imaginem in nobis renovent, et a Spiritu S. inseparabiles faciant, S. 12. verum etiam ut divinam iustitiam placent, culpas solvant, a damnatione aeterna liberent, peccata deleant, et poenam aeterni ignis extinguant; ut crimina iis

attenta consideratione patescat, eum de isthac redemtione verba facere, quam antecedenti §pho descripsi. Nonnunquam sane ita fluctuantes eius sunt sententiae, ut oppido intelligatur, eum nec accurate animo rem concepisse, nec ea distinxisse, quae Christus ad placandum Deum egit et passus est, ab his, quibus diaboli imperium est destructum. Exemplis nonnullis rem illustrabo. Docet LEO S. 60, 2. in occisione Christi Pascha fuisse verum, et *singulare sacrificium*, *quo* non ex dominatione Pharaonis unus populus, sed ex *diaboli captivitate* totus mundus sit erutus. Similiter S. 55, 3. de altari et *hostia* loquitur, sed statim ad *pacta* praevaricationis et diabolicam *dominationem* orationem convertit. Sic etiam S. 59, 8. Christum suscepisse dicit ex nobis, quod posset *offerre*; mox tamen addit: *leges inferni* dissolvit etc His adde S. 28, 3. ubi ostenditur, opus fuisse hominibus aliquo, qui caeteris et exemplo

---

redimantur, et venia per ea obtineatur; ut peccatum baptismi ad instar extinguant etc. S. 9. 10. 11. 15. 20. 39 88. etc. Pugnare cum his videntur, quae num. 6. e Serm. 49, 3. laudavimus, uti merita excludantur a iustificatione: verum ibi de meritis sermo est baptismum antecedentibus. Sed certe post regenerationem, sive baptismi gratiam nimium tribuit operibus. IX. Iam si de tota hac causa iudicium est faciendum, idem fere dicendum erit, quod de doctrina, quae satisfactionem Christi vicariam exponit, supra monuimus. Puriorem nostram doctrinam, quod ad pleraque momenta, non omnino ignoravit, sed accurate atque plene eam nullibi proposuit.

prodesset et *merito;* sed ex orationis serie patet, per *meritum* intelligi complexionem eorum, quae Christus egit et perpessus est, ut a *iugo tyranni,* qui genus humanum subegerat, nos liberaret. Pertinet etiam huc S. 77, 2. ubi ita disputat LEO: Quia aliter solvi captivitas humana non potuit — divisit sibi opus nostrae reparationis Trinitas, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus S. igniret; oportebat enim, ut salvandi — ab *inimici dominatione* discederent. Denique S. 46, 1. humanam Christi naturam asserit *poenae* fuisse capacem, ad destruendum peccati mortisque *auctorem* [75]). Cum his conferri merentur illorum Patrum loci, qui λυτρον non Deo sed diabolo solutum esse existimarunt. vid. §. 33. not. 61. Quamvis enim rectius statuat LEO, hostiam, humanam naturam, oblatam esse Deo patri, non minus tamen quam isti confundere solet ea, quae diabolum spectant, cum his quae ad Deum pertinent. Et profecto, si rem ipsam loqui velimus, fatendum erit, vix posse utrumque νοημα apte con-

---

75) Malim tamen statuere, *poenam* h. l. sumi pro quovis malo aut dolore, quae vocabuli significatio, auctoribus latinis non ignota, recurrit S. 54, 3. et alibi. Quid! quod S. 49, 3. dominicam passionem fuisse contendat redemtionem mundi, (loquitur vero de diabolo) *non poenam peccati.* Quae verba, etsi de poena proprii peccati explicari queant, admodum tamen inconsiderate dicta sunt. Ingenue fateor, nullum a me observatum esse LEONIS locum, in quo passiones Salvatoris diserte peccatorum poenae appellentur, proprie sic dictae.

iungi, nisi innumera Scripturae dicta, quae de redemtione agunt, prorsus invertantur, atque systema construatur, quod solis phantasiae figmentis nitatur. Quomodo, ut unum hoc attingam, *iniustus exactor* dici potest diabolus, si Christo vere omnium hominum, non mortuorum solum, verum etiam viventium et nondum natorum, peccata in reatum et poenam imputatà sunt? Quomodo, quaeso, scribere potuit LEO S. 72, 2: praebuit se redemtor crudelissimo exactori liber a debito? Nam si *iustum* fuit diaboli in omnes homines dominium, quod ubique urget LEO, certe etiam a Christo delictorum poenas *iuste* potuit exigere; quoniam Christus, licet ab omni peccato proprio immunis, omnium hominum peccata sibi imputata portabat. Non potuit quidem Christum, ob coniunctam cum homine divinam naturam, sub sua potestate retinere: sed si Christus per imputationem fuit peccator, nihil ab eo exegit tyrannus, nisi quod sibi debebatur ab hominibus, quorum causam mediator egit; et per vim potius ac fraudem, quam per iustitiam, quam tantopere laudat LEO, res gesta esset. Sed operae pretium non est, diutius his immorari. Caeterum si aliorum Patrum, eorum praesertim qui ante Seculum V. vixerunt, scripta conferamus cum his, quae e LEONINIS excerpsimus, de illis idem observare licebit, quod de LEONE diximus. [76])

---

76) Quamplurima Patrum testimonia ad calcem libelli, quem *Grotius de satisfactione Christi* scripsit adiecta sunt;

§. 40. III. Ita interdum de Christo *mediatore* loquitur LEO, ut magis *personae*, quae natura divina et humana constat, quam *officii*, quod agendo et patiendo absolvitur, rationem habuisse videatur. Nempe mediator, si vocabulum eo sensu accipitur, qui omnium patet latissime, est quicunque medius

---

e. quorum vero numero pauca sunt, si curatius examinentur, quae cum nostra hanc doctrinam exponendi ratione ita concinunt, ut ex iis tamquam certis documentis historicis nostra melior doctrina, prout in theologorum scholis, contra Socinianos potissimum, traditur, solide probari possit. Illorum enim testimoniorum alia sine ulteriori explicatione ea tantum repetunt, quae in Scriptura S. disertis verbis continentur; alia vero aut antiquam istam de redemtione hypothesin, aut iustificationem, per quam nobis donatur iustitia inhaerens sive actualis, potius exponunt, quam nostram de expiatione peccatorum per Christum doctrinam; alia denique prima quasi rudimenta melioris doctrinae nostrae recte quidem, at parum tamen accurate, exprimunt. Multa tamen patrum testimonia, quae hanc causam egregie illusrant, addi potuissent iis, quae ibi congesta sunt. Sic v. c. insigne est *Augustini* dictum in *exposit.* 2. *Psalmi* 21. „Delicta nostra (Christus) sua delicta fecit, ut iustitiam suam nostram iustitiam faceret.“ Si tamen conferantur alia *Augustini* loca permulta, liquido constabit, eum ubique fere sic verba facere, quasi satisfactionem Christi, nostri vicarii, et iustificationem hominis coram Deo, ut nos eam docemus, plane ignoraverit. Sed, nisi egregie fallor, circa haec tempora primum coepta est aliquantum clarius proponi haec doctrina; postea vero sensim et paullatim uberius atque accuratius declarata est.

est inter duas partes.[77]) Potest itaque Iesus Christus, si solam personam spectes, ideo mediator quodammodo dici, quia divinam humanamque naturam in una sua ὑποστασει coniunxit. Hoc ab iis praesertim speciose fit, qui universalem humani generis naturam (την καϑ' ὅλου,) a Salvatore assumtam esse atque inhabitari contendunt. Sic enim iam in incarnatione mediatoris gradus esset factus omnibus hominibus, ad beatam cum Deo coniunctionem. Sed nostrum est, exemplis quibusdam probare, hanc vocabuli illius significationem patribus non esse inusitatam. Primum testimonium, quod etiam LEONIS epistolae 165. adiectum legitur, ex *Hilarii Pict. libro* 9. §. 3. sumemus. „Mediator, inquit, ipse in se ad salutem ecclesiae constitutus, et ipso illo inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in id ipsum naturis, naturae utriusque res eadem est." Alter ad quem provocamus, *Gregorius Nyss. in illud: quando sibi subiecerit omnia* etc. *oper.* T. 1. p. 572. [78])

77) Hinc antiquissimorum doctorum aliqui iam ante incarnationem mediatoris partibus functum esse τον λογον existimant, quia per ipsum facta sint omnia, et ipse medius quasi intercesserit inter ea quae facta sunt, et Deum, ex quo facta sunt omnia. Vide quae PRAESES GRAVISSIMVS in hanc rem observavit *Intr. in Baumg. Polem.* T. 3. p 31. seqq. et p. 50. cum quibus conferri debet *Hilarii Pictav.* locus, qui e *libr.* 5. *de trin.* ibidem p. 248. excitatur.

78) Latina tantum *Gregorii* verba ex interpretatione *Gentiani Herveti* afferre possum, quia graeca editio nunc ad manum non est.

μεσιτειαν in hoc impleri contendit, quod Salvator omnes homines sibi, et per se ipsum Patri, univerit. „Corpus eius, inquit, est humana natura, cui est admistus. Propter hunc ipsum autem sensum nominatus Dominus a Paulo mediator Dei et hominum.“ Proxime ab hac opinione abfuisse videtur LEO, qui Ep. 124, 3. et 165, 4. scribit: Qua ratione veritatem mediatoris impleret, nisi qui in forma Dei aequalis erat patri, in forma servi particeps esset et nostri? Idem S. 64, 3. dicit: quia unus est mediator — homo C. I. per communionem sui generis (homo) ad pacem pervenit Deitatis; et S. 66, 4. Ipsa illa, inquit, substantiae nostrae in Deitate susceptio, quem hominem misericordiae suae, nisi infidelem, reliquit exsortem? Et cui non communis natura cum Christo est etc. Recte quidem statuitur, non potuisse Christum mediatoris officio fungi, nisi utraque alteri naturae in ipso fuisset unita; sed id, per quod mediator est, fuit proprie intercessio inter Deum hominesque, et quidem inter Deum iudicem et homines peccatores. Cum vero haec officii mediatorii explicatio ponat iustam satisfactionis a Christo praestitae notitiam, qua plerique Patres antiquiores caruerunt: mirum non est, varios, sed parum plerumque probabiles, eos quaesivisse huius rei λογους, quibus et rationem et modum rei declarari posse putarunt. Hoc studium, beneficia, quae per Christum nobis obtingunt, explicandi, peperit ἐννοιας ac locutiones quasdam LEONI solemnes, de hominibus Christo *concorporatis*, quas, cum his quae modo tra-

ctavimus cohaereant, breviter hic indicabimus. Docet igitur, Christum non reconciliare mundum Deo, nisi per fidei *regenerationem* omnes in nostrae carnis veritate *susciperet*; ep. 171, 2. a natura divina in suam *proprietatem susceptos* nos esse, S. 72, 7. et *insertos* Salvatori nostro per veram nostrae carnis susceptionem; S. 24, 6. carnem Christi esse *velamen* verbi, *quo* omnis, qui ipsum integre confitetur, *induatur*; hominem in *baptismate* effici *corpus Christi*, quia Christus, *corpus* sit *hominis*; Ep. 59, 3. corpus *regeneratorum* fieri *carnem* crucifixi; S. 63, 6. Nos sibi *concorporatos* Dei filium ad dextram Patris collocasse. S. 73, 4. Hae locutiones (quibus locum dederunt nonnulla Scripturae dicta v. c. Act. 17, 28. Eph. 5, 23. 30. sq. Rom. 12, 5. 1 Cor. 12, 27. etc.) nequeunt de naturali hominum cum Christo, qui totius humani generis corpus, ex quorundam sententia, assumsit, intelligi, quoniam tum per baptismum et per regenerationem homo Christi corpus fieri dicitur, tum orationis series, nonnullis saltim in locis, hanc interpretationem neutiquam admittit. Quominus vero de mystica tantummodo et spirituali fidelium cum Deo et Christo unione exponantur istae formulae, hoc inter alia obstat, quod *corpus* regenitorum fieri dicitur *caro* Christi. Ob eandem rationem illa etiam unitas non potest sola hic indicari, quae ex unione Christi cum ecclesia, quae eius corpus est, fluit. Quando v. c. LEO Ep. 139, 4. eos, qui de incarnatione Verbi perversa sentiunt, extra corpus Christi, *in quo* commortui et conresuscitati sumus,

se constituere dicit, quomodo quaeso de ecclesia haec intelligi possunt? Neque tandem de ea unione, quae per eucharistiam efficitur, commode intelligi possunt istae, omnes saltim, formulae. Equidem arbitror, ex his unionis cum Christo generibus omnibus, non satis a se invicem distinctis, *conflatos* esse hos loquendi modos. Nempe haesisse videtur in animo LEONIS aliquid de eorum opinione, qui *totam naturam* humanam a Christo susceptam esse statuunt; quam tamen ἐννοιαν ita immutavit, ut solos *fideles* ad hanc naturae unitatem pervenire doceret. Aperte enim profitetur S. 63, 3. *naturam humanam* in tantam connexionem a filio Dei esse susceptam, ut non solum in illo *homine*, (Mariae filio) *qui* (homo) *est primogenitus* totius creaturae, (Coloss. 1, 16.) sed etiam *in ommibus sanctis* suis unus idemque sit *Christus* (Dei filius, λογος). Iam vero sanctorum universitas constituit ecclesiam, quae etiam solet in sacris litteris corpus Christi appellari. Hoc LEONEM eo adduxit, ut, quod de sanctis antea dixerat, idem de *ecclesia* enunciaret. cf. S. 28, 7. 63, 3. In ecclesiae corpus homines coalescunt per *baptismum*. Recens autem baptizatis *eucharistia* statim illis temporibus porrigi solebat. Quum itaque LEO coenae s. hanc vim inesse putaverit, ut in id quod sumimus (in carnem ipsius, qui caro nostra factus est,) transeamus: S. 63, 7. Ep. 59, 2. hoc etiam unionis cum Christo genus cum caeteris coniunxit. Sic *haec omnia* concurrisse et coniunctim peperisse videntur istas, quas vidimus, formulas. Istae autem

locutiones, quae enunciant, *Christum esse corpus hominis*, et *velamine carnis Christi indui* fideles, respiciunt fortasse eucharistiam, per quam hoc effici statuit Noster, ut Christum per omnia et spiritu et *carne* gestemus; S. 63. 7. quamvis ne haec quidem invenustae phraseos interpretatio suis careat difficultatibus. Sed meliorem iam nos quidem dare non possumus.

Sectio IV.

Complexa articulos de imagine divina, peccato et gratia.

§. 41. Numquam Christiani dubitarunt doctores puriorem doctrinam sequentes, quin primus homo *ad imaginem et similitudinem* Dei creatus fuerit. Haec autem imago quanam in re potissimum posita fuerit, de eo antiquiores varie loquuntur, et ita plerumque ambigue, ut quid senserint longe sit incertius, quam hoc, quod non omnes senserint idem. Hinc *Gregorius Nyss.* in *quaest. de eo, quid sit ad imag. Dei et ad similit.* suo iam tempore testatus est, multas diversasque sententias de hoc argumento ab enarratoribus esse prolatas. *Oper. edit. lat. Frontonis Ducaei.* T. 2. p. 85. Etiam LEO, quamvis saepius imaginem Dei concreatam esse homini dicat, numquam tamen ita clare atque definite loquitur, ut ex verbis eius plene sententia ipsius elici queat, nisi argumentationum adminiculo aliquantulum uti liceat. Illud interim certum est, relatam ab eo esse hanc imaginem ad *morales* praecipue animi perfectiones. Ponit autem

eam, ut nobis quidem, collatis inter se omnibus locis, videtur, non tam in ipsa virtutum exercitatione, quam in ea humanae naturae conditione, qua homo divinas perfectiones imitando exprimere *potuit*; sive, ut cum scholasticis loquamur, magis in potentia naturali morales Dei perfectiones imitandi, quam in quodam quasi congenito habitu sanctitatis. Quod si verum est, imago divina ex LEONIS mente continetur potissimum recta ratione libertateque arbitrii; ut, cum dotes animi, quas inferiores vocare solent, superioribus recte subordinatae essent, homo perfecte ad legis divinae praescriptum vivere, atque sic perfectissimi Dei quamdam imaginem tamquam in speculo repraesentare potuerit. 79) Sic enim LEO: „Primus homo — *rationali* spiritu per insufflationem creantis animatus est, ut ad imaginem et similitudinem auctoris sui vivens formam Dei bonitatis atque iustitiae in splendore imitationis tamquam in speculi

79) Concinunt plures Patres, v. c. *Tertullianus contr. Marc.* l. 2. c. 5. 6. imaginem divinam in viribus animae concreatis, et praesertim in eo collocat, quod liber et sui arbitrii et suae potestatis creatus sit homo, et quod in sua potestate habuerit et contemtum legis et obsequium legi debitum. *Gregorius Nyss.* in *orat.* 1. in illud: *Faciamus hominem*, putat, *imaginem* habuisse hominem ex creatione, et consistere eam in potentia ad similitudinem Dei perveniendi; *similitudinem* vero (solent enim distinguere imaginem et similitudinem, hebraismi ignari,) acquiri ex voluntate, per novos actus a potentia illa proficiscentes. conf. etiam *Origenes de princip. L.* 3. c. 6.

nitore servaret. Quam *naturae* suae speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datae perseveranter excoleret, ipsam illam terreni corporis qualitatem ad caelestem gloriam mens incorrupta perduceret." S. 24, 2. „Homo ideo ad imaginem Dei conditus est, ut imitator sui esset auctoris." S. 12, 1. „Qui fert Dei imaginem, Dei faciat voluntatem." S. 90, 3. Non semper tamen haec vocabuli significatio commodum locum habere videtur. Nam v. c. S. 38, 3. illi imaginem et similitudinem sui conditoris amittere dicuntur, qui iniurias non obliviscuntur inultas, aliave in vitia delabuntur. Desinunt scilicet hi Deum imitari. Dici tamen posset, mentem eorum hominum amittere suum in sensus imperium. Sed praeter illud praestantissimum naturae temperamentum, per quod ad imitationem creatoris sui idonei erant primi nostri parentes, antequam hanc naturae suae dignitatem amitterent, *immortales* fuerunt. Cum vero Ep. 138, 3. LEO scribat, carnem Christi, nullo interveniente peccato, non potuisse mortalem esse, nisi nostri fuisset generis; cum itaque rationem, cur Christus potuerit mori, in eo ponat, quod nostri fuerit generis: illud pro concesso sumit, omnes qui nostri sunt generis mori posse, etiam si nullius prorsus peccati rei sint. Quod cum in primos homines quadret, sequitur, ut nullum aliud immortalitatis genus nisi id, quo potuerint non mori, iis assignandum sit. Caeterum neque de dominio in res creatas, quod plerique patres atque theologi recentiores inter partes, quae imaginem divinam constituunt, recensere so-

lent, usquam loquitur LEO; neque discriminis istius, quod omnes fere Patres esse putarunt inter imaginem et similitudinem Dei, mentionem apertam facit; neque in eius scriptis ullum vestigium occurrit opinionis illius, cui antiquissimi christianorum doctores favebant, de homine ad imaginem του Λογου condito.

§ 42. Quod ad doctrinam de *peccato* attinet, LEO statuit de *auctore* eius, diabolo, eum non solum primis hominibus interdicti cibi appetitum inseruisse, ac male credulis per illecebram edendi omnium concupiscentiarum virus infudisse, [80]) sed eundem etiam easdem fraudes nunc retractare; inquirere scilicet eum in natura, quam scit suis seminibus esse vitiatam, sationis suae germen, ut ad labefactanda studia virtutis desiderium accendat voluptatis. S. 87, 1. Sed non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, ut eum in partes suas sine *liberi arbitrii*

---

80) Cum non sine liberi arbitrii consensione victum esse primum hominem doceat LEO, concupiscentiarum infusio ita debet explicari, ut omnis necessitatio plane excludatur. Nempe prava illa cupiditas non effecta est a diabolo tamquam causa physica, sed homo, arbitrii libertate abutens, ad comedendum ipse se determinavit, motus futilibus illis rationibus, quas seductor externe suggerebat, quarum vero falsitatem facile detegere potuisset homo, si animum, sufficienti rationis lumine exornatum, ad eas intendisset. Cum autem semel appetitui succubuisset ratio, pulcherrimo facultatum animae humanae ordine perturbato, tota hominis natura ita est corrupta, ut cupiditatum praepotens vis mentem etiam in transversum agat, et animus in ea tantum, quae sensibus grata sunt, feratur.

consensione, transferret, (peccatum enim erat voluntarium) S. 28, 3. Neque enim de bonis neque de malis actibus ullum posset esse iudicium, si in utramque partem motum mentis impelleret *fatalis necessitas.* Ep. 15. praef. Quare nec daemonum potestas, nec siderum influxus cogere potest quemquam; (ibid,) sicut etiam *divina scientia*, quae et qualitates actionum nostrarum et effectus omnium voluntatum *praevenit*, nullam agendi aut volendi imponit necessitatem. Quamvis enim quod Deus praescivit non possit omnino non fieri, praesciendo tamen quod faciendum est, non cogit ut fiat. S. 67, 2. Agitur quidem postremo hoc loco specialiter de crimine eorum, qui Christum interfecerunt, quorum manus non immisit in se Dominus, sed admisit; verum de omnibus peccatis generatim hoc dictum esse puto, cum omnium eadem sit ratio, neque hoc a caeteris differat, nisi in eo, quod sit facinus omni maius crimine. Certe si ne in hoc quidem peccato, quod inter omnia solum aliquam necessitatis habere posset speciem, praescientia Dei coëgit, multo minus eam in caeteris ullam necessitatem adferre, cogitare licebit.

§. 43. In tractatione loci de *peccato originali* non inanem operam me sumere existimo, si sententias, quas de hoc argumento proferam, certis classibus distribuam. Sic enim facilius apparebit, utrum LEO, (inter cuius laudes celebratur et hoc, quod Pelagianos, et maxime *Iulianum*, contriverit,) consentiat, an vero in varietate sit cum *Augustino*, qui

quamvis non prorsus totius huius doctrinae inventor [81]), quodammodo tamen eius architectus nominari potest; utpote qui omnium primus hanc doctrinae christianae partem plenius atque curatius contra Pelagianos tractaverit, eamque in certum aliquem et stabilem ordinem, additis novis nonnullis formulis, redegerit. Caeteri enim ante *Augustinum* Patres numquam distincte atque explicate quid sit nativa ista labes, ab Adamo descendens in posteros, exposuerunt, sed tantummodo unde sit, et qui sint eius effectus, ob-

81) Conf. G. I. *Vossii histor. de controv. Pelag.* Amstel. 1655. pag. 158. seqq. ubi quamplurimi Patrum loci recensentur, in quibus aliqua peccati originalis fit mentio. *Vossii* tamen nimiam sedulitatem, qua evincere conatur, in *Augustini* dogma conspirasse omnes fere latinos graecosque Patres antiquissimos, non immerito reprehendit *Dan. Whitby* in *tractatu de imputatione peccati Adami. Lond.* 1711. pag. 155. seqq. Multa ostendit a *Vossio* gratis esse allata, quae ad rem nihil faciant, neque quicquam probent, praeterquam quod propter Adami peccatum omnes eius posteri morti sint obnoxii, et cum proclivitate ad malum nascantur, iisque necessarium sit per novam generationem renasci, ut digni sint, qui in regnum coelorum ingrediantur. Omnino *Vossius* multa coacervavit, quae minime probant id, quod probandum erat, nempe omnes homines in Adamo ita peccasse, ut parentis peccatum omnibus imputetur in reatum, omnesque ideo aeternae a Deo separationi obnoxii sint. Sed nec *Whitbius* ubique placet. Quicquid sit, in eo convenit utrique, multos esse Patres, *Augustino* priores, qui de labe aliqua, quam ex Adami peccato tota humana natura contraxerit, *utcunque* loquantur.

scurius monstraverunt. *Pelagio*, ut hodie agnoscunt omnes cordatiores, multo magis favent plerique antiquiorum Patrum, (in gratiam dei profecto non ultro iniqui), quam *Augustino.* Sed redeamus ad LEONEM. Sequentes vero theses, ex ipsius verbis effici posse videntur. I. Peccatum Adami *imputatur* omnibus hominibus; neque ideo tantum criminis illius participes dicuntur omnes posteri Adami, quia parentem peccando imitantur, sed quoniam in et cum patre totius generis omnes simul peccarunt filii. Hoc enim nisi statuisset LEO, peccatum unicuique homini *proprium* a peccato *communi* non potuisset S. 49, 3. distinguere. Subobscure eandem rem innuit S. 66, 1. „Lata in transgressores sententia omnem progeniem captivae posteritatis obstrinxit, et nemo extitit exsors a damnatione, quia *nullus fuit liber a crimine.*" Per istam itaque letiferae damnationis sententiam simul cum Adamo rei declarati sunt omnes, quamquam nondum existentes, eius posteri; et quidem ideo, quia omnes participes erant criminis, hoc est primae istius actionis peccaminosae, sive ut paullo antea dixerat LEO, primorum parentum praevaricationis, ob quam innocentiae naturalis libertatem perdidimus [82]). II. Per peccatum originale omnium ho-

82) Auctor librorum de *vocatione omnium* gentium libr. 2. cap. 20. 21. ita ratiocinatur: Nemo ad beatorum potest pertinere consortium, nisi sacro aeternae salutis fonte initiatus. Quum itaque multiplex pereat parvulorum numerus, quos, quantum ad proprias pertinet voluntates, neque boni ali-

minum *corrupta est natura*, et diabolicis seminibus vitiata. S. 87, 1. Idcirco enim venit Christus, ut omnem languorem corruptionis et universa ulcera sordentium animarum curaret, S. 22, 2. quod nisi fecisset Dominus, letali vulnere tabefacta natura nullum remedium reperiret, quia conditionem suam suis viribus mutare non posset. S. 24, 2. Corruerat enim primi hominis universa posteritas uno simul vulnere sauciata; sed venit e coelo medicus singularis, natus sine contagione antiquae praevaricationis. S. 64, 2.[83])

---

quid neque mali constat egisse: sequitur, ut super hos illa maneat sententia, quam humanum genus in Adami praevaricatione excepit: cuius sententiae rigor, dum etiam citra tales non resolvitur, quam magnum illud peccatum fuerit, demonstratur etc. LEO, qui cum isto anonymo in sumtionibus (e. g. de baptismo ad salutem simpliciter necessario, de peccatis non nisi voluntarie commissis etc.) concordat, in conclusione etiam cum eodem conspirasse censendus est.

83) Posteriores duo loci possunt ex contextu de ea tantum naturae humanae labe explicari, per quam omnibus necessario moriendum est. Quamvis enim S. 24, 2. aeternae mortis mentio fiat, posset tamen per eam intelligi mors naturalis aeternum duratura, quam Christus de *aeterna* fecit *temporalem*. S. 59, 8. Sed in orationis serie nonnulla etiam occurrunt, de virtutibus moralibus, et de amissione imaginis divinae, quam LEO non in sola posuit immortalitate. Distinguit praeterea Noster condemnationem (mortis, si placet, reatum sive vinculum) a peccato ipso, ab Adamo in posteros transeunte. Quae cum ita sint, noluimus duas hasce sententias hic omittere, ubi generatim naturae humanae corruptionem indicamus, quae neutiquam potest solummodo in fatali mortis necessitate poni. (conf. thes. 3. et 4.) Nam in-

III. Omnes homines nascuntur ad deteriora proclives, S. 18, 1. et cum *concupiscentia*, sive prava animi inclinatione, quae tendit tantum ad ea, quae sensibus iucunda sunt. Unde autem haec concepta sit, non difficulter intelligunt, qui se Adae filios esse noverunt, et peccante humani generis patre, non dubitant in propagine vitiatum esse, quod est in radice corruptum. S. 39. 1. conf, S. 87, 1. IV. Pecato originali infectum est non solum *corpus*, verum etiam *ani-*

---

firmitas et mortalitas non *peccatum* sunt, sed poena peccati. S. 72, 2. Luculenter etiam sententiam suam declaravit LEO, cum Pelagianos et Coelestianos ab ecclesiae societate arceri iuberet, Ep. 1, 3. quia *ideo* dicant gratiam praeveniri per naturalem industriam, *ut nullo videatur peccati originalis vulnere sauciata natura*. Quid vero moriendi necessitas ad gratiam? ad eam, puta, quam nulla possunt praevertere bona opera, quorum fons ipsa est et principium. Profecto naturae hoc vulnus, quod auctor agnoscit, *Pelagius* autem negasse dicebatur, intelligendum est de defectu virium, recte legique divinae convenienter agendi, sive, ut cum auctore *epistolae* ad *Demetriadem*, quae LEONI olim a multis tribui solebat, loquamur, de defectu libertatis delictum declinandi. Haec enim illa, quae divinae imaginis amissionem secuta est, vitiosa facultatum animae dispositio, earumque coniunctio inordinata, qua neque mens Deo, neque menti corpus ac inferiores animi vires subsunt, haec, inquam, efficit, ut gratia hominibus post lapsum necessaria sit, ut possibilia reddantur ex virtute divina, quae impossibilia nobis sunt ex infirmitate propria. S. 90, 2. Interim tamen ingenue fateor, de mortalitate, per lapsum Adami contracta, saepissime loqui LEONEM, et saepius fere quam de caeteris primi peccati effectibus.

ma, neque solae facultates eius *inferiores*, sed etiam *superiores* depravatae sunt. „Habet hoc in se vitium natura humana — in posteros generandi lege transfusum — ut de corruptibili corpore etiam quod animam corrumpere possit, oriatur. Hinc interior homo, tametsi regeneratus, — assiduos habet cum carne conflictus [84]). In qua discordia non facile obtinetur tam

84) Hic *caro* significat *corpus* et *sensus externos*, qui saepe interioris hominis i. e. *animi rationalis* dictamini non parent, sed imperium affectant, ut ibi fiat servitus, ubi deberet esse dominatus. S. 71, 5. Sic etiam intelligendus est iste locus, S. 3, 4. ubi suos auditores hortatur, ut caste et sobrie vivant, nec concupiscentiis carnis mens, principatus sui oblita, consentiat. Alibi etiam passim LEO istam pugnam interpretatur de colluctationibus, quae sunt inter *utramque substantiam*, h. e. animam et corpus. S. 42, 2. Ut autem spiritus carnis illecebras superare, et corpori recte praeesse possit, non modo necesse est, ut *mens rationalis* Deo praeside *gubernetur* et praesidio crucis Christi instruatur S. 39, 2. 47, 1. sed *caro* etiam compescenda est ieiuniorum castigatione; S. 93, 2. quae hanc ob causam pluribus locis a LEONE eximie commendantur, ut, sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita fiat continentia origo virtutum, S. 79, 1. quia nihil corporis sensibus vel conceditur vel negatur, quod non sicut ad servientem, ita pertineat ad iubentem. S. 94, 1. Sed non sufficit externum a cibo ieiunium, verum ab iis simul est ieiunandum, quae male *interior substantia concupiscit*, neque solum *carnis desideriis*, sed etiam *animi cupiditatibus* est repugnandum, (ibid.) et carnis concupiscentiis denegandus est animi consensus; non enim *anima* membris tantum suis imperare, sed ius etiam *propriae libertatis tueri* debet. S. 19, 2. Quamvis

perfecta victoria, ut illa — quae sunt interficienda, non vulnerent; — quantum libet sapienter et provide iudex animus exterioribus sensibus praesit. Quae illic declinatio potest esse peccati, ubi una passio est et regentis et subditi," h. e. ubi res quae sub sensus cadunt, mentem aeque afficiunt ac corpus eamque qua sentimus facultatem. V. Peccatum orig. omnes homines damnationis poenae addixit, nam *de sola* conditione nascendi una cunctis esset *causa pereundi;* S. 25, 5. et post illam humanae praevaricationis primam et universalem ruinam, nemini *reconciliatio ad veniam* pateret, nisi Christus venisset. conf. Ep. 59, 4. Quapropter hoc peccatum, omnibus commune, appellatur *maximum.* S. 94, 2. VI. Per lapsum homo *immortalitatis* dote nudatus, duram mortis subiit sententiam, Ep. 28, 3. cum qua aliae coniunctae sunt *infirmitates*, quae cum mortalitate simul sumtae

---

itaque LEO cum multis Patribus, qui ante ipsius tempora, praesertim inde ab *Origene*, vixerunt, conveniat in eo, quod sedem peccati quodammodo in corpore ponat, atque ex vitiosa eius post lapsum cum anima coniunctione, *corporeaque infirmitate* eos deducat *languores*, in quibus vel ipsi iacent regeniti: S. 71, 6. statuit tamen, nihil actionum nostrarum ad *solum* corpus, multa autem ad *solum* referendum esse *animum;* et ibi censeri qualitatem actionis, ubi invenitur initium voluntatis, S. 94, 1. h. e. non imputari motus corporeos, nisi accedat animi assensus mentisque comprobatio. Et S. 19, 1. aperte declarat, quod sine anima nihil caro desideret, et inde accipiat sensus, unde sumit et motus.

damnationis transfusionem (i. e. sequelam) nominat LEO. S.72, 7. VII. Per peccatum diabolus in homines, mortali sibi lege subiectos, tetram dominationem exercuit originalibusque dirae captivitatis vinculis eos tenuit obstrictos. S. 52, 1. et 69, 3. conf. §. 33. VIII. Peccati mortalitatisque contagium in prolem a primo parente transcurrit, Ep. 15, 9. et *generandi* lege transfunditur. S. 90, 1. IX. Peccatum originale omnibus hominibus est *commune*, solo [85]) Iesu Christo excepto, S. 94, 2. 24, 2. 64, 2. qui natus est sine contagione antiquae praevaricationis, quoniam quo paterni seminis transfusio non pervenit, peccati se illic origo non miscuit. S. 2, 32. X. Peccatum orig. non est ipsa hominis *essentia*. Omnium enim creaturarum, sive spiritualium sive corporalium, bona est substantia, et mali nulla est natura. Ep. 15, 6. coll. S. 42, 4.

§. 44. Restant de peccato nonnulla LEONIS effata notatu digna, quae paucis indicabo. I. Omne peccatum *ex voluntate* nascitur, S. 12, 8. nec ullum

85) Ne verbulum quidem hic aut alibi occurrit apud LEONEM de immaculata, quam Pontificii iactitant, conceptione *Mariae*. Sed illud etiam notatu dignum esse videtur, quod LEO, qui de Sanctorum meritis atque intercessionibus nonnulla habet cum Pontificiorum erroribus concordantia, numquam tamen quicquam proferat, quod ad singulares Mariae eique soli proprias laudes celebrandas pertinere possit, aut quo praecipuus eius cultus commendetur; cum tamen b. virgo θεοτοκος iam isto tempore ab ecclesia esset salutata.

committitur sine cupiditate, i. e. appetitu illicito. S. 60, 4. Hinc etiam Petri lapsum excusat LEO propterea, quod ibi non fuerit iudicium voluntatis. Consentit quidem *Augustinus de vera relig. cap.* 14. nihilque existimat esse peccatum, quod non sit voluntarium; sed *contra Iulianum* L. 3. c. 5. ipse fatetur, recte ista dici de proprio cuiusque peccato, non de originalis peccati contagio; quamvis etiam hoc de primi hominis mala voluntate sumsisse exordium, et ideo voluntarium appellari posse, putet. conf. *Eiusd. retract. I.* 13. Apparet ex his, *Augustinum*, ut solent Patres, *κατ᾽ οἰκονομιαν* disputasse, et ut Manichaeorum aeque ac Pelagianorum obiectiones eluderet, ea quocunque loco ursisse, quae rei praesenti maxime convenirent. conf. *Chemnitii exam. conc. trid.* p. 92. Sed LEO etiam sibi non satis constare videtur, cum Pilatum, faciendo *quod noluit*, peccasse concedat. S. 57, 3. Verum Pilatus, Iudaeorum clamoribus comminationibusque commotus, innocentem Iesum sciens *volensque*, capitis damnavit. Idem de abnegatione Petri iudicandum est. Dicuntur eiusmodi actiones a theologis voluntariae non simpliciter, sed secundum quid, et certo respectu. II. Multis modis multisque *mensuris* et peccatum a peccato, et crimen *distat* a crimine. S. 50, 1. *Letalia* autem peccata LEONI S. 45, 1. ea dicuntur, per quae homo a communione ecclesiastica excluditur, quorum autem venia impetrari potest per reconciliationis auxilium h. e. poenitentiam ecclesiasticam. III. *Peccatum in Spiritum S.* committunt non ii modo,

qui divina beneficia (miracula a Spiritu S. effecta) diabolo deputant, sed illi quoque, qui eum inferioris putant esse naturae, quam Pater est et filius. S. 75, 4. et 76, 4. Cur autem huic peccato *nullus veniae locus* sit ad ignoscendum, haec (ibidem) affertur ratio: quia talis peccator exclusit eum a se, per quem poterat confiteri, et patrocinaturum sibi non habet advocatum, a quo est invocatio patris et lacrimae poenitentium, h. e. quia omnia media gratiae reiicit, qui huius sceleris reus est. IV. Denique ea *vocabuli significatio* non est praetermittenda, qua per peccatum intelligitur aut *diabolus* ipse peccati auctor, aut illud *diaboli peccatum*, quod in Christum commisit. Conf. §. 36. not. 73.

§. 45. Ex iis, quae de nativa labe per Adami peccatum contracta diximus, nullo negotio perspicitur, *viribus hominum post lapsum naturalibus*, LEONEM non plus assignasse, quam ex orthodoxorum sententia iis tribuere licet. Idem ex hoc facile etiam colligitur, quod naturam nostram, etiamsi renatam et ad summa quaeque virtutum studia provectam, in quantum est passibilis, mortalis ac mutabilis, in tantum esse eam doceat ad deteriora proclivem. Hinc metuere iubet sanctos et tremere, ne deserantur ope gratiae, et remaneant in infirmitate naturae; natura enim nostra, quae semper habet quo recidat, corrumperetur carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio. S. 18, 1. 38, 3. 39, 6. 40, 1. Sed quae impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia sunt ex virtute divina. S. 90, 2.

Dei itaque gratia ignorantiae nostrae tenebras discutit, ad poenitentiam nos convertit, mores nostros corrigit, et dat, unde ipsi quoque, quod Deus operatur, operemur. S. 12, 1. 39, 1. Ep. 116, 2. Homo igitur, bona agens, ex Deo habet et effectum operis et initium voluntatis; nam vera virtus sine Deo nulla est. S. 38, 3. 19, 3. 79, 4. [86])

---

86) Oritur hic quaestio, quid de *virtutibus ethnicorum*, omniumque qui a iusta verum Deum colendi ratione abhorrent, statuendum sit? De his itaque hominibus LEO decernit, sua laude non fraudanda esse eorum opera; (v. c. humanitatis officia, quae propter ipsam naturae communionem praestantur, neque ex fide, ut Noster loquitur, procedunt;) at omni tamen iustificatione vacua ea esse, S. 44, 2. nec ad aeterna praemia pervenire. S. 45, 3. Et S. 79, 2. infidelium non solum sed etiam *haereticorum* ieiunia, (quae tamen in praecipuis bonis operibus ponere solet) non solum vana et inutilia appellat; (conf. S. 46, 1.) verum eo usque progreditur, ut infidelitate pollui contendat ieiunantem, hac addita ratione, quoniam *extra ecclesiam catholicam* nihil sit integrum, nihil castum Rom. 14, 23. Tacite itaque eiusmodi homines *peccare* innuit. Conferri hic possunt ea quae *Ballerinii* ad S 79. observarunt, qui tamen minus feliciter LEONEM sic defendere conantur, ut e scopo eum actiones omnes aestimasse statuant. Sed aperte ad doctrinae puritatem omnia refert. Quicquid sit, minus nobis placet LEONIS sententia, falsae effati Paulini Rom. 14. interpretationi superstructa. Quamquam enim bona opera, eo sensu quo Christiani hac locutione uti solent, efficere isti homines, a christiana religione alieni, haud potuerint, nec virtus quae in eos cadere potest, christianae virtuti aequiparari queat: nimis tamen duri nimisque in-

§. 46. Cum de *gratia* nonnulla iam nobis dicenda sint, ante omnia dispicere nos oportet, de vocabuli huius, tot controversiis celebrati, significatione. Quis enim est in Patrum lectione medio-

---

humani sunt, qui eorum actiones, licet cum lege naturali conspirent, ita vituperant, ut non christianam solum, sed et omnem veri nominis virtutem miseris inesse negent. Nam ut quisque, pro ea, quam comparare sibi potest, Dei cultusque divini cognitione, optime ac fidelissime summum numen veneratur, legique naturae, quantum eam novit, quantumque naturales vires (a quibus ne gratia quidem divina, praesertim si numinis auxilium homo imploret, penitus est excludenda,) suppetunt, sollicitissime obtemperat: ita verae virtutis studiosus appellari meretur. Nec est, quod laudabilia huiusmodi facta in hominibus, ut placet LEONI, finem habere dicantur, cum procul dubio Deus quoque non in hac solum vita, sed post mortem etiam, dignis praemiis ea remuneretur. Deus enim, qui naturalem aeque ac revelatam legem tulit, et earum quoque virium, quae hominibus per naturam insunt, auctor est, nec a quoquam, pro summa sua iustitia, plus exigere potest, quam ei tribuit et lucis ad intelligendum, et virium ad agendum; Deus, inquam, uti peccatorum contra utramque legem admissorum iustus est ultor, sic etiam obedientiae utrique praestitae benignus erit retributor. Si praeterea malum omne vindicta manet, certe bona quoque actio quaelibet non potest non bonas habere sequelas, saltim naturales. Nulla vero ratione cogitari potest, omnia aeque, iuste, honeste legique convenienter facta, una cum recti probique animi habitu, recte agendi consuetudine comparato, ita per mortem intercidi, ut prorsus non influant in statum animae post hanc vitam superstitis.

criter versatus, qui ignoret, non eandem semper fuisse huius verbi vim atque potestatem? Quid itaque mirum, si LEO etiam varie eo usus est? Nostro tamen consilio sufficiet, multis praetermissis, potiores tantum, quos in LEONIS scriptis hoc vocabulum capit significatus, percurrere. I. A *generalibus* Dei beneficiis discernuntur *specialia* ipsius gratiae dona S. 67, 1. Haec scilicet sub se continent ea, quae salutis acquisitionem et applicationem propius spectant. vide ibid. cap. 6. II. Gratia interdum generatim indicat divinam *clementiam* atque benignitatem. Ep. 10, 1. III. Gratia nonnumquam denotat *electionem*, qua assignatur alicui munus quoddam aut beneficium. Sic v. c. S. 3, 1. non praerogativa terrenae originis (e certa aliqua stirpe aut familia,) gignere dicitur episcopum, sed gratiae dignatio. Et S. 30. 4. Iacob discretus dicitur ab hispida Esaui asperitate, praeveniente gratia voluntarias actiones et ipsam nativitatem. IV. Gratia etiam sumitur pro beneficio et *praerogativa*. Ep. 10, 8. 159, 6. Communionis gratia complectitur omnia ea iura atque beneficia, quibus fideles fruuntur, quorum vero exsortes sunt excommunicati, poenitentes. etc. Eodem sensu de gratia N. Testamenti docetur, S. 15, 2. eam ieiuniorum utilitatem non removisse. V. *Baptismus* saepissime gratiae nomine insignitur, tum simpliciter et sine aliqua adiunctione, Ep. 16, 3. 166, 1. tum gratia Dei. Ep. 15, 10, 168, 1. et Christi. Ep. 6, 3. Huc etiam respiciunt, quae Ep. 16, 3. leguntur de Pentecostes solennitate, quae quodammodo auxili-

antis gratiae manum porrigere dicitur iis, qui in festo Paschatos baptizari non potuerint. Nempe his baptismus olim Pentecostes die conferebatur. Posita autem est gratia baptismi in vi regenerandi. VI. Gratiae nomine venit etiam divinum illud beneficium, quo animus coelesti *doctrina* imbuitur. De eodem fonte gratiae (inspirationis,) ait LEO, fuit unus spiritus (consona doctrina) et discipuli (Marci,) et magistri (Petri.) Ep. 9. praef. Adde S. 58, 1. Adfuturam, inquit, credimus gratiam Dei, quae inspirationis suae rore sterilitatem nostri cordis adspergat; ut quae utilia sint, coram concione proferantur. VII. *Ieiuniis* etiam attribuitur singularis aliqua gratia, (vis et efficacia §. 39. not. 49. num. 8.) inter caetera Dei munera in die Pentecostes donata. S. 79, 1. VIII. Corporibus quoque humanis gratia dicitur illata [87]) IX. Omnium autem cele-

87) Locum LEONIS, ubi haec opinio proponitur, indicavi iam §. 32. not. 56. Hic illud tantum addo, plures patres similiter de gratia locutos esse. Ex multis ad unum provoco *Athanasium*, qui *orat.* 2. *contr. Arian.* §. 68. seqq. docet, opus hominibus fuisse Salvatore, eodemque increato et omnibus hominibus meliori; oportuisse praeterea hunc hominem fieri, quia si Deus tantum pro sua potentia dixisset, soluta quidem esset maledictio, et talis factus esset homo, qualis fuit Adam ante peccatum, ἔξωθεν λαβων την χαριν, και μη συνηρμοσμενην αὐτην ἐχων τῳ σωματι. Sed sic nihilominus hominem reum mansisse existimat et servum peccati atque mortalem, μη συναπτομενον τῳ Θεῳ. Cum his omnino conferendus est LEONIS locus, quem l. c. e S. 22, 2. attulimus.

berrima est ea vocis acceptio, qua sumitur pro gratioso Dei influxu, per quem, dum intellectus illuminatur et voluntas motum ad recte agendum accipit, animus interne mutatur atque emendatur. Quid de hac gratia et de modo, quo ea agit, ex LEONIS sententia, tenendum sit, paucis expediam. Oportet vero memoriam hic recolere eorum, quae anticipata sunt §. 45.

§. 47. Deus et bonarum est inspirator *voluntatum*, et bonarum auctor *actionum*. S. 97, 4. Nimirum omnis prava concupiscentia ex nobis est, et ideo mala est, quia nostra est; bonae autem concupiscentiae et laudabiles voluntates e Deo sunt, S. 93, 1. qui ad imaginem suam quotidie nos reparat, et *dat unde ipsi* quoque, quod operatur, *operemur*, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae caritatis inflammans S. 12, 1. Omnis igitur bonorum operum donatio, divina praeparatio est; gratia enim unicuique principium iustitiae ac bonorum fons atque origo meritorum est, nec per naturalem industriam praevenitur. Ep. 1, 3. Deus itaque praecurrit nos auxilio, S. 67, 6. qui ideo dat praeceptum, ut excitet desiderium, et praestet auxilium. S. 43, 1. 49, 4. Quorum vero incitat mentes, eorum adiuvat actiones, Ep. 61, 1. nec quisquam inefficaciter ea, quae Dei sunt, concupiscit, quia qui ad Deum tendit, ex ipsius participatione eum quaerit. S. 84, 2. Dabit quod petitur, qui dedit unde peteretur. S. 36, 4. Quamvis vero omnium bonorum

sit ipse largitor, etiam nostrae tamen fructum quaerit industriae; non enim dormientibus provenit regnum caelorum. S. 32, 4. Quamobrem *cooperatores* simus *gratiae*, *operantis* in nobis, S.35, 3. qui templum sumus ac habitaculum Deitatis. Nam licet hoc aedificium inchoari ac perfici sine suo auctore non possit: tamen quia *rationales lapides* sumus, et viva materies, (quae per spiritum gratiae, ut voluntarie in unam compagem congruat, incitatur,) sic nos auctoris nostri exstruxit manus, ut cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur, et proprio labore quaerat augmentum. Gratiae igitur Dei obedientia se humana non subtrahat; nec ab illo bono, sine quo non potest bona esse, deficiat, S. 43, 1. et 48. 1. neque dona gratiae Dei negligenter habeat. S. 67, 6. Sic enim omnia praecepta facile veniunt in effectum, quando et gratia praetendit auxilium, et obedientia mollit imperium. S. 35, 3.

In hanc causam adhuc observamus: 1) docuisse LEONEM, gratiam Dei *non dari secundum merita* accipientium, quia natura, originali peccato sauciata, ante gratiam proprio studio clara esse nequeat. Ep. 1, 3. S. 67, 3. (conf. *de vocatione omnium gentium* libr. 1, cap. 17.) 2) Statuisse eum, gratiam esse non solum utilem ad facilius bene operandum, sed etiam simpliciter eam *necessariam* esse homini, tam ad perficiendum, quam ad inchoandum bonum opus, ut Deum diligere ac quaerere, legem complere et tentationes superare possit. (Vid. de *voc. gent.* L. 1. 8. etc. et alibi passim, praesertim L. 2, c. 26. ubi modus, quo gratia

agit, luculenter describitur.) 3) Vix posse satis certo definiri, utrum *habitualem* tantum gratiam in auxilium naturae advocaverit, an vero *actualem* etiam gratiam, *singulos actus* efficaciter adiuvantem, necessariam homini esse putaverit. 4) Certius esse, eum existimasse, gratiam non ita agere violenter, ut *resisti* ei nequeat; nam S. 43, 1. satis manifeste innuit, posse hominem gratiae subtrahere obedientiam. (conf. S. 32, 4.) Sanctos ab ope gratiae posse deseri, (adeoque gratiam *amittere*,) significatur S. 38, 3. (conf. *de vocat. gentium* L. 1. c. 25. et L. 2. c. 12. 26. 28. coll. *Balleriniorum* observat. in diss. 2. Quesnellii. T. 2. p. 681. 5) Nullum obstare LEONIS locum, quo minus eum credidisse arbitremur, *gratiam esse universalem*, et velle Deum omnibus fidem salvificam donare. [88]) Docet

---

88) De ea saltim hoc valet gratia, de qua auctor libr. de *vocat. gent.* L. 2, c. 15. „Adhibita semper est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris *occultiorisque gratiae fuit*, *suffecit* tamen quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.“ Ab occultiore hac et generali gratia, omnium hominum *corda pulsante*, distinguit cap. 23. vocationem specialem, quae excellentiori opere, largiori munere, et potentiori virtute se exserat. Conf. Libr. 2, 25. et 31. A generali illa gratia ne parvulos quidem paucorum dierum homines, e vita antequam baptismum acceperunt emigrantes, adeoque in aeternas miserias cadentes, auctor excludit; quibus hanc gratiam oblatam esse opinatur, dum ipsorum parentibus eadem offerretur. Hos enim, quibus illud tempus non impertitum est, in quo per voluntariam fidem percipiendae gratiae sint

potius, generalibus donis Deum omnes ad cognitionem sui incitare. S 38, 3. collat. S. 35, 4. Profitetur etiam, gratiam (similem stellae, quae magos ad Iesum perduxit, conf. S. 36, 1.) *omnes invitare ad Christum*. S. 33, 5. Illustrantur haec atque confirmantur per ea, quae de universalitate redemtionis §. 38. dicta sunt. 6) De *praedestinatione* nihil fere scriptum nobis reliquisse LEONEM. 7) Insistere eum *non nimis* acriter *Augustini* vestigiis.

Sectio V.

Quae comprehendit locos de baptismo, eucharistia, ac lege mosaica.

§. 48. Ne scriptionis limites nimis excedamus, ex iis, quae alicuius adhuc utilitatis ad illustrandum dogmaticum locum esse possunt, potiora quam brevissi-

---

capaces, sub arbitrio voluntatis parentum iacere existimat. Lib. 2. 20. - 23. Cum itaque dubiae huius scriptionis auctor, licet baptismatis absolutam necessitatem defendat, tamen gratiam omnibus hominibus communem agnoscat, obiici nobis non potest, illas sententias, quibus LEO baptismum ad salutem obtinendam simpliciter esse necessariam contendit, conciliari non posse cum dogmate de gratiae universalitate. Caeterum cum anonymi illius et φρασις et sententiae accedant ad LEONINAE dictionis atque doctrinae tantam, quam quae maxima potest esse, similitudinem, vix poterit aliqua mirifici huius consensus ratio afferri, nisi statuas, alterum alterius scriptiones diligenter perlegisse, easque sibi perquam familiares reddidisse.

me indicabimus. Ad *baptismum* itaque quod attinet, eius *vis* atque *efficacia*, si LEONEM audias, in eo posita est, quod hominem regenerat S. 25, 2. (eodem spiritu s. replente fontem, qui replevit et virginem Mariam; quare omni homini renascenti aqua baptismatis instar est uteri virginalis; S. 24, 3. et 25, 5.) a conditione veteris hominis liberat, Ep. 15, 10. et mystica ablutione peccatum tollit. S. 24, 3. Ep. 6, 3. Per baptismum porro homo in Dei filium adoptatur, Ep. 16, 3. et efficitur corpus Christi, Conf. §. 40. ac spiritus s. templum. S. 21, 3. Per idem hoc sacramentum peccata remittuntur, S. 44, 1. iustificatio donatur, S. 49, 3. sanctificationis virtus confertur, Ep. 159, 7. salutis ianua aperitur, Ep. 166, 1. et spes vitae aeternae reparatur. Ep. 108, 2. *Unde* autem hanc virtutem acceperit baptismatis sacramentum, (quod inter sacramenta ecclesiae principale est, Ep. 16, 1.) multis verbis exponit LEO Ep. 16. Nonnulli scilicet recedentes a more tum temporis consueto, in natalibus martyrum (Ep. 168, 1.), inprimis vero in festo Epiphaniae die, quo ad Iohannis baptisma Christus accessisse putabatur, baptismum celebrabant. Contra hos LEO canonem, qui nemini, exceptis tamen periclitantibus, baptismum dari permittit, nisi festis paschatos et pentecostes diebus, ita vindicat, ut statuat, eum esse legitimum celebrandae generaliter gratiae diem, in quo orta sit et *virtus* muneris, *et species* actionis. Istam igitur legem, ut stabiliat, docet, 1) regenerationis gratiam *coepisse ex resurrectione* Christi, qui potentiam regenerationis tunc san-

xerit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemtionis et *aqua baptismatis*; in *morte* itaque crucifixi, et in *resurrectione* mortui, baptismum ex veteri condere novam creaturam. 2) In die Pentecostes, per similitudinem formamque mysterii, ea quae geruntur in membris, congruere his, quae in ipso sunt capite gesta; quoniam in baptismate et *mors* interveniat interfectione peccati, et *sepulturam triduanam* imitetur trina demersio, et ab aquis elevatio *resurgentis* instar sit de sepulcro. Cum hac vero solennitate solum comparari posse pentecostes festum, ex *adventu spiritus s.* sacratum etc. Haec argumenta efficere quidem poterant, ut consuetudo ista, quam servari volebat Leo, videretur non omni ratione carere; attamen tota disputatio neutiquam evincit, non licere, per rei naturam, alio tempore baptismum celebrare. Ceterum longe abest Leo ab eorum opinione, qui per baptismum putant labem peccati congeniti totam auferri. Aboletur reatus, labes ipsa non aufertur penitus. Vid. S. 18, 1. 90, 1. 93, 1. 44, 1. Quare si quae forte sint Leonis locutiones, quae in contrariam sententiam quodammodo trahi possent, (v. c. Ep. 59, 4. in baptismate hominem exui contagio damnatae vetustatis,) eae ex his, quos indicavimus locis, interpretandae sunt. Eos denique homines, qui non baptizantur, *manifeste perire* statuit. Ep. 166. 167, 16. *Ab haereticis* vero *baptizatos* formam tantum baptismi, sine sanctificationis virtute, accepisse putat; curandum itaque esse, ut per episcopalem manus impositi-

onem sancti spiritus virtutem consequantur. Ep. 159, 7. 166, 2. 167, 18.

§. 49. Expositis iis quae ad baptismum pertinent, de *sacra coena* aliquid iam est dicendum. I. Omnibus fere nota et innumeris excitationibus celebrata est ista de mutilatione eucharistiae, a *Manichaeis*, *calicem recusantibus*, perpetrata, LEONIS narratio. Commemorat Manichaeos ita in sacramentorum communione se temperare, ut interdum, ne penitus latere non possint, Christi corpus accipiant, sanguinem autem haurire omnino declinent; hoc eos indicio posse dignosci; omnes vero quorum deprehendatur sacrilega simulatio, a sanctorum societate esse pellendos. Est itaque ex his, quae S. 42, 5. leguntur, luce meridiana clarius, illis temporibus in romana ecclesia eucharistiam *sub utraque*, ut loquuntur, specie celebratam esse, nec solos clericos, sed christianam etiam plebem et omnes indiscrete laicos, praeter panem, poculum etiam accepisse benedictum. II. Si quis quaerat: utrum spiritualem tantum fruitionem, an vero realem corporis et sanguinis Christi in s. coena praesentiam LEO docuerit; recte respondetur, *realem* eum admisisse *praesentiam*. Minus tamen recte videtur procedere eorum argumentatio, qui ad demonstrandum LEONIS consensum cum nostrae ecclesiae doctoribus, ad eos huius auctoris locos provocant, in quibus ex eucharistia argumenta desumit, ad defendendam contra Eutychianos veritatem corporis Christi humanaeque eius naturae. Deus enim, pro summa sua veritate, non potest signum dare, si id quod per

signum repraesentari debet plane non existit, nec quicquam est praeter phantasma merum, oculos mortalium fallens. Quare, sive vere nobis in eucharistia *verum* porrigi dicas *corpus*, sive *signum* tantum corporis absentis et inadspectabilis adesse statuas, ex utraque tamen sententia recte poteris hoc efficere, Christum habere verum corpus. Hinc *Tertullianus* cum *advers. Marc.* Lib. 4, c. 40. verba Domini, *hoc est corpus meum*, ita interpretatus esset, ut *figuram* corporis intelligendam esse monuerit; [89]) addit: figura autem non fuisset, nisi veritatis (verum) esset corpus. Sed alii non desunt LEONIS loci, qui manifeste ostendunt, realis praesentiae eum fuisse patronum. Nam S. 91, 3. sic sacrae mensae, inquit, communicare debetis, ut nihil prorsus de *veritate corporis* Christi et sanguinis ambigatis; hoc enim *ore* sumitur, (similiter S. 42, 5.) quod fide (quae Eutychianos errores, quorum in antecedentibus habetur mentio, damnat) creditur. Et S. 63, 7. scribit: non aliud agit *participatio corporis et sanguinis Christi* (conf. Ep. 41, 1.) quam ut in id, quod sumimus, transeamus. — Et Christum per omnia et spiritu et *carne* gestemus. Conferenda etiam sunt, quae Ep. 59, 2. de hac re habentur. Quod vero hoc, quem modo excitavi, loco, eucharistia describatur per mysticam distributionem spiritalis alimoniae, et communicantes accipere dicantur coelestis cibi virtutem; neminis animo scrupulum iniicere de-

89) Conf. S. V. ERNESTI libellus qui *Antimuratorius* inscribitur p. 82.

bet. Hic enim locus ex illis optime et facillime explicari potest clarioribus, quos supra laudavi. III. Etsi *sacrificium* eucharisticum aliquoties commemoret LEO, tamen a me non possum impetrare, ut eum assertorem fuisse statuam illius dogmatis, (cuius hic ibi quaedam vestigia seculo 6. apparent, licet sine iusta ad nos auctoritate,) quod in eucharistia vere et proprie Christum pro hostia immolari, et a sacerdote offerri Deo patri, docet. Nam, nisi in omnibus, certe in plerisque antiquissimorum scriptorum locis, in quibus, ubi de eucharistia sermo est, hostiae, sacrificii, immolandi, offerendi verba commemorantur, ea horum vocabulorum significatio, secundum iustas interpretandi regulas, locum habet, quae tropica est, nec quicquam plerumque indicat, quam quod munera sive dona fidelium, vinum et panis, destinata sint eucharistiae, in qua sacrificii a Christo peracti memoria celebretur, et sacrificium laudis ac gratiarum actionis Deo offeratur. Ab hac itaque verborum significatione, quae licet impropria sit, usitatissima tamen, ne dicam unica, est, quae in libris vetustiorum patrum deprehendatur; ab hac, inquam, nisi nos cogat aliqua necessitas, recedendum non esse arbitror. In LEONIS certe locis nihil non modo obstat, quo minus locutiones, quae ibi occurrunt, impropie i. e. secundum communem loquendi consuetudinem, usurpatas esse existimemus; verum in singulis praeterea (si S. 66, 2. et Ep. 156, 5. excipias, ubi sacrificii et oblationis verba sine ulla adiunctione aut declaratione leguntur,) non deest aliquod indicium, ex quo valide

colligas, tropice locutum esse LEONEM. Ep. 9, 2. *Populus* dicitur sacrificium offerre; S. 91. 3. sacrificii oblatio coniungitur cum ieiuniis, eleemosynis et misericordiae largitione, et munda esse dicitur, si quidem ii, *qui ista dependunt*, quod operantur *intelligunt*; hoc est, ut ex contextu patet, si accedentes ad sacram mensam nihil prorsus de veritate humanae Christi naturae, aut de vera praesentia corporis in eucharistia, ambigant. Ab iis vero, a quibus contra id, quod accipitur, (verum puta corpus,) disputatur, frustra *amen* respondetur, et frustra dona (panis et vinum) *offeruntur*. Porro quae S. 59, 8. habentur, optime de hostia Deo in cruce offerenda explicantur. Nimirum in sacramenti institutione docuit Christus, idem pontifex idemque hostia, quod *se ipse* oblaturus sit Deo patri. Denique locus S. 59, 7. qui maximam omnium habet speciem, dubius saltim est, et tropum admittit. Dicit LEO: Nunc etiam (in N. T.) carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio etc. Quoniam vero *crucis* mentio praecedit, facile possunt ista intelligi de illo sacrificio novo foederi proprio, quod Christus semel quidem patri obtulit in cruce, cuius vero vis perpetua est, et memoria in s. coena a nobis celebratur. Sic omnia non solum apte cohaerent, sed cum caeteris etiam auctoris locis amice conspirant. IV. *Indigni* etiam corpus et sanguinem Christi accipiunt S. 42, 4. 54, 3.

§. 50. Si eos LEONIS locos, in quibus de *dignitate Petri* et eius *successorum*, ac de *primatu* caeteris-

que privilegis romanorum pontificum agitur, indicare atque observationibus, vel parcius adspersis, illustrare vellem, perpetuus fere in LEONEM commentarius mihi foret conscribendus. Avidissime enim ille omnes, minimas etiam, amplectitur occasiones, Petri laudes canendi, et praerogativas celebrandi romanorum praesulum, *quos istius vice* fungi S. 3, 4. *sub illius nomine* ecclesiae praesidere Ep. 61, 2. et *universae ecclesiae ex divina institutione* suam sollicitudinem impendere Ep. 12, 1. narrat. Nostrae vero brevitati nostroque consilio convenientissimum esse videtur, omnem istam causam, quae partim ad dogmaticum locum parum verae utilitatis affert, partim verbosiorem requirit discussionem, missam facere.

§. 51. Indicabimus potius, antequam finem imponamus huic dissertationi, quid *de lege mosaica* eiusque *abrogatione* senserit Noster auctor. Putavit autem ille, cessantibus significationibus, quibus salvatoris nunciabatur adventus, et peractis figuris, quas abstulit ipsa praesentia veritatis, ea quae vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita, permanere, et ea quae utrique testamento erunt congrua, nulla esse commutatione variata; S 71, 1. per evangelium gratiae sublatum quidem esse legis velamen, sed non destructa esse eius instituta; mandata et praecepta moralia, quae non aliud insinuant quam loquuntur, et terribiliter sunt prohibita aut salubriter imperata, *non aliter* ex legalibus institutis veneranda a nobis esse, quam ex *evangelicis edictis*;

S. 20, 1. apostolicam enim institutionem ex decretis V. T. haec ista decerpsisse, ut quae dudum fuerant consuetudinis iudaicae, fierent observantiae christianae, et antiquae retinerent auctoritatis firmitatem; S. 92, 1. crevisse vero, remota mysticae legis asperitate, voluntariae observantiae utilitatem; multa etiam in praeceptis moralibus prioris testamenti aucta esse evangelico magisterio, ut perfectiora et lucidiora essent dantia salutem, quam promittentia salvatorem. S. 63, 5. (Eadem *Irenaeus* etc.)

Ex hac legum iudaicarum theoria illud in primis efficere conatur LEO, *ieiunia* in V. T. Iudaeis praescripta sub novi foederis oeconomia esse servanda. S. 15, 2. 20, 1. 92, 2. Meam ego sententiam de hac re his observationibus complectar. 1) Opinio LEONIS de ieiuniorum, eorum praesertim, quae certis ac statis temporibus instituuntur, necessitate, a legis mosaicae praescripto ducta, oppido nihili est. Nullum enim statum ieiunium Iudaeis per Mosen indictum erat, praeter illud, quod in die expiationis annua celebrari solebat. Sed si qua veteris test. caerimonia ad Christum respexit, haec certe ad eum referenda est. Caetera ieiunia imperata non sunt, nisi in quantum temperantia generatim et sobrietas omnibus hominibus praeceptae sunt. Tota ista theoria dubia est et rarissimi tantum usus. Quotus enim quisque est, qui cum caeteris theologis sacrisque interpretibus in definiendo typorum, qui Christum adumbrabant, numero consentiat? Quilibet itaque pro suo arbitrio pauciora plurave instituta V. T. aut impleta aut

adhuc implenda esse existimabit. 3) Si per *moralia* Mosis praecepta ea intelligantur, quae repetunt quasi, et uberius declarant legem naturae: magis mihi placet haec distributio, quae moralibus mandatis caeteras omnes mosaicas leges opponit, quam altera illa nimis arbitraria et nullo fundamento certo superstructa, quae legem a Mose latam dividit in moralem, caerimonialem et civilem. Haec sane distinctio innumeras difficultates easdemque paene insuperabiles adferens nec ullo ipsius Mosis indicio, nec alius cuiusdam sacri scriptoris testimonio nititur, nec potest e legum varia, et quidem triplici, natura rite probari. 4) Nimirum moralia Mosis mandata, h. e. *legis naturalis* praecepta per Mosen apud Israelitas repetita, nemo migrat impune; caeterae vero omnes *mosaicae* leges ad nos non pertinent. Sed ne ad illa quidem mandata, quae perpetuo ab omnibus servanda sunt, quisquam per ipsam legem Mosis, (utpote quae Iudaeis tantum data est) obligatur; sed omnis, quae iis inest, obligandi vis imponitur per immutabilem atque aeternam naturae legem. 5) Neque tamen ideo nullum nos possumus ex ista lege Mosaica utilitatis fructum capere. Cum enim in mosaicis scriptis purissime ac valde perspicue naturalis legis exponantur praecepta, e limpidissimo hoc fonte in compendio hauritur istius legis cognitio. Caeterum omnia officia permanent eadem; tantum ab alia obligatione aliaque lege ducuntur.

Atque hic quidem finem faciam scribendi, nonnulla brevitatis studio praetermittens, quae de sanctorum intercessionibus eorumque invocatione, de

poenitentia atque satisfactione, de confessione privata, de meritis bonorum operum, de foenore aliisque similibus causis: ut et de aliis ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus momentis, observari adhuc possent. Quodsi vero nonnulla e LEONIS scriptionibus a me observata aut disputata fuerint, ad illustrandam dogmatum christianorum historiam non prorsus inutilia; aut si meo saltim exemplo qualicunque alios incitavero sacris studiis deditos, ut patrum volumina diligenti manu versent, et in alios antiquissimorum doctorum libros idem studium, quod LEONI ego pro mea mediocritate impendi, conferant: tum vero operae me pretium fecisse, nec inanem plane laborem, hunc libellum conscribendo, sustinuisse me arbitrabor.

Carissimo Griesbachio s. p. d. Io. Sal. Semler.

Etsi vel longi temporis auctoritate quasi niti videtur illa consuetudo, quae libellos academicos, huius generis, publicis litteris vix patitur destitui, quibus ii varie laudentur, qui hanc personam auctoris, quam TUO iure omnem geris, vel mentiri non raro solent: tamen huic ego consuetudini iam profecto obsecutus non eram, amicissime GRIESBACHI, nisi ipse statuissem TIBI aliquam me epistolam negare hoc tempore non posse.

Atque hic ego primum ultro fateor, non omne me epistolae argumentum arripere, quod se varium facile offerebat; nec, licet ingenuam et liberalem merearis laudem, publice ei rei iam praecipuam operam dabo; cum satis sciam, (tam saepe repetunt quidam de me sive querelas suas sive suspiciones,) quo studiosior in TE fuerit, epistolam meam apud multos TIBI eo magis obstare; ad favorem autem TIBI suscitandum nihil prodesse. Quo fato cum fere continuo utar, non abiicio quidem liberalem mentem et studiorum, quae nostris commendare audebam, sancte susceptum amorem: συνεχομαι tamen τῳ πραγματι και τῳ λογῳ. Nempe et hoc TIBI do, ut quasi rem aliam agens, his

graecis verbis tandem melius simul explicem istam sententiam, Actor. 18, 5. quam eximii etiam viri, ut gregem commentatorum non commemorem, non bene capiunt; ob falsam scriptionem, quae *excusos omnes libros nostros occupat;* (συνειχετο τῳ πνευματι, legendum est, quod ex scribendi compendio in πνευματι olim mutabatur, πραγματι, pro quo alii multi clarius legunt τῳ λογῳ) quo uno exemplo saltim commovebo praecipites rerum (quas nec attingunt, nec intelligunt plerique,) iudices, ut aut parcant invidiosis in me sententiis, aut si quidem soli sapiunt, vel hanc novam (quia vetusta sola perplacent,) illustrationem refutare, et explicare aliam lectionem ex alia velint; nec sacrilegium statim et piaculum mihi tribuant, quem meliora docendo emendare poterant. Sed eo in loco fere sunt ista studia, quae TU ipse, ut quidem illa scriptione prodis, non me demum ductore, amare atque amplecti videris. Nam lubens fateor, TUA esse illa omnia; a me, si paucos libros excepero, nihil quicquam adiutus fuisti, cum scriberes; pleraque adeo *Lipsiae* iam paraveras. Equidem facile intelligo, cum tam multis doctissimorum virorum praeceptis in rem TUAM gnaviter plures per annos usus fueris, TE iam ipsum theologicae eruditionis iustum ambitum propius cognovisse. Neminem profecto poenituerit habuisse TE discipulum; iam inde a Gymnasio *Francofurtensi*, quod meritissimos Rectores, *Albrechtum* et *Purmannum* studiorum meliorum initiis praefecerat, *Tubingenses* doctissimos Theologos, Venerab. *Reussium*, *Cottam*, *Sarto-*

rium TVI numquam puduerit. In *Fridericiana* nostra operam eamdem dedisti V. *Knappio*, *Noesseltio*; illustri *Segnero*, *Stiebritzio*, *Meiero*; lectionibus etiam interfuisti doctissimi *Schultzii*, *Foersteri*, et meis non paucis. *Lipsia* vero, nam et illam litterarum sedem adiisti, TIBI facultatem dedit S. Venerab. *Ernestii* (quem semper honoris caussa ego nomino;) V. *Crusii*, doctiss. *Ernestii*, *Schroekhii*, *Mori*, elegantissimi et optimi *Gellerti*, nec eruditissimi *Reiskii* arabica institutione caruisti. Tot eruditissimorum atque integerrimorum virorum praeceptis institutisque, et ad eruditionem divinam humanamque, et ad virtutem ingenuam ita informatus es, ut a me, quod TIBI accederet, vix quicquam fuerit.

Sed nec domestica quasi decora atque incitamenta TIBI defuerunt. Nam vel *avita* illa pietas, et bene de theologica eruditione merendi perpetuum studium, quidni TE inde a pueritia simili mente implevisse credatur? Qui ignorare poteras V. *parentis* illam et gratam in *Rambachium*, et publice frugiferam diligentiam, pluribus libris procuratis saepe spectatam? Eximiae autem *Rambachiae*, lectissimae *matris*, exemplum, liberalis in Deum et hominem pietatis, contentionemque vel muliebrem sortem superantem, quomodo quotidie spectabas, et amare TU non poteras? His igitur virtutis ingenuae et adiumentis et exercitiis dives ad nos accessisti; eximii autem peculii, quod scio et laetor, hic amisisti nihil; spero adeo et confido, TUAM ipsius conscientiam TE excitare ad Deum eo studiosius am-

plectendum, quod illa TE vel de eo certiorem faciat, non accessisse apud nos nihil ad animi bonam indolem, et christianae sapientiae consuetudinem. Ego certe non dubito, TE etiam aliis, si id ex TE scire velint, confirmaturum, errare illos, qui forte putent, temeritatis aut levitatis theologicae TIBI non defuisse, qui mecum iam habitares, et me propius spectares, varia exempla. Nam, etsi mihi non sumo, ut pietatem christianam vel sermonibus meis, vel vultu adeo suasore, certo statim ingeram; qua facultate si qui polleant, magnopere, Dei et communis rei caussa, ut me decet, eis gratulabor: nemini tamen, sciens et volens, scandalum oggero, et pro meo modulo εὐσέβειαν christianam quotidie melius cognoscere et aliis, sine sedulo strepitu, praeire studeo. TU iam, amicissime GRIESBACHI, utere et fruere tot Dei in TE collatis et, si ipse recte pateris, porro conferendis beneficiis, non solum in TUAM ipsius rem, sed et in aliorum, quibus cum tempore et loco coniunctus fueris, commodum: ut Dei sanctum honorem feliciter cum ingenua eruditione coniungi, expertus ipse, aliis facilius persuadeas. Tandem, nisi silentio eam rem iubes premere, amplissimae facultati TE gratulor, philosoph. honorum candidatum. Macte illa virtute! Commenda isto TUO commilitonumque eximiorum exemplo, ad alios *Moeni Rhenique* accolas, Fridericianae nostrae salubrem consuetudinem. Vale, meque, ut facis, si recte id facere porro potes, ama. Dab. in Fridericiana regia d. 19. Febr. 1768.

II.

De fide historica ex ipsa rerum quae narrantur natura iudicanda.

Praeside

Ioan. Friederico Stiebritz

Pro summis in philosophia honoribus rite capessendis die XXII. Octobr. MDCCLXVIII.

publice disputabit auctor

Ioannes Iacobus Griesbach.

---

§. 1. Fides historica duobus nititur fundamentis; quorum alterum, historiae proprium, ea sub se veritatis signa comprehendit, quae a testium dexteritate atque sinceritate repetuntur; alterum, omnibus litterarum disciplinis quodammodo commune, ea complectitur, quae ex factorum, quae traduntur, ipsorum natura duci posse videntur. Ista igitur externa veritatis criteria, e quibus testium auctori-

tatem aestimare solemus, brevitatis causa, *historica* nominabimus; quae vero ex rerum ipsarum natura et indole, earumque possibilitate, probabilitate interna, quae e testimonio non pendet, aut denique necessitate eo consilio sumuntur, ut per ea argumentorum historicorum auctoritas vel confirmetur vel infringatur, haec omnia *philosophicorum* nomine nobis venient. Signa historica, ex quibus veritatem rerum factarum nos diiudicare oportet, brevissime ita complecti poteris, ut cum S. V. ERNESTI iis dicas fidem esse habendam, qui rem, uti est vel gesta fuit, non potuerunt non scire, aut saltim eius cognoscendae idoneam facultatem habuerunt; quique eam, vere dixisse eo putandi sunt, quod vel necessario eam uti sciebant, dixerunt, id quod in eos cadit, qui litteris publicis eam iussi sunt mandare; vel quod nulla re, quominus vera dicerent, impediti fuerunt, idoneas vero causas, quare vellent dicere, habuerunt. Quae omnia copiose atque eleganter, ut solet, enucleavit V. ERNESTI in dissertatione *de fide historica recte aestimanda.* Criteria autem veritatis historicae philosophica, quorum cognitio exquisitior magni profecto momenti est, nemo, quod sciam, copiose satis et accurate exposuit; sed omnes fere primis tantum, ut dicitur, digitis in transitu hanc causam attigerunt. Conabimur ergo nos potiora momenta, quorum consideratio in aestimanda historica fide prae caeteris saepenumero utilis, ne dicam necessaria, est, breviter indicare. Quam tractationem ita instituemus, ut primo huius generis criteria quaenam

sint exponamus, deinde de eorum pretio in cognoscenda iudicandaque veritate pauca disputemus.

§. 2. Quoties veritas narrationis cuiusdam ex ipsius, quae narratur, rei natura diiudicanda nobis proponitur, omnium primum dispiciendum est, *an res ita esse aut fieri potuerit, ut esse aut gesta fuisse dicitur.* Cum itaque omnia, quae possibilia sunt, aut intrinsecus tantum, aut extrinsecus quoque et cum conditione, possibilia sint; de utroque genere aliquid monendum esse videtur. Quod ad prius attinet, quod ea complectitur, quae *simpliciter et per se sunt possibilia*, consideratio eius in examinandis historicorum narrationibus rarius aliquem usum habet; quia paucissimi eo progrediuntur dementiae, ut ultro talia pro veris narrando, quae ne per se quidem a repugnantia libera sunt, deridendos se nobis praebeant. Quare, ut in internam hanc factorum possibilitatem anxie inquiramus, opus plerumque non est; praesertim cum eorum, quae per se ἀδυνατα sunt, repugnantia in hoc rerum genere, facile cuilibet adpareat. Possibilitas itaque interna rerum, quae narrantur, pro concessa recte ponitur, dummodo nihil adsit, quod, ut in dubium eam vocemus, vel prorsus negemus, nos admoneat. Cuius generis si quaedam occurrunt, ea ante omnia ita sunt diluenda, ut ostendatur, vana ea esse atque futilia. Attamen fieri nonnunquam potest, ut ipsa etiam interna facti cuiusdam possibilitas non solum ab obiectionibus curate vindicari, sed plenius etiam explicari debeat. Sunt enim nonnulli, quibus nihil tam certum est atque exploratum,

quin, congestis undique levissimis argumentis, in dubitationem id vocare audeant. Cum primis vero haec de possibilitate quaestio multa et accurata circumspectione indiget, si miraculorum veritas ad examinandum proponitur. Non possumus non hac occasione eos reprehendere, qui quoties de *eventu insolito*, sibi nondum viso, audito aut observato aliquid inaudiunt, statim ad impossibilitatis accusationem prorunnt, non perpendentes, ante ipsos pariter atque sua ipsorum aetate, praesertim in aliis regionibus, longe plurima exstitisse atque etiamnum existere, quorum in notitiam nondum pervenire potuerunt. Male hi homines a particulari concludunt ad universale.

§. 3. Altera huius quaestionis pars altioris est indaginis. Non enim sufficit ad probandam narrationis cuiusdam possibilitatem, ostendisse, rem, quae traditur, per se et simpliciter esse aut fieri posse; sed dispiciendum inprimis est, num *extrinsecus possibilis* ea sit, nec repugnet aliis rebus externis, cum quibus coniuncta fuisse fertur.*) Eum igitur, qui rem ita, ut narratur, fuisse aut gestam esse contendit, docere etiam oportet, fieri eam potuisse hoc in loco, hoc tempore, ab his hominibus, hoc modo, et si qua sunt huius generis alia, quae in quaestionibus de factorum veritate in censum venire debent. Interim oratione, longo anfractu circumscripta, ut explanentur et sigil-

*) Pugna singularis partium internarum pertinet ad impossibilitatem absolutam. Huc tantum pertinet pugna cum circumstantiis, s. rebus externis.

latim expendantur, isthaec omnia in singulis casibus, necesse non est, nisi habeas, quod dubitationi locum praebeat, et ad examen accuratius instituendum te invitet. Hic tamen probe tenendum, scriptores, qui leviter tantum rem quandam attingunt, neque eorum, quae circumstant, copiam suppeditant; aut qui alieno loco extra nexum eius mentionem aliis rebus interspergunt, disquisitioni huic locum vix relinquere. Fuerunt enim antiquioribus pariter et recentioribus temporibus nonnulli, qui mendacia et nugas pro veris hominibus persuasuri, saepe de industria aut nullas omnino, aut paucas res, factum quod commenti sunt circumstantes, commemoraverunt; eo usque, ut neque locorum neque temporum mentionem ullam fecerint. Fieri enim vix potest, ut tam aptus sit aliquis mendaciorum artifex, ut, narrationi copiosae, quae plene totius rei modum ac rationem persequitur, nihil admisceat, in commemoratione circumstantiarum s. externarum rerum: de partibus quasi internis non loquimur h. l., quod a toto orationis tenore abhorreat, et peritis harum rerum arbitris suspicionem mendacii moveat. Si vero omnia, quae de re aliqua enumerantur, amice inter se conspirent, neque quicquam in ea sit, quod cum caeteris narrationis partibus tam externis quam internis pugnet; dubitare non poterimus, quin res ita esse atque fieri potuerit, tam in se, quam in coniunctione cum iis, quae proxime eam circumstetisse traduntur, considerata. Possibilitas enim hypothetica occupat absolutam.

§. 4. Sed latius adhuc patet hic de possibilitate, quae conditionem adiunctam habet, locus. Quamquam enim in narratione quadam omnia apte cohaerent, si eam in toto suo ambitu, tam interno quam externo, sed solam, spectes; contingere tamen nihilominus potest, ut ea sit impossibilis. Quod fit, primo, si res narrata pugnat cum aliis, quas illam certo scimus vel *antecessisse* vel *consecutas* esse.*) Cum enim non solum omnium, quae sunt atque fiunt, aliqua detur causa, ex qua intelligitur, rem ita esse fierique potuisse; verum etiam nihil tam sit sterile atque infructuosum, quin eo posito sequantur alia, quorum ratio ex illo reddi possit: igitur patet, ad diiudicandam rerum gestarum possibilitatem et impossibilitatem, non minimi momenti esse hanc antegressorum et subsecutorum comparationem. Quae nimirum in antecedentibus *nullam habent causam*, ea naturaliter impossibilibus sunt adnumeranda. Valet igitur hic philosophorum ea lex, qua *casum* caecum, quem purum etiam nominant, e mundo exterminarunt: quacum arcte coniunctum est illud eorum decretum, quo negant, quicquam posse per *saltum* fieri: ubi tamen sedulo distinguendus est saltus, quem absolutum vocare consueverunt, ab eo, qui respectivus dicitur, et, concessa eventuum miraculosorum possibilitate, admitti debet; quem in eo positum esse

*) Quoniam hoc interdum aliunde scimus quam ex ipsa narratione, sigillatim hoc erat indicandum.

docent, quod nonnulla eveniant sine causa proxima naturali atque ordinaria. Huic cautioni subiungimus aliam. Cum scilicet multa plerumque lateant, quae rem propositam antegressa sunt; non satis tuto huic argumento, quod ex rerum antecedentium pugna duci posse videtur, innitimur, (reddit rem narratam tantum improbabilem, nisi pugna cum antecedentibus sit indubie certa) praesertim, quia ad qualemcunque possibilitatis assertionem et defensionem, nisi graviora obstent, sufficere possit hypotheseos cuiusdam excogitatio, qua posita intelligi posset, rem sic fieri potuisse. Lucem ex his accipere possunt tum ea, quae subito contingunt, tum vero etiam illi rerum eventus, qui, licet ex parvis causis orti sint, in se tamen maxime spectabiles sunt, et gravissima simul secum vehunt consectaria. Interim augetur haec impossibilitatis suspicio, ex causarum ignoratione orta, (§. 14.) si tantum abest, ut ex iis, quae eventum praecesserunt, eius possibilitas intelligatur, ut potius illis positis eius contrarium omnino videatur evenire debuisse, aut si probabili ratione ostendi potest, causas, sine quibus res esse aut fieri nequit, nec adfuisse nec potuisse adesse. Sed multum difficultatis habet haec quaestio, quaenam sint istae causae, sine quibus fieri aliquid non possit? Ii hac in re ad iudicandum sunt aut soli aut sane maxime idonei, qui hominum mores atque ingenium penitius norunt; et, quibus rebus homines solent ad agendum impelli, sciunt, quique rebus gerendis ipsi saepius interfuere, ac experientia magistra didicerunt, quibus modis at-

que rationibus res quaeque fieri possit. Eadem fere est ratio eorum, quae rem secuta sunt; quae si omnino repugnant ei rei, de cuius possibilitate disputatur, hanc ad ἀδυνατά redigunt, si quidem ipsa extra dubitationem posita sint.

§. 5. Deinde impossibilitatem rerum narratarum intelligimus ex earum *pugna cum veritatibus aliunde cognitis*; quo repugnantiarum genere nullum paene plures habet difficultates. Si tamen exacte inquiras, utrum nullo prorsus modo pugna haec componi possit, an vero repugnantiae tantum adsit vana opinio; si praeterea dispicias, num qua forte exceptio a vulgaribus regulis hic admittenda sit; denique si pondus argumentorum, quae tum ad asserendum tum ad impugnandum ex utraque parte proferuntur, absque omni partium studio expendas, tibique ab opinionibus praeconceptis caveas: plerumque sane poteris litem feliciter dirimere. Oritur porro *impossibilitatis* quaedam species ex *moribus hominum*, quae hinc *moralis* a nonnullis dicitur. Nempe non temere eo deveniendum est, ut v. c. vir, quem sapientem, bonum, iustum, honestum, scelerisque purum esse certo novimus, aliquid admisisse credatur, quod cum moribus eius ita bene compositis non consentiat. Idem valet de opinionibus, quibus aliquem duci scimus. Ut vero mores et opiniones alicuius penitius pernoscantur, utile est considerare eius indolem, patriam, educationem, vitae genus, fautores, adversarios etc. In iudicandis actionibus singulis iuvamur praeterea investigatione consilii, quod quis in agendo maxime

secutus est. Quam parum autem his argumentis in rebus historicis tribuere liceat, fugere non potest eos, qui non ignorant, nihil magis esse varium, mutabile et incertum, quam mores hominum animorumque commotiones. Quid? quod de his rebus plerumque nihil certi memoriae proditum est, nec habemus, cui tuto inniti possimus. Quare nisi alia signa falsitatis afferat, qui rem aliquam enarratam impugnat; parum eum iuvabit provocare ad repugnantiam adversus mores illi alias consuetos, a quo gesta ea esse dicitur. Improbabilem eam quodammodo reddet; impossibilem eam esse, vix ac ne vix quidem evincere poterit, quoniam altera syllogismi propositio tantum est probabilis, non necessario vera. Denique si narratio quaedam *repugnat* in essentialibus *aliis eiusdem auctoris effatis*; tum cernitur, aut haec aut illam pertinere ad ἀδυνατα. Quae enim inter se pugnant, locum simul invenire nequeunt. Utra vero narrationum reiicienda sit, ex aliis veri falsique signis iudicandum est. Idem tenendum de *contrariis plurium historicorum* de eadem re *testimoniis*. Utrosque enim vera dixisse, impossibile est.

§. 6. Ex iis, quae hactenus dicta sunt, facile est intellectu, quid sit in rebus historicis possibile, quid ἀδυνατον, tum simpliciter, tum cum conditione. Nonnulla tamen, quae de impossibilibus observanda sunt, pressius adhuc exponere lubet.

I. Reperta qualicunque in rebus earumque coniunctione repugnantia, nondum satis certi sumus de totius rei impossibilitate; praesertim si res non solum

per se et intrinsecus possibilis est, sed caetera etiam, sc. praeter unum hoc, quae de ea traduntur, concentu quodam mirabili conspirant. Quam ob rem sedulo dispiciendum est, ne ea, quae repugnantiam quandam involvere videntur, nec vere involvunt, ἀδυνατων loco habeamus. Ex his tricis ut nos facilius expedire possimus, opus est duplici potissimum *subsidiorum* genere, quorum *alterum* e criticorum disciplina, *alterum* ex iustae interpretationis legibus petitur. Critica ars saepissime in superandis hisce difficultatibus mirifice nos iuvat. Oriuntur enim eae saepenumero ex mala lectione librorum corrupte exaratorum. Qui igitur documentis veterum historicorum medicam manum adhibuerunt, et tum genuina vetustatis monumenta a fictitiis atque supposititiis, et ad antiquitatis speciem effictis, probe discreverunt, tum veras lectiones in locum falsarum substituerunt; hi profecto historiam universam, ut ab aliis difficultatibus, ita etiam permultis adparentibus repugnantiis, multarum altercationum eruditarum caussis, liberasse putandi sunt. Sed multa adhuc beneficia sperare licet ex studiis criticorum, praecipue in nominibus hominum atque locorum et numeris emendandis. Saepissime enim librariorum aberrationes, his in rebus praecipue et faciles et crebrae, intricata ac incredibilia reddunt ea, quae plana essent et ad fidem prona, dummodo huiusmodi vitiis carerent historicorum libri. Sed ex iusta interpretatione locorum difficiliorum, cuius mentionem secundo loco feci, utilitatem percipiunt veritatis historicae existimatores non mi-

norem ea, quae e criticorum industria in eosdem redundat. Quemadmodum enim ex falsis interpretamentis verborum ac formularum, quibus in narrando utuntur historici, innumerae difficultates plurimique errores originem suam duxerunt; ita ex uno hoc fonte plerorumque ἐναντιοφανων compositio manat. Quid enim? Nonne multas repugnantias, non veras quidem, sed opinatas, at satis tamen speciosas, conciliare is poterit, cui cognita est atque perspecta historicorum, e. g. Evangelistarum consuetudo, unam eandemque rem varia ratione, nec semper summa cum ἀκριβεια, narrandi? Quam igitur ineptus veritatis historicae iudex esset, qui, ut unum hoc afferam, temporum discrimina servare haud didicisset? Nam nostris temporibus multa possibilia sunt, quae ante aliquot secula, nedum antiquissima mundi aetate, impossibilia erant: numerosi exercitus, aedificatio classis paucis diebus perfecta; heroismus in profundenda vita pro patria, ortus ex moribus v. c. Lacedaemoniorum et educatione a nostra longe diversa; et vicissim, multa nunc sunt incredibilia, quae tum temporis fieri poterant. Similiter regionum, populorum, gentiumque varii mores diversaque indoles nunquam ex oculis est amittenda. Sed huiusmodi praecepta utilissima permulta quilibet facile inveniet in optima quaque ad interpretationem iustam institutione.

II. Iam si his aliisque adminiculis, licet sedulo adhibitis, tamen effici nequeat, ut res a repugnantia libera sit, aliquid monstri intus ali videtur. Non omnis tamen repugnantia tanti est aestimanda, ut to-

ta narratio ob eam prorsus abiiciatur, aut fictionibus tota adnumeretur. Certe in narrationibus rerum, antiquissimo tempore gestarum, huiusmodi repugnantiae deprehenduntur, e quibus cogi nec potest nec debet, eas esse impossibiles. Cum enim ob ipsam rerum enarratarum vetustatem multa nobis nunc sint obscura et nodis indissolubilibus implicata, quae, nisi abolevisset temporis iniuria rerum multarum, illa circumstantium, memoriam, plana essent atque aperta: magna cautione opus est, ne ea impossibilia esse temere pronunciemus, quae nequeunt discussius a nobis explorari exactiusque examinari. Tale quid accidere etiam potest in iudicio rerum, locorum intervallo admodum a nobis remotarum. *) Accedit, quod in rerum gestarum expositionibus falsa non raro veris sint admixta. Quod quoties ita esse videtur, dispiciendum est, utrum contrarietas, quam deprehendimus, ita sit comparata, ut per eam rei totius veritas tollatur, an vero, resectis repugnantibus, caeterae narrationis partes non omni veritate destituantur. In diiudicando diverso hoc repugnantiarum pondere, quia non omnia ex iisdem semper fontibus manarunt, quae de re aliqua dicuntur, maxime prodest considerare, unde singulae narrationis partes haustae sint, et unde hauriri potuerint, eaque, quae historicus certo resciscere potuit, separare ab iis, quae non nisi incerto scisse videtur. Hinc si constet, partem nar-

*) Siamenses putarunt, fieri non posse, ut currus siccis rotis flumen transveheretur sine navi aut ponte.

rationis sumtam esse ex monumentis publicis, aut ex annalibus antiquiorum historicorum fide dignorum; tum veritati huius partis obstare nequeunt, nisi sinceritas testis suspecta est, quae forte ex rumore et vulgari opinione, aut e coniectura addita sunt, illi contraria. Etenim in ipsis monumentis publicis et diplomatibus, ut observarunt viri docti, probe discernere oportet praecipuum eorum argumentum, cuius caussa confecta sunt, ab iis, quae honoris ergo addita, et cum cardine rei non necessario sunt coniuncta. Facile autem est iudicium, si simile vero sit, historicum non omnino liberum fuisse a partium studio, sed voluisse eum aut satyram scribere, aut panegyricam orationem contexere, aut aliis modis suis suorumque utilitatibus inservire. Nam quae ex putido hoc fonte profluxerunt, opponi non possunt iis, quae alibi recte et veritati consentienter dicta sunt: qua de re, scil. num quis sincerus sit an vero partium studiosus, ut recte existimemus, nosse iuvabit scriptoris ingenium, mores, vitae genus, atque consilium, quod secutus est. Alii enim vel fictas plane narratiunculas composuerunt, vel suas de rebus veris narrationes variis figmentis exornarunt, quia veritatis nudae expositio videbatur parum posse delectationis afferre lectoribus, quorum gratiam, una cum ingenii elegantiaeque laude, praecipue captabant. Alii, ut christiana plebs haberet, quo (ut loquuntur) aedificaretur, miras condiderunt fabulas. Alii, cum quotidiana et apud omnes pervulgata vilescere viderent, talia narrarunt, quae nemo ante ipsos memoriae pro-

didit; qua ratione sperabant, fore, ut ipsi crederentur accuratius quam alii antiquitatis monumenta perquisivisse, et ex iis fontibus hausisse, quos adire paucis aut nemini licuerit. Aliorum consilia alio spectant. Sed omnia quae ex his consiliis proficiscuntur suspecta sunt. — Sed ad ipsum etiam scribendi genus, quo quis in narrando usus est, attendere debemus. Nam gravi atque simplici oratione persequi solent historiarum scriptores ea, de quorum veritate ipsi firmiter persuasi sunt; in iis vero exponendis, quae, etsi ipsis dubia ac falsa videntur, aliis pro veris obtrudere volunt, plerumque declamatorio quodam atque sophistico dicendi genere utuntur, quod ad persuadendum magis est accommodatum, quam ad fidem plenam atque certam faciendam. Haec vero omnia* vix poterit quisquam observare, nisi in optimorum historicorum lectione versatissimus sit, et illum quasi nativum colorem, quo veritas nitet, longo usu edoctus didicerit a fuco isto discernere, quo mendacia exornari solent. Fatendum tamen est, vix optimum quemque harum rerum arbitrum, si solo hoc argumento innitatur, ab erroris periculo posse securum esse. Nam in ea praesertim historiae parte, quae res christianas et ad religionem pertinentes tradit, uti nullus fere historicorum ab omni, quantulumcunque sit, partium studio absolvi potest, sed aliquid, tantum non omnibus, ex sua suorumque de his rebus cogitandi consuetudine adhaerere solet, quod, insciis atque nolentibus ipsis, sese narrationibus immiscet; ita difficillime hoc separatur

ab iis, quae absque cupiditatis et studii suspicione dicta sunt. Hinc orthodoxorum narrationes de haeresibus suspectae. Sed de his rebus plura hoc loco dicere nil attinet; de criteriis veritatis historicae, quae e rerum narratarum natura ducuntur, dicere instituimus; ad haec igitur redibimus; etsi ne ea quidem, quae modo proposuimus, ab hac re longe sunt remota.

§. 7. Evicta iam rei, de cuius veritate quaeritur, possibilitate, videndum est secundo, *utrum ea probabilis sit veroque similis, nec ne.* Haberemus hic campum admodum spatiosum, in quem excurrere posset nostra oratio, si omnia hic pleno sermone persequi vellemus, quae de probabilitate cum in universum, tum nominatim de ea, quae in rerum gestarum expositionibus locum habet, a philosophis praecipi solent. Sed id nunc non agimus, ut omnia criteria philosophica veritatis historicae exacte describamus atque explanemus; sed ut viam tantummodo nobis muniamus, ad constituendum verum horum criteriorum pretium. Quare ex philosophorum de hac re sententiis atque praeceptis, admodum a se invicem discrepantibus, ea tantum seligemus, breviterque enarrabimus, quae ad illustrandam hanc, quam tractandam suscepimus, causam, prae caeteris aliquid valere existimamus, quaeque omnium maxime cum instituti nostri ratione cohaerere videntur. Silentio igitur praeterimus omnia ista probabilitatis genera atque argumenta, quae a testibus et monumentis historicis eorumque auctori-

tate externa ducuntur, et de eo tantum genere vel probabilitatis vel improbabilitatis pauca disseremus, quod a rebus, quae narrantur, ipsis, aliisque eventibus, cum his arctiori quodam vinculo copulatis, illarumque natura et conditione, pendet. De quo priusquam disputare incipiamus, monendum videtur, duplicem subiectam esse huic vocabulo vim, atque, potestatem. Nam non solum ea probabilia dicuntur, quae vere sunt talia; sed ea etiam, quae nobis vero similia quidem videntur, quae vero, ad iustas probabilitatis regulas examinata, reperiuntur minus esse probabilia. Hanc probabilitatem quidam solent *subiectivam* vocare, illam vero (forte parum accurate, quia probabilitas nunquam est quaedam rerum ipsarum conditio, sed est tantum in nostro cogitandi modo,) *obiectivam* nominant. Nos posteriori significatione vocabulum accipiemus. Subiectiva enim illa, si placet, probabilitas hac appellatione est indigna. Est enim putatitia tantum. Hanc ut a vera seu subiectiva discernamus, necesse est, tum ut certas, stabiles atque iustas probabilitatis notas, tanquam regulas, quibus in iudicando intellectus noster dirigi possit, sciamus, tum ut certi simus, istis regulis recte atque legitime nos esse usos.

§. 8. Cum quaeritur, num quid sit probabile? aut simpliciter quaeritur, aut comparatè. Quod ut intelligatur quid sit, ipsa universae *probabilitatis* natura enucleatius est exponenda. Nempe quicquid rectius pro vero habetur, quam pro falso, quanquam nullâ potest evidenti demonstratione confirmari,

probabile dici solet. Iam cum nihil possit pro vero poni, nisi iusta adsit, cur id fiat, causa: tum demum sententia aliqua, ad cuius demonstrationem absolutam atque perfectam deest aliquid, erit probabilis, si, qui pro vera eam habent, pluribus ducuntur et gravioribus rationibus, quam qui eam repudiant, et aliam, quae cum ista simul vera esse nequit, amplectuntur*). Improbabile contra, ut ante nos alii etiam monuerunt, est, quo posito plus sumitur sine ratione sufficiente, quam si poneretur eius oppositum. Ea vero, quae probabilibus sunt opposita, (h. e. quae posito probabili improbabilia esse ponuntur,) possibilia sint, intrinsecus saltim, necesse est: nam si prorsus inter ἀδυνατα pertinerent, eorum oppositum non probabile diceretur, sed necessario verum atque certissimum. Quod vero pro possibili aliquid habetur, id, ut probabile idem censeatur, non efficit. Quantum enim intersit inter probabile, et id, quod tantum est possibile, vel ex eo iam apparet, quod numerus possibilium infinitis vicibus superet probabilium rerum numerum. Nemo certe, qui sana mente praeditus est, ea omnia aut sperat aut timet, quae in se possibilia esse existimat. Cum itaque inter tot, quae possibilia esse putantur, tam pauca ad levem aliquam, nedum maiorem, probabilitatem assurgant: patet, haud parum debere

*) Res ipsa est comparativa, hinc definitio comparativa non est vituperanda. Aliorum definitiones etiam sunt comparativae.

ad possibilitatis intelligentiam accedere; ut inde aliqua enascatur probabilitas. Unde nonnulli haud inepte e pluribus possibilibus id probabile esse dixerunt, quod possibilitatis gradu opposita sua antecedit, h. e. cujus possibilitas magis *intelligitur*; et quidem non solum possibilitas absoluta sed hypothetica etiam in nexu hujus mundi. Omnis enim probabilitas est subjectiva. Ad possibilitatis intelligentiam additur aliquid, si vel modum, quo haec, quae probabilis dicitur, res fieri potuit, vel causas, e quibus proficisci consuevit, vel alia signa, quae plerumque eam antecedere, comitari et subsequi assolent, perspicimus, et rei huius exsistentiam cum pluribus rebus convenire videmus, quam non-exsistentiam. Cum enim, ut aliquid inter possibilia huius mundi referri possit, non solum requiratur, ut liberum sit ab omni repugnantia tam externa in determinationibus externis, quam interna in determinationibus internis; sed opus etiam sit, ut, in hoc mundo habeat et rationes et rationata: sequitur, ut quo distinctius intelligimus, esse aliquid in nexu huius mundi possibile, hoc est: quo plures ac graviores eius rationes atque rationata cognoscimus, hoc magis id nobis videri debeat possibile. Sed hoc simul probabilius id est, ut ex sequentibus apparebit. Iam quid *simpliciter* sit probabile, intelligitur; scilicet, quod probabilitatis gradu omnia, tum singula tum universa simul sumta, opposita, superat. Contra vero *comparate* probabile est, quod aut quibusdam tantum oppositorum, aut omnibus etiam, sed non in unum quasi

collectis, probabilius est. Si v. c. quatuor latera tesserae lusoriae singula sunt ternario numero insignita, duo autem eiusdem tesserae latera, alterum unitate alterum numero binario sunt notata; non comparate solum sed simpliciter etiam probabile est, iacta tessera numerum casurum esse ternarium. Sed si tria tantum latera unam eandemque notam habent inscriptam, caetera vero habent tria signa alia, a se invicem diversa; tum comparate quidem probabilius est, comparituram esse notam, tribus lateribus communem, quam hoc vel illud signum determinatum, non nisi semel tesserae impressum. Neque tamen ideo simpliciter id probabile est; aeque enim possibile est ut ista nota cadat, quam aliud signum quodcunque.

§. 9. Iam quibus rationibus potissimum inducamur, ut aliquid pro probabiliore, quam quidem est eius oppositum, habeamus, ita indicabimus, ut missis caeteris ea praecipue tradamus, quae inprimis in rem esse videntur. Probabilitas, ut hinc ordiamur, occupat, ut iam monuimus, rem *in se esse ab omni repugnantia liberam.* Quum vero eae quoque enunciationes, quae probabili opponuntur, cum hac commune habeant hoc, ut possibiles sint; ex eo, quod a repugnantia liberum est aliquid, nondum potest colligi, idem esse probabile; nisi forte ostendi possit, caetera membra enunciationis disiunctivae, (cui hoc, quod probabile putatur, cum omnibus, quae in eius locum forsitan poni possent, includitur,) praeter unum hoc, omnia

esse improbabilia. Tunc vero non tam possibilitas sola, quam improbabilitas oppositi rem reddit probabilem. Sumas v. c. eventum, quemcunque velis, res aut evenit certo aliquo atque definito, aut a io quocunque modo, aut plane non evenit. Fac vero, improbabile esse, rem plane non evenisse; fac etiam, improbabile esse, eam ullo modo evenisse, si ab unico discedas, quem cur improbabilem putes, non habes, quamvis desint argumenta positiva, quae eius probabilitatem evincant; haec igitur si ita sint, probabile omnino est, rem hoc ipso definito modo evenisse, siquidem nihil in eo insit repugnantiae. Quod argumentationum genus ut ratum sit, necesse est, ut nullum disiunctionis membrum possibile praetermissum sit; quod vero in hoc rerum genere, de quo nos disputamus, plerumque non adeo facile est. Sola etiam *absentia repugnantiarum*, aliorumque indiciorum, quae fictionem produnt, adeoque possibilitas interna *coniuncta cum externa* efficit, ut narrationes, quae multis partibus constant, totamque rem, quam describunt, copiose atque plene persequuntur, probabilibus saltim quod ad caput rei attinet, non immerito accenseantur. Fieri enim, ut §. 3. observavimus, vix potest, ut verbosa narratio, si plane sit conficta, non habeat quaedam fictionis atque fraudis signa impressa.

§. 10. Etsi ad negandam possibilitatem rei, ab historicis traditae, non sufficit *modi, quo fieri potuit* factaque est, ignorantia; sed ostendi etiam

debet, cur fieri nequiverit: eximie tamen firmatur nostra de possibilitate eius rei persuasio, et transit in quandam probabilitatis speciem, si modum ipsum, quo ea fieri potuit, vel ex *ipsius natura* planissime intelligimus, vel ex *eventibus similibus*, de quibus, quo modo fiant, scimus, auguramur. Quamobrem eae res, de quibus, quo modo evenire possint, patet, caeteris paribus, probabiles sunt, si comparantur cum aliis, quarum ortum nullo modo explicare possumus. Recte etiam verosimilia existimantur, quorum rationem ac modum, etiamsi nec ex ipsorum nec ex eventuum similium natura noscantur, coniectura tamen ita assequimur, ut aptam *hypothesin* aliquam ponamus, e qua, quo fieri potuerint modo, intelligi possit. Quibusnam vero legibus hypothesium inventio contineatur, quaeve sit earum ad probandum vis, non est, quod multis hic explicemus. Liquido etiam constat, in rebus historicis eas hypotheses esse caeteris longe praeferendas, quae non solum possibilitatis modum, de quo quaeritur, omnium optime declarant; verum etiam cum universa rerum gestarum continuitate possunt tam apte coniungi, ut his quoque non parum illustrationis inde accedat. Unum hoc cum in toto probabilitatum iudicio, tum inprimis in excogitandis hypothesibus, cavendum esse monemus, ne multa ponantur temere, caeco casu et volubilitate fortunae, evenisse, ac ad efficiendam aliquam rem concurrisse, quae nihil habere videntur rationis, cur sic nec aliter ceciderint, et in eandem rem ita

mirifice conspiraverint. Sed non solum, *quo melior* est hypothesis, quae ad declarandam rei possbilitatem excogitata est, verum etiam *quo plures* reperiri possunt hypotheses, quarum unaquaeque ad ostendendam hanc possibilitatem idonea est, hoc ea res est probabilior. Hinc, quam rationem comparationemque numerus habet eorum casuum, in quibus id, quod in disceptationem vocatur, locum habere potest, ad numerum casuum, in quibus fieri id nequit, eandem probabilitas huius eventus ad eius improbabilitatem, sive oppositi probabilitatem, habet. Quae quidem argumentatio tum demum omni exceptione maior est, si certo scimus, omnes casus, quos recipere potest res, accurate ac plene esse enumeratos; nullum autem, alias ob causas, esse caeteris aut probabiliorem aut improbabiliorem. Sic instituitur comparatio, ubi an aliquid factum sit, nec ne? quaeritur. Verum ubi eventus aliquis iam pro concesso atque certo ponitur, et de eo tantummodo disputatur, quo res evenerit modo, quibusve ex causis; plane alia ineunda est via. Tum enim, si probabili coniectura augurari liceat, non nisi unico modo eventum cadere potuisse, hanc ipsam ob causam probabile est, sic nec aliter eum accidisse, etsi nulla alia adsunt huius rei indicia. cf. §. 9.

§. 11. Cum vero interna possibilitas, ut vidimus, interdum aliquam, licet satis levem, probabilitatem gignat; minime mirum cuiquam debet videri, ea, quae non solum in se, sed *extrinsecus* etiam, *possibilia* sunt, hanc ob causam verosimilia

dici posse, si cum aliis conferantur, de quorum possibilitate externa non tam liquido nobis constat. Si enim res, quae narratur, tam bene convenit loco, et inprimis tempori, quo evenisse traditur, (chronologicis enim rationibus plurimum tribui volunt viri docti; maior tamen iis inest vis ad falsi convictionem, quam ad veri probationem;) caeterisque rebus circumstantibus omnibus, et seriei tum antecedentium tum consequentium, ut haec omnia eam non tam admittere, quam desiderare atque exposcere videantur: habet ea profecto quandam veritatis speciem; praesertim si omisso hoc eventu, aut alio in eius locum subrogato, totus fere rerum, quae cum eo coniunctae fuisse feruntur, de quarum veritate aliunde nobis constat, ordo turbaretur. Contra vero, quo minus hae possunt conciliari cum eventu illo, et quo sunt tum certiores tum arctius cum eo copulatae, hoc magis ille est improbabilis, donec, exorta vera et certa repugnantia cum rebus indubiis, prorsus ad ἀδυνατα redigatur.

§. 12. Igitur cum nullum fere vinculum possit esse arctius eo, quod *effecta cum causis* copulat, patet, in serie rerum antecedentium eas potissimum diligenter esse considerandas, in quibus eventus, in disputationem adducti, causae delitescere videntur; de quibus mox accuratius dicemus. In his vero, quae eventum propositum subsecuta sunt, praecipue expendere oportet ea, quae ab illo orta esse putantur. Nam *effectis* magna inest vis probandi causarum, a quibus pendent, existentiam, demon-

causas, quas adesse deprehendimus, debemus cum iis, quas ad efficiendam rem necessarias esse scimus, comparare, et, *num producendo eventui sufficiant*, diiudicare. Quod autem pro sufficientibus eae habendae sint, iterum constat, cum ex penitiore effectus causarumque cognitione, tum *ex stabili atque constanti rerum conversione* diligenter observata. Nempe eaedem res sequuntur easdem causas. Hinc quo similior est causarum rerumque omnium, quae nunc est, colligatio ei, quae alio tempore fuit, eo est credibilius, idem nunc esse eventurum, quod tum evenit, easdemque causas, quae tunc erant sufficientes, nunc etiam fore ad efficiendam rem similem idoneas. Magna vero circumspectione opus est, ne ea pro similibus habeamus, quae qualemcunque similitudinis speciem prae se ferunt. Quamobrem etsi omnia adesse videntur, quibus positis aliquid evenire solet; tamen non licet eundem eventum nunc exspectare, nisi probabile sit, pendere eum ex his ipsis rebus, quas iam iterum adesse cernimus, et quibus alias eundem eventum adiunctum fuisse observavimus. Quo hoc est probabilius, eo maior intercedit inter casum praesentem aliosque nobis cognitos similitudo, et eo maior quoque est huius argumentationis, quae ab *analogia* ducitur, vis. Si igitur series rerum proposita revera similis est aliis rerum, quas olim fuisse scimus, colligationibus, quae eundem eventum saepissime sine ulla exceptione habuerunt; valde probabile est, imo suo modo certum, eundem hunc eventum eandem causarum

conditionem nunc quoque esse secuturum. Sin vero exemplis edocti sciamus, interdum, quamvis simillima fuerit, quantum observatur, rerum omnium conditio, eventum tamen exspectationi non respondisse, sed longe aliter rem cecidisse; eadem est ratio probabilitatis ad improbabilitatem, quae est numeri eorum casuum, in quibus constanti modo res evenit, ad numerum exceptionum. Cum vero omnis argumentatio haec pendeat a iudiciis de similitudine nostri casus cum aliis illis; in censum nostrum debet venire probabilitatis gradus, quo scimus, vere similia esse cum nostro. Ex his, ut obiter hoc moneamus, conficitur, *res prorsus inauditas* et novas non quidem per analogiam firmatas, attamen huic non repugnantes, quae nulla adhuc habuerunt exempla similia, probabiliores esse illis, quae omnino repugnant legibus, quas in eventuum consecutionibus constantes esse videmus. Habent enim profecto et insolitae illae res suas causas, et quoties recurrent easdem procul dubio habebunt.

§. 14. Sed ad probabilitatem, ex causis rerum perspectis aestimandam, de qua loquebamur, redeundum est. Dixeramus nempe, utrum causae effectui producendo sufficiant, id colligi tum ex constanti eventorum consequentia, cursum rerum observando notata, (de qua re satis expositum est,) tum *ex causarum effectorumque indole.* Ex hac igitur intelligimus, causas esse sufficientes, si nihil praecipui est in eventu, cuius ratio ex causis datis reddi nequeat. His omnibus rite expensis, superest, ut in-

quiratur, utrum exserere potuerint, et legitimo modo ac ordine *exseruerint istae causae suam vim*, an vero per alias res haec fuerit repressa atque impedita. Quodsi vero absunt causae quaedam ex earum, quas auxiliares vocant, genere; caeterae, quae adsunt, nequeunt id ex se progignere, quod ab istis adiutae effectui dedissent, licet interdum aliquid efficiant, huic non multum absimile. Quo igitur plures possibiles sunt causae, quo probabilius est, eas adesse, quo magis videntur effectui procreando sufficientes, et quo verosimilius est, nulla, aut saltim pauca, et facile superanda impedimenta officere ipsarum viribus: eo est credibilius, rem, ex istis causis pendentem, esse eventuram. Ex quibus omnibus iam patet, ea esse maxime *probabilia*, quorum causas idoneas, in quibus effecta quasi condita sunt, adesse, quantum fieri potest certissime cernimus, aut saltim verosimillima coniectura suspicamur. Attamen *causarum ignoratio*, (§. 4.) quam, teste experientia et adstipulante CICERONE *de divinat.* 2, 22. si in rebus usitatis est, ne miramur quidem, in rebus vel maxime novis et insolitis non debet tantam mirationem facere, ut rem ideo impossibilem, aut, licet alia habeamus veritatis indicia, prorsus improbabilem iudicemus. Nam si unus aut plures etiam probabilitatis fontes deficiunt; ex aliis fortasse, quod quaeritur, hauriri potest.

§. 15. Haec de probabilitate, in qua iudicanda, quod supra §. 6. n. 2. monuimus, impossibilitatem totius rei non esse confundendam cum impossibilitate

cuiusdam partis narrationis, id etiam hic negligendum non est. Insunt enim nonnunquam in rerum gestarum expositionibus quaedam, quae nullam, aut exiguam valde, habent veri speciem; neque tamen ideo tota narratio pro improbabili est habenda. De variis probabilitatis gradibus hoc loco non agemus explicatius: accurate eos enumeravit Cl. GARVE in dissertatione, quam *de nonnullis, ad logicam probabilium pertinentibus* scripsit, et praeside perillustri DE SEGNER defendit Halae 1766. Prae caeteris notabilis est ille probabilitatis gradus, ex quo oritur *certitudo moralis*, hoc est, persuasio de veritate alicuius rei adeo firma, ut animus ab errore securus, omni sublata dubitatione, fidenter in ea acquiescat, nec oppositum eius formidet, quanquam hoc in se sit possibile. Ad hanc vero assensionis firmitatem pervenitur, si vel argumenta, probabilitatem evincentia, sunt admodum gravia; vel plura diversi generis argumenta ad comprobandam rem eandem miris modis conspirant. Quin imo, interdum omnia apparent veritatis signa atque criteria, quotcunque in rem propositam cadere possunt; nec quicquam ad certitudinem eam, quae ex demonstrationibus mathematicorum exoritur, deest, praeter necessitatis absolutae demonstrationem. Qui autem nullam aliam ob causam rebus probabilibus et, quantum in hoc genere fieri potest, certis fidem habere nolunt, nisi quod earum oppositum in se est possibile, prorsus non sunt audiendi. Quin nonnunquam, etiamsi non adest summus probabilitatis gradus, enasci tamen potest moralis haec certitudo.

Evenit hoc, quoties ipsa *felicitas nostra* suadet, ut aliquid pro vero amplectamur, quoniam, si verum id est, multi ex assensu sunt sperandi utilitatis fructus; sin falsum, nihil aut parum inde detrimenti timendum. Unum adhuc, quod ex antecedente tractatione nostra colligitur, tribus verbis attingere lubet. Nempe totam de eo, quod per se probabile et improbabile est, quaestionem perdifficilem esse, nec nisi summa adhibita diligentia, ingeniique vegeti et variis artibus ac scientiis perpoliti intensione crebros lapsus atqua errores posse evitari. Id quod inprimis valet de ea quaestione, quae de probabilitate, quam *compositam* dicunt, instituitur. Sed ad alia pergamus.

§. 16. Sunt, qui eo usque procedunt, ut *necessitatem rerum historicarum ex argumentis philosophicis probare* conentur; quae vero res permultas habet cautiones. Generatim quidem illi eventus dicuntur necessarii, qui ita sunt comparati, ut, si ipsi aut plane non, aut aliter, evenisse statuerentur, res impossibilis poneretur. Quare qui de necessitate alicuius rei persuasus est, is ita de ea certus est, ut ab omni oppositi formidine liber sit. Cum igitur ea intelligentia, qua oppositum eius rei, de qua certi sumus, impossibile esse cognoscimus, seiungi nequeat a certitudine summa atque perfecta; ii, qui rerum historicarum necessitatem sibi probandam sumunt, opinari videntur, cadere posse in has res idem certitudinis genus, quod regnat in mathematicorum ratione atque disciplina. Sed non eandem viam ingrediuntur omnes.

Rem paucis expediemus. *Primo* necessario evenerunt, quae positis certis quibusdam rebus circumstantibus, causis etc. non potuerunt non esse aut fieri. Quodsi itaque extra omnem omnino dubitationem poni posset, adfuisse omnes hasce causas, caeterasque res, quae haec illave eventa non possent non ex se progignere; et rite demonstrari praeterea posset, necessariam esse horum ex illis consecutionem: probata omnino esset horum phaenomenorum aut eventuum necessitas. Maximi ponderis est hoc argumentandi genus, quod *ex rebus* indubie certis, *historice cognitis*, id elicit, quod cum his necessario vinculo coniunctum est: sed multis simul difficultatibus obsitum est. Etenim in rebus hisoricis non nisi rarissime necessitas consequentiae ita potest extra omnem dubitationem poni, ut iustae atque rigidae demonstrationis loco haberi possit. Saepenumero loco perfectae demonstrationis, quae promittebatur, afferuntur argumentationes, ad fidem faciendam idoneae quidem, attamen ab ἀποδείξει absoluta admodum diversae. Quamvis vero persuasissimum mihi sit, non minorem (sc. in hoc genere) ad fidem faciendam vim inesse istis probationibus, (si recte quidem instituantur, ac praesertim, si argumentatione, quam dicunt a tuto duci, corroborentur,) quam demonstrationi legitimae, et ad severas mathematicorum leges exactae: nolim tamen auctor esse aut suasor, ut, sublato omni discrimine, inter se commisceantur atque confundantur utriusque generis argumenta. Nemo enim sine detrimento suae causae ea pro demonstratis venditat,

quae non nisi probationibus, ad evincendam probabilitatem et certitudinem moralem aptis, confirmata sunt. Fac v. c. plurimas adesse causas, quae rem de cuius necessitate disputas, omnino videantur ex se gignere debuisse; fac, quam plurima eius rei deprehendi signa, et omnia ita amice inter se conspirare, ut a me impetrare plane non possim, quin hunc eventum verum esse existimem atque certum. Quid tum postea? Effecisti profecto, ut eum maxime probabilem, imo moraliter certum esse putem. Cum enim argumenta ista, quae simul sumta demonstrationem exhibent *hypotheticam*, afferant quandam credendi necessitatem istis rebus convenientem; animus nihil amplius requirit. Sed ut eius necessitatem, necessaria mathematicorum ratione, demonstratam esse putem, id nondum effecisti. Quid enim? plura ex iisdem causis provenire non possunt? eadem signa pluribus communia esse nequeunt? Quid? si impedimenta quaedam, quae innumera esse possunt, licet ignorentur, intervenerunt? quid? si causae istae suam vim agendo non exseruerunt? quid, si insufficientes fuerunt? — Ast haec, ais, improbabilia sunt; nec ullam habes rationem, quamobrem mihi isthaec occinas. — Dabo tibi equidem hoc, atque concedam; sed demonstrandum tibi erat, haec omnia, et innumera eiusdem generis alia, *ἀδυνατα* esse atque absurda, antequam mihi persuaderes, demonstratum esse a te, necessario evenisse rem in disceptationem adductam. Quam difficilis enim sit harum rerum omnium demonstratio iusta atque perfecta in rebus historicis, et prae-

primis in iis eventibus, qui pendent a causa in agendo libera, nemo non videt. Nam si vel minimum admissum deprehendatur contra leges demonstrationis, sive in sumtione praemissarum, sive in modo concludendi; fundamentum, quo nitebatur res demonstranda, evertitur, et cum illo haec simul ipsa quodammodo corruere videtur. Quid multa? Ne tum quidem, si tota argumentatio recte procedit, persuasio inde orta similis est convictioni, quam mathematicorum demonstrationes gignunt; cuius rei causa in eo posita est, quod evinci nequit, ea, quae in sumtione ponuntur, esse absolute necessaria. Quamobrem semper aliquid deest ad perfectam atque summam certitudinem, utpote quae tum demum locum habet, si plane certi sumus atque persuasi, rem omnino non potuisse aliter fieri. Quae cum ita sint, parum inserviunt suis utilitatibus, qui omnium, quantum fieri potest, rerum historicarum necessitatem demonstrari, suasque probationes pro demonstrationibus haberi cupiunt. Nam causae suae defensionem ipsi, dum pluribus dubiis ansam praebent, sibi reddunt longe difficiliorem; nec tamen certitudinis gradum istis studiis atque ministeriis magnopere augent.

§. 17. *Alii* eventuum necessitatem exsculpere solent ex ratiunculis mere philosophicis, sive ex *definitionibus aliisque veritatibus a priori*, ut aiunt, *cognitis*. Hi ab illis, quos primo loco commemoravimus, ita differunt, ut illi suas, si placent, demonstrationes superstruant veritatibus historicis, et ex his assum-

tis in subsidium philosophicis argumentis, subtiliterque subductis rationibus, cogant, non potuisse non hoc illudve evenire: hi vero fundamenti loco ponant veritates abstractas, et ex his eventuum necessitatem, demonstratione vel directa vel apagogica, derivent; v. c. quia Deus sapiens est, et iustus et bonus; quia hic mundus est optimus; quia Deus omnes homines ad salutarem veritatis cognitionem perduci vult — ideo necessario hoc ita evenire debuit. Haec argumentandi ratio cum priore illa hanc cautionem habet communem, ne vitio, in modo argumentandi admisso, ipsa argumentatio male procedat. Sed facilius, ni fallor, in hoc peccatur, quam altero illo rationes colligendi modo. Praeterea vero maximopere hac in re cavendum est, ne principia incerta et hypotheses dubiae fundamenti loco substernantur argumentationi. Quoniam vero homines caeco fere amore in ea ferri soleant, quae semel pro certis atque veris amplexi sunt, nec semper satis accurate et sollicite in eorum veritatem inquirant, fieri potest facillime, ut gravissimos committant errores. Quae res iudicium hoc valde lubricum facit. Quid? quod res, quae ab historicis memoriae traduntur, sunt eventus singulares atque res individuae, in quibus omnia determinata sunt, quae simul determinari possunt. Fac itaque, vel tantillum mutari in rebus externis, rem propositam vel antegressis, vel comitantibus, vel subsequentibus: haec non manebit prorsus eadem, sed in aliam transformabitur, magis minusve a priore diversam. Iam quid hinc colligi possit, age videa-

mus! Nimirum, qui eventus alicuius necessitatem argumentis, a priori ductis ex ipsa rei notione aliisque veritatibus universalibus, evincere conantur, id agere debent, ut non solum ostendant rem, generatim sumtam, non potuisse non fieri; sed ut demonstrent etiam, impossibile esse, ut haec res non facta sit hoc tempore, hoc loco, ab his hominibus, hisce rationibus ad agendum impulsis, his subsidiis usis etc. Ecquis vero sibi persuadebit, haecce omnia posse ex principiis philosophicis confici et legitime cogi? Attamen nisi id fiat, nullo modo dici potest, demonstratam esse eventuum necessitatem. Nempe plerisque istis argumentationibus nihil efficitur, praeter quam quod res aliqua, huic in eo, quod maxime rem causamque continet, similis, non potuerit non esse aut fieri. Quare aliis argumentis opus est ad evincendam eventuum, ab historicis narratorum, individuorum ac determinatorum, necessariam veritatem. Nam si vel maxime tota ista argumentatio firma esset atque iusta; tamen historici testimonium posset esse vel plane effictum, vel multis saltim falsis deformatum. Evenit fortasse id, quod tu necessario fieri debuisse putas; sed alio forte, quam a historico quodam traditur, loco, alio tempore, alio modo, rebus aliis circumstantibus. Interim cum his, de quibus hic locuti sumus, non sunt confundendi nec reprehendendi ii, qui eventuum *convenientiam cum principiis philosophicis* ostendere conantur. Neque, quod vix moneamus, eos hoc loco culpamus, qui

Dei, entis necessarii, exsistentiam ex ipsa entis perfectissimi notione demonstrant.

§. 18. Quaenam sint signa veritatis philosophicae in rebus historicis, satis hactenus explicatum arbitror. Etsi enim multa restant, quae ad hanc causam pertinent; haec tamen consilio nostro sufficere possunt. Nunc itaque, quo volebamus, pervenimus. Nihil scilicet superest, quam ut argumentorum, quae iam descripsimus, vim ad confirmandam evertendamve historiarum fidem ostendamus, et, ut promisimus, iustum in aestimanda veritate fideque historica pretium iis statuamus. Ita autem in tractanda hac re versabimur, ut primum generaliora quaedam monita praemittamus, posthaec vero regulas quasdam, quibus ad iudicandum singulorum argumentorum pondus opus esse videtur, speciatim tradamus. Exemplis vero ad firmandas observationes nostras utemur nullis. Quamvis enim non ignoremus, multum lucis posse huius rei tractationi affundi crebra exemplorum appositione: intra fines tamen, quos nobis posuimus, quantum fieri poterit, nos continebimus; praesertim cum, paucis et breviter tantum indicatis, parum aut nihil illustrationis acciperet nostra tractatio; multa autem proferre, et per ea usum regularum a nobis tradendarum declarare, nec temporis nec spatii angustiae permittant.

§. 19. Non inutile videtur, in causas inquirere, cur nonnullis viris doctis adeo placuerint argumentationes, ex philosophicis historicae veritatis criteriis ductae, ut, nostra saltim sententia, nimium ipsis tribue-

rent, et male interdum iis abuterentur ad infringenda firmissima quaeque historicorum fide dignorum testimonia. Huius igitur rei causas, si ab vesano nonnullorum et impotenti pyrrhonismi amore discedamus, positas esse arbitror potissimum in eo, quod singularis sapientiae acutique ingenii opinionem conciliat, apud imperitos saltim, haec in rebus, quae a plerisque pro certissimis habentur, haesitatio earumque ex rationibus philosophicis impugnatio. Cum enim nemo nesciat, inde ab antiquissimis temporibus questos esse viros doctrina insignes, historiam omnem deformatam esse fabulis atque figmentis; multi magnam putarunt se consecuturos esse gloriam, si ad examen ea revocarent, quae ob testium idoneorum auctoritatem caeteris sunt indubia; idque eo facilius sibi persuaserunt, cum optimos laudatissimosque rerum historicarum arbitros, in diiudicandis scriptorum dissensionibus, ad argumenta, ex natura rerum narratarum ducta, saepissime cum mirabili eruditorum plausu provocare cernerent, multasque fabulas his adminiculis explosas esse scirent. Potuit igitur ipse veri amor multos ad haec studia incitare. Maluerunt autem philosophicis argumentis uti quam historicis, quoniam haec fabulas convellendi ratio, quamquam maximis profecto difficultatibus obstructa sit, primo tamen intuitu facilior et efficacior videbatur, altera illa; in qua neminem multum proficere posse constat, nisi qui intimam cum optimis cuiusque aetatis scriptoribus familiaritatem contraxit. Idem quidem necessarium non est in examine argumentorum philosophicorum, sed

necessitas huius rei non tam facile omnibus apparet. Cur vero iis, qui omnia incerta reddere conantur, neque quicquam percipi posse docent, adeo arriserint haec contra fidem historicorum argumenta, ex iis, quae iam observabimus, clarebit.

§. 20. Exponendum scilicet est, quibus difficultatibus prematur eorum ratio, qui philosophicis hisce criteriis, aut solis, aut nimium tamen, confidunt. Primo enim pluribus fere obiectionibus ansam praebent philosophica quam historica veritatis signa. 1) Quid enim, si res iam ad actum deducatur, et, proposito quodam eventu, de eius veritate iudicandum sit, quid, inquam, potest esse magis lubricum quaestione: quid in hac causarum rerumque aliarum colligatione fieri potuerit, quid minus? quid moribus alicuius hominis aut populi conveniens sit, quidve repugnans? quae repugnantiae tantum valeant, ut tota narratio ob eas reiicienda sit, quae vero partem eius reddant tantum incredibilem? Quomodocunque ad has aliasque quaestiones respondeas, (et in singulis eventibus sigillatim respondendum est,) non deerit, quod in contrariam partem, non sine omni specie, dici possit, praesertim si, quod in plerisque fere casibus usu venit, ob temporum locorumque intervalla, et documentorum historicorum inopiam, non satis nobis perspectae sint res omnes, eventum propositum circumstantes. 2) Non solum alia criteria philosophica opponi possunt aliis; sed idem etiam veritatis falsitatisve signum in utramque partem interdum valere posse videtur. Quis v. c. nescit, eos, qui librum

aliquem auctori cuidam tribuendum esse contendunt, uti argumento a stilo et dicendi genere, quo is in aliis scriptis usus est, petito; cum e contrario eandem rationem in suam rem allegent alii, qui hunc librum auctori alii adiudicant. 3) Quare si philosophicis istis criteriis potissimum inniti oportet; altercationum fere nullus futurus est finis, ne de iis quidem factis, de quibus, si historicis criteriis standum est praecipue, nemo, nisi ineptire velit, litem movebit, quoniam auctoritate publica memoriae prodita sunt, motam autem aequus quisque atque peritus iudex facili negotio componet. Contra vero, optimis etiam atque firmissimis argumentis, e natura rerum ductis, non tantum inest roboris, ut obiectiones omnes sua quasi domestica virtute arcere atque repellere possint. Est sane satis firmum istud, quod ab existentia debitarum causarum et ignoratione ullorum impedimentorum petitur argumentum; sed qui id exceptione maius esse putaret, is longe a veritate abesset. 4) Quid plura? philosophiea argumenta ipsa, praeter impossibilitatis internae demonstrationem, innituntur argumentis historicis. Quomodo enim de convenientia facti cum tota eventuum, quos tuis oculis usurpare non potuisti, serie, de existentia causarum, de impossibilitate morali etc. iudicare tu posses, nisi ex historicorum monumentis didicisses, quaenam tum temporis fuerit rerum circumstantium, antecedentium et consequentium, conditio, quinam hominis, de quo quaeritur, mores? Manet igitur hoc, fidem historicam pendere praecipue ab argumentis, e testimonio

scriptorum fide dignorum eorumque auctoritate desumtis.

§. 21. Ex his patet *porro*, parum contra scepticos effici philosophicis istis argumentis. Semper enim, quo se convertant, habent; et licet iam te eos premere putes, rimam tamen, qua elabantur, inveniunt. In argumentis vero historicis, iis saltem, quorum summa est fides, non tam facilis est tergiversatio. Quid enim contra genuina documenta, publica auctoritate firmata, et plurimorum gravissimorumque virorum, qui rem certo scire, ex mendacio vero nullam reportare poterant utilitatem, consonis testimoniis stabilita, ulla cum specie dici potest? nisi forte ab iis, qui omnem omnino veritatem certitudinemque e mundo tollunt, et verum ullo modo a falso discerni posse negant; quo usque tamen paucos serio progressos esse putamus. Qui vero contra hos, quibus nihil est certum, nisi quodammodo hoc, nihil esse certum, eventuum necessitatem asserere volunt, deridiculi certe sunt. Hos enim homines, quos forte, aliam viam ingressi, ad saniorem mentem reducere poterant, ipso iam vocabulo et apparatu demonstrationis a se abalienant. *Deinde* ex supra dictis liquet etiam, incautum argumentorum philosophicorum usum hoc quoque habere posse incommodi, ut eos, qui nondum in Pyrrhonis castra transierunt, facile eo adducant, ut de rebus certis atque indubiis dubitare incipiant, atque paulatim scepticorum sententiam amplectantur. Quod iis praesertim potest usu venire, qui in mathematicorum, eorumque philosophorum, qui hos maxime

imitantur, scholis enutriti, et summo illi absolutae ac necessariae certitudinis gradui assueti, parum vero in historicorum lectione versati, id genus certitudinis, quod historiae proprium est, penitus ignorant, nec moralem certitudinem ab illa, quam demonstrationes mathematicae gignunt, discernere possunt. Hi enim, dum criticorum de fide veritateque historica disquisitiones perlegunt, et diversas eorum sententias ac studia contraria animadvertunt; dum porro eos crepare semper audiunt certitudinem et necessitatem, quam ipsi in his rebus cernere nequeunt; dum denique minutis ratiunculis et facile convellendis ad firmanda sua decreta, argutiis vero neutiquam ferendis ad oppositarum sententiarum refutationem eos uti vident: fieri non potest, quin totam istam rationem repudiandam esse censeant, et res ipsas, tam futilibus, ut putant, argumentis defensas, in dubitationem vocent.

§. 22. *Denique* hominibus, simplicioribus etiam et subtiliter cogitandi artificio ac consuetudine carentibus, melius consuleretur, si nemo his argumentis sine summa cautione, habita cum rerum tum hominum ratione, uteretur. Quamvis enim pauci talium argumentorum robur ita sentiant, ut eorum adminiculo ad stabilem atque *rationalem* assensionem perveniant; magnam tamen ratiunculis his inesse vim videmus, ad perturbandos plurimorum hominum animos, et debilitandam eam, quae tam ex ipsis, quam aliunde orta erat, persuasionem. Quod mirum non videbitur illis, qui non ignorant, pleraque huius generis argumenta magis esse ad falsi convictionem,

quam ad veri probationem, apposita. Vereor equidem, ne multi, qui de veritate factorum, quibus praecipue innititur religio christiana, nunc ambigunt, dubitationis ansam acceperint ex eorum studiis, qui necessitatem tum revelationis divinae supernaturalis, tum nativitatis, mortis et resurrectionis Christi, aliorumque eventuum similium, pio et laudabili caeteroquin consilio, demonstrare voluerunt.

§. 23. Neque tamen ob haec, quae enumeravimus, incommoda abiicienda prorsus sunt philosophica ista argumenta. Afferunt enim, si prudenter iis utamur, in fide historica recte aestimanda, multas et insignes *utilitates*. Praecipue tamen iis iuvamur, I. in defendendis vindicandisque illis narrationibus, quarum possibilitas temere impugnatur. §. 2. Quodsi enim ostendi possit, rei notionem nihil in se continere, quod repugnet; et, si modus praeterea declarari queat, quo res disceptata esse aut fieri potuerit; §. 10. vana putanda sunt atque inepta, quaecunque ad negandam eius possibilitatem proferuntur. II. Sed non minor est eorum usus in confutandis narrationibus iis, quarum impossibilitas legitime potest demonstrari. III. Iisdem carere vix possumus, quoties de narrationibus inter se pugnantibus sententia sit ferenda; id quod omnibus iis, qui in evolvendis legendisque historicorum scriptis operam suam collocant, sexcenties quovis die contingit. IV. Egregie etiam corroboratur fides, quam veris testimoniis habemus, si aut ea, quae ad credendum proponitur, res per suam naturam verisimilis esse cogno-

scitur, aut, quae primo intuitu huic officere videbantur, accuratius expensa, vana esse deprehenduntur. V. Praeprimis vero notandum hic est, diligentem rei ipsius pervestigationem tum maxime necessariam esse, ubi non quaeritur, utrum res sit aut gesta fuerit? sed, qualis sit? quibusnam ex causis profecta? quo consilio suscepta? bona malave sit? et quae sunt huius generis quaestiones aliae, quae non tam ad exsistentiam, quam ad *qualitatem rei factive internam* pertinent. Cum enim harum rerum, quae magna ex parte sub sensus cadere nequeunt, consideratio, tantam requirat ingenii dexteritatem, quanta forte in paucis historiarum scriptoribus invenitur; nec semper liceat scriptoribus rem, uti est et ut eam fuisse sciunt, memoriae tradere: magis a rerum natura recte perspecta, quam ab illorum testimonio fides nostra pendet. Neque tamen ab eorum sententia temere discedendum, quos constat fuisse viros graves atque prudentes, nullo partium studio nullaque cupiditate ductos, et multo usu in isto rerum genere versatos, quosque scimus iustam habuisse facultatem, eventorum causas, scopum atque modum planissime et cognoscendi, et ita, ut cognoverunt, referendi in litteras. Qui vero rebus gerendis vel praefuerunt, vel gestis ita interfuerunt, ut inde aliquid caperent aut utilitatis aut detrimenti: eorum iudicia tantum non semper suspecta sunt. Fatendum etiam est, in hoc potissimum rerum historicarum genere, multa occurrere, contra quae, licet probabilia sint, multae tamen et graves dubitandi

rationes afferri possunt. Quin imo fit interdum, ut vix certi aliquid de his rebus statui possit; sed ad ἐποχὴν omnino confugiendum sit. Ut vero in omnibus probationibus (quod obiter hoc loco monere lubet, quoniam id praecipue ad hanc causam pertinere putamus) attendendum est, quam late pateat et quousque *extendatur vis probandi*, quae argumentis inest: ita etiam in iudicandis historicorum testimoniis sedulo nobis cavere debemus, ne ex iis talium rerum probationem petamus, ad quas probandas illa non omnia sufficiunt. Nam ne ea quidem documenta, quorum maxima est fides, possunt omnia et singula, quae in ipsis comprehenduntur, extra omnem dubitationem ponere. §. 6. n. 2. VI. Critica quoque ars his praeceptis, quae de argumentorum philosophicorum vi et usu tradi possunt, opus habet. Nec solum ea eius pars, quae spurias scriptiones a genuinis secernit, et in veros librorum auctores inquirit, his adminiculis carere nequit; (quibus adiuti viri docti, non sine insigni emolumento rei publicae, et civilis et ecclesiasticae et litterariae, haud pauca documenta supposititia, et ad vetustatis speciem efficta, detexerunt, eaque, ne imperitos porro fallerent, censoria gravitate, notarunt atque summoverunt:) verum etiam illi critices parti, quae in seligenda e pluribus diversisque lectionibus optima occupatur, praecepta haec magno usui esse possunt. Quaeritur nempe, quid scripserit auctor libri? quae quaestio facti est, decidenda tum ex testimoniis, codicibus scilicet, versionibus et allegationibus, tum etiam ex ipsis his, de

quibus agimus, argumentis philosophicis, ad quae praecipue provocare coguntur ii, qui ex coniectura, nullo adstipulante testimonio, in veterum libris aliquid mutant, lacunas supplent etc. VII. Interpretatio denique librorum antiquorum paene tota philosophicis istis historicae veritatis criteriis nititur. Interpres enim nihil sibi propositum habere debet, nisi hoc, ut investiget: quaenam cogitationes animo auctoris, dum haec loqueretur aut scriberet, obversatae sint? Hoc vero rarissime potest ex testimoniis intelligi; sed plerumque tota res redit ad accuratum argumentorum philosophicorum examen. Caeterum cum non omnia, quae historiae vocabulo complectimur, ubi de veritate historica loquimur, unius sint eiusdemque generis; facile quisque intelligit, nonnunquam, prout res quaeque postulat, *immutandum aliquid esse in iis, quae de veritatis criteriis tradimus.* Liquet etiam, ea, quae de utilitatibus et incommodis, ex usu philosophicorum argumentorum percipiendis, disputavimus, non tam dicta esse de ingenio philosophico, quod *spiritum philosophi* vocare solent, quam de istis, quae supra pluribus designavimus, criteriis fidei, ex natura rerum narratarum, desumtis. Ista enim, vel connata, vel iustis exercitiis acquisita et aucta, ingenii dexteritas, qua verus philosophus a caeteris hominibus seiungitur, nunquam non, ut in aliis rebus omnibus, ita inprimis etiam in veritatis historicae indagatione, perquam utilis est.

§. 24. Sed descendamus ad *specialia praecepta,* quae ex iis, quae hactenus dicta sunt, elici posse vi-

dentur. Ut vero pretium uniuscuiusque argumentorum philosophicorum accurate indicari possit, observandum est, varia ratione varioque consilio ea adhiberi. *Primo* igitur tenendum, ea argumenta, quibus aliquid esse aut fuisse efficitur, *affirmativa* dici, aut *positiva*; ea vero, propter quae aliquid esse aut fuisse negatur, vocari *negativa*. *Deinde*, quoniam ad certa capita, tanquam genera quaedam, redigi debent singula praecepta, illa ut enumerentur, necesse est. Provocamus scilicet ad argumenta philosophica, 1) si nulla omnino adsunt testimonia historica, ex quibus eventus alicuius, ad examinandum propositi, veritas diiudicari possit *). 2) Si criteria philosophica

*) Ne quis forte miretur, quid sit, quod praecepta etiam tradere conemur de iudicandis iis rerum eventibus, de quibus nulla extant testimonia historicorum (nam de nostra ipsorum experientia hic non loquimur): indicabimus, quasnam res ad hoc genus referri, et ad harum regularum normam iudicari velimus. Pertinent huc: 1) Coniecturae historicae; 2) Ea, quae non serio, sed iocaliter tantum, ab auctoribus tradita esse videntur; nam huiusmodi testimonium pro nihilo habendum est. 3) Quae non nisi in libris supposititiis, ab hominibus nugacibus, quorum fides merito sublesta est, concinnatis, scripta leguntur. 4) Ea, quae ex fama incerta et rumore ἀκεφάλῳ, vel ab anonymis accepimus, testimoniis idoneis nec confirmata nec refutata; haec enim perinde habere debemus, ac si prorsus nullo testimonio niterentur. 5) Saepe etiam vetustorum librorum interpretationes. 6) Quaedam, quae ad criticam artem pertinent etc.

sola, nec ullo testimonio firmata, opponuntur documentis historicis itidem solis. 3) Si testimonia historica coroborantur argumentis philosophicis, ita tamen, ut nonnullae adsint dubitandi rationes, tum ex aliorum testimoniis contrariis, tum ab ipsa rerum narratarum natura repetitae.

§. 25. Videbimus ergo primo loco, *quid valeant argumenta philosophica sola, si prorsus destituimur testimoniis, veri falsive indiciis.* I. Nemo est, qui ignoret, ex eo, quod aliquid esse potest, eius exsistentiam cogi non-posse. cf. §. 9. II. Omnes etiam in eo conveniunt, internam impossibilitatem, legitime probatam, oppido sufficere ad rem omnino repudiandam: Insolentia tamen, et ea, de quibus quo modo fieri possint, non videmus, non esse cum impossibilibus temere confundenda, supra iam §. 2. monuimus. III. Eam autem impossibilitatem, quae conditionem adiunctam habet, §. 3 - 5. putamus efficere, ut saltim ea pars narrationis, in qua vera aliqua repugnantia deprehenditur, recte pro ficta habeatur; reliqua autem narratio severo examini subiiciatur, ut, quid forte in ea verum sit, quidve falsum, dignosci possit. §. 6. n. 2. Quodsi tamen tota res, et singulae, aut praecipuae saltim, eius partes ab externis repugnantiis liberari nequeant; figmentis ut annumeretur tota, per nos licet. IV. Probabilitas sola, idoneis argumentis historicis destituta, rei fidem facere nequit. Hanc regulam qui admittere nollet, is fabulis romanensibus, quarum scriptores probabilitatis leges observarunt, fidem denegare non posset. Interim si quaedam ad-

sunt notae atque signa rei gestae, quae testimoniorum vicem implent; aliquid tribuendum esse putamus probabilitati vel soli. Summus certe eius gradus, et necessitatis demonstratio hypothetica, nonnihil ponderis habent. Admonent nos saltim, ut testimonia attente circumspiciamus. V. Ut quodque per suam naturam est improbabilius, eo magis est repudiandum. Quibus tamen felicitas sua curae cordique est, prudenter timorem, etiamsi vanus forte sit, praeferendum nonnunquam censebunt nimiae atque incautae securitati.

Ex his patet porro, quomodo diiudicari debeant ii rerum *eventus*, *qui argumentis quibusdam philosophicis impugnari*, *aliis vero defendi possunt*. Nimirum VI. ad stabilienda ea, quae impossibilia esse certo cognoscuntur, nihil valet quicquam. Quamobrem VII. necessitatis demonstrationem, si legitima sit, nullae infringere possunt philosophicae rationes contrariae; sed quicquid necessario oppositum est, id omnino repudiandum est. Si qui tamen sint, qui eventuum necessitatem ex notionibus rerum et veritatibus abstractis evincere velint, §. 17. horum rationem admodum labefactari arbitramur, probata eius rei improbabilitate summa. VIII. Quod in se possibile est, licet extrinsecus impossibile esse videatur, quoniam causae apparent nullae, ob impossibilitatem moralem rectius admittitur eo, quod ne in se quidem est possibile. Similiter IX. improbabilia potius credantur, quam ἀδυνατα Contra vero X. mere possibile, de quo, utrum probabile sit an vero improbabile, nondum liquet, credibilius

est eo, quod improbabile esse novimus. §. 9. XI. Rei vero probabilis fides idcirco non infringitur, quia quoddam fortasse excogitari potest possibile, huic oppositum. §. 15. XII. Probabili si opponatur probabile aliud, aut improbabili improbabile; attendendum est ad fontes, e quibus varii quasi probabilitatis rivuli manant. Neque enim, quae probabilia sunt, omnia easdem ob causas probabilia putantur; Neque omnia probabilitatis genera robore ac pondere aequalia sunt. Nam v. c. probabilitas, quae inde oritur, quod perspicimus modum, quo res fieri potuit, §. 10. etiamsi summa est, minor tamen est ea, quae pendet a cognita causarum debitarum exsistentia, nam tum perspicimus etiam modum possibilitatis, sed plus adhuc perspicimus sc. nullum alium modum hic locum habere quam hunc ipsum etc. §. 14. Porro, qui possibilitatis modum non nisi ex hypothesi quadam, arbitrarie sumta, aut ex similium eventuum ratione coniiciunt, iis haec res non potest tam probabilis videri, quam illis, qui hunc modum ex natura et indole rei, plenius perspecta, clare intelligunt. Tum enim modus semper constans et stabilis est. §. 10. Similiter improbabilitas orta ex mera ignorantia causarum, ad rem efficiendam requisitarum, §.14. fin. minoris ponderis est quam ea, quae exinde enascitur, quod, si id, quod narratur, evenit, contra omnem analogiam cursumque eventuum constantem evenire debuit. §. 13. fin.; illa enim quorum causas ignoramus, accidisse videntur praeter analogiam. Sic etiam, quae comparate tantum probabilia sunt, opponi non debent sim-

pliciter probabilibus. §. 8. Ad haec igitur probabilitatis discrimina qui animum advertit, facili negotio indicare poterit, quid sentiendum sit de iis rebus, quae quasdam ob causas probabiles, ob alias vero improbabiles videntur. Quod e. gr. res quaedam alio, quam plerumque solet, modo evenisse et ab analogia recessisse traditur, id eam non reddit improbabilem, si causae, quae adfuisse dicuntur, dissimiles sunt iis, quae alias adesse solent; tunc enim casus sibi invicem non sunt similes. XIII. Argumenti, quod a tuto ducitur, §. 15. tanta est vis, ut maiori probabilitati detrahere, minori vero illi oppositae facere possit fidem.

§. 26. *Si philosophica et historica argumenta ita inter se pugnant, ut ex altera parte historica sola stent, ex altera vero philosophica sola;* §. 24. n. 2. sequentes regulae tenendae sunt. I. Contra impossibilitatem internam, rite demonstratam, nihil valent testimonia affirmativa. §. 25. n. 2. Antequam tamen haec plane pro fictis habeantur, videndum est, num qua ratione probabili a repugnantiis liberari possint. §. 6. Pendet hic iudicium magna ex parte ex conditione historici. Nam 1) genuina sane eorum testimonia, qui rem necessario et sciverunt et dixerunt, §. 1. impossibilitatis demonstrationem, quoniam haec admodum difficilis est, faciunt suspectam. 2) Contra vero, licet insolentia rerum narratarum per se possibilitati non obsit; §. 2. eorum tamen testium fides, qui fere nil nisi insolita et miraculosa narrant, in suspicionem cadit. Quod iis quoque merito suo contingere existimamus, quorum libri scatent narrationibus, quarum mentionem,

praeter eos, qui hos compilarunt, iniicit nemo; cum tamen credibile sit, eas res non potuisse non pluribus innotescere, nec ulla inveniri possit ratio, cur caeteri omnes silentio eas praetermiserint. Quicquid igitur in narrationibus talium hominum invenitur, quod ab impossibilitatis suspicione liberari non potest, id absque omni haesitatione repudiandum est. Generatim hoc loco observamus, argumentorum philosophicorum pondus tanto esse maius, quo leviora sunt historica veritatis criteria, illis opposita. II Si extant testimonia fide digna, eventum diserte negantia, qui ob rationes quasdam philosophicas necessarius putatur, tota res est admodum dubia. Nam *primo* negari non potest, perdifficilem esse accuratam necessitatis demonstrationem; quamobrem non nisi rarissime certi esse possumus, nullum in ea admissum esse contra severas dialecticorum leges peccatum. *Deinde*, testimonia negativa virorum gravium, et a partium studio alienorum, maximi momenti sunt; quia credibile non est, quenquam aliquid disertis verbis esse negaturum, nisi re curate examinata, et rationibus probe ponderatis. Evadit vero huius rei diiudicatio multum difficilior, ita ut ex his tricis vix expedire nos possimus, si historicus rationes negationis reticuit. Si vero argumentum historicum, demonstrationi necessitatis repugnans, non est diserte negativum; sed inficiale tantum, a silentio historicorum ductum: eventus forsitan non omnino est repudiandus. Ex his iudicari etiam potest, num admittendus sit eventus, probabilis quidem, sed ab historicis negatus. III.

Mera oppositi possibilitas fidem derogare nequit testimoniis, qualiacunque sint. IV. Impossibilitas ea, quae conditionem adiunctam habet, pro varia sua conditione, ad confutanda testimonia diversi ponderis est. Eam quidem impossibilitatis speciem, quae oritur ex apparenti tantum repugnantia, missam facimus, hoc unum monentes, suspendendum esse iudicium, quoties non satis constat, utrum vera sit, an opinata, donec rei accuratius cognoscendae potestas nobis detur. De variis autem impossibilitatis externae generibus sigillatim aliquid annotandum esse existimamus. α) Narratio, quae pugnat et secum ipsa, et cum eventibus tam antecedentibus quam consequentibus, caeterisque rebus circumstantibus plerisque et praecipuis, v. c. loco, tempore, personis etc. ea impudentissimis mendaciis recte annumeratur. β) Si nonnullae tantum περιςάσεις impediunt, quo minus res, ita ut narratur, esse aut fieri potuerit; dispiciendum est, num istae repugnantiae tanti momenti sint, ut totam rem ad ἀδυνατα redigant. Qui v. c. eo tempore res quasdam gestas esse tradit, quo nullo modo locum invenire potuerunt; eius narratio tantum non semper in suspicionem fictionis venit. Sane documenta publica, quae in temporum rationibus peccant, fraudis notam satis certam habent inustam. Fieri enim nequit, ut ii, qui publica auctoritate litteris aliquid consignant, ignorent annum, quo, aut homines, a quibus, gesta fuit ea res, quam monumentis mandare iussi sunt. Interdum tamen in ipsis etiam publicis monumentis aliquid dissimulatur de consulto; quod vero facile ol-

faciunt periti harum rerum existimatores. Hominibus autem privatis facilius errores quidam, in narrando commissi leviores, condonantur. Nonnulla enim ita studiose occultantur, ut in paucissimorum notitiam venire possint; iis autem, qui isthaec sciunt, non liceat commentariis suis inserere; quo v. c. referri possunt arcana principum consilia, fines actionum, subsidia, quorum usu aliquid effectum est etc. cf. §. 23. n. 5. Si quid igitur de his rebus relatum legatur, quod cum caeteris περιςασεσι satis notis conciliari non possit; id licet recte repudietur, toti tamen narrationi fidem non derogat. cf. §. 25. n. 3. et §. 6. n. 2. γ) Non idcirco historicus, si factum quoddam, memoriae proditum, in eventis antegressis nullas habuisse videtur causas, falsi convictus est. Cum enim non solum maximi eventus saepe proficiscantur a causis adeo parvis, ut oculorum mentisque aciem facile effugiant; verum etiam illi perperam sine dubio concludant, qui, quoniam causae consuetae et ordinariae non apparent, nullas adesse contendunt. §. 4. Semper fere haesitationem aliquam atque controversiam recipit ista quaestio: utrum causae adsint nullae, an vero lateant? Sed si antecedentium rerum series causas in se continet, impediendo huic et progignendo contrario eventui sufficientes, nisi summa sit testis auctoritas, fidem denegare licet narrationi. Attamen totam eventuum seriem nisi penitus cognitam atque perspectam habemus; huius argumentationis nervi inciduntur. δ) Factum, quod ita repugnat eventibus subsecutis, ut, posito illo, hi, qui tamen certo exsistunt, tollendi

esse videantur, valde dubium est, et plerumque confictum. Absque ulla haesitatione reiiciendum id esse statuerem, si quidem semper constaret, nullas intervenisse res alias, ordinariam eventuum consecutionem impedientes. ε) Impossibilitas moralis exigui est momenti. §. 5. ζ) Quid tenendum sit de pugna narrationum cum veritatibus aliunde cognitis indicavimus iam. § 5. Addimus h. l. contra argumenta historica graviora his rationibus plerumque nihil effici posse. Illae enim veritates necessariae, quae ex ipsis rerum notionibus et primis humanae cognitionis principiis eliciuntur, raro in aestimanda fide historica in censum veniunt; eae vero, quas constans experientia nostra stabilivit, testimonium sibi repugnans non semper falsitatis arguunt, quamvis probabilitatem eius imminuant. V. Denique argumentum, ab improbabilitate narrationis repetitum, vix ac ne vix quidem opponi potest documentis publicis, neutiquam suspectis. Ad convellenda vero testimonia, aliunde iam suspecta, maiores improbabilitatis gradus multum valent. Si admodum improbabilia sunt testimonia privatorum hominum, non suspectorum, quorum fides, licet summa non sit, sublesta tamen non est; tota res in medio est relinquenda: minores autem improbabilitatis gradus nullius sunt momenti.

§. 27. Nihil restat, quam ut regulas quasdam suppeditemus, ad quarum ductum de pretio argumentorum philosophicorum recte iudicari possit, *si narratio, cui favent, nonnullorum quidem historicorum testimoniis confirmatur, veruntamen contrariis quibusdam*

argumentis aut testimoniis impugnari potest. §. 24, n. 8. Sed quoniam ad finem iam deproperandum est, paucissimis sententiam nostram dicemus. I. Levissima quidem testimonia historica, alias fide vix digna, si ad ea firmanda accedunt philosophica argumenta sat gravia, nulla vero adsunt argumenta in contrarium; ad fidem faciendam sufficiunt: sed si veritas huius facti aut labefactatur philosophicis argumentis, longe gravioribus illis, quae sunt a partibus testimonii, aut si assensionis temeraria praecipitantia admodum nobis esse potest perniciosa; tum narratio in dubium est vocanda. II. Si inter se pugnant historici, qui, si ex solis historicis fidei signis dirimenda lis esset, paris auctoritatis videri deberent; fides est eorum, quorum narratio pluribus et gravioribus philosophicis argumentis stabiliri potest. III. Summus gradus certitudinis ex criteriis fidei historicis tum, ubi rei narratae possibilitas interna et externa qualiscunque ab obiectionibus vindicari potest, plus valet, quam contraria argumenta philosophica omnia, licet levioribus quibusdam testimoniis haec confirmentur. Poterant enim commodum, arrepta occasione ex probabilitate rei interna, narrationes quaedam fingi; quae rem exponerent, non uti evenit, sed uti probabile erat eventuram eam esse. IV. Hinc tum demum litterae ac documenta publica in mendacii suspicionem adducuntur per aliorum, fide non indignorum, historicorum testimonia contraria, si cum his faciunt, illis autem adversantur gravissimae rationes philosophicae. Ex duobus autem monumentis publicis id, caeteris

paribus, recte suppositionis arguitur, quod pluribus et gravioribus argumentis, ex rei natura desumtis, convelli potest. V. Quos scimus e monumentis publicis narrationes suas hausisse, eorum auctoritati variae detrahere possunt causae. Potuerunt enim documenta fictitia pro genuinis habere, aut genuina minus recte intelligere; quin imo fieri etiam potuit, ut verum dicere ipsis aut non luberet aut non liceret. Hae igitur suspiciones si amoveri nequeant: imminuitur horum hominum fides, aliorum historicorum, (eorum etiam, qui, quoniam litteris publicis in scribendo usi non sunt, auctoritate aliquantum sunt minores,) testimoniis contrariis, si satis gravia argumenta philosophica prioribus obstant; qualia sunt non solum impossibilitas interna, verum maior etiam externa, pugna scilicet aperta cum antecedentibus ac consequentibus, errores chronologici et geographici, in his ipsis rebus narrandis commissi, quas illi e monumentis hausisse se dicunt etc. Salva vero manet et inconcussa illorum fides, si, praeter historicos sublestae fidei, nemo ipsis contradicit; quamvis in suam rem allegare hi possint impossibilitatem moralem, insolentiam facti, et improbabilitatem eius satis magnam. VI. De quibus constat, eos rem, quam tradunt, planissime scivisse, et vere dicere voluisse, refelli per aliorum testimonia nequeunt, nisi haec tum ob historicas veritatis diiudicandae regulas, tum ob argumenta philosophica longe gravissima illorum testimonio praeferenda sint; quod tamen vix unquam eveniet. VII. Qui rem, quam memoriae tradiderunt, sine dubio

scire debuerunt; de quibus autem argumentis exceptione maioribus probari nequit, non nisi vera eos dicere voluisse; refutantur testimoniis eorum etiam historicorum, quorum fides caeteroquin paullo minor quidem esse videtur, qui vero philosophicis argumentis iuvantur satis gravibus v. c. oppositi impossibilitate et improbabilitatis maiori gradu; minor enim obesse iis nequit, nisi causae afferri possint, cur credibile sit, verum eos dicere noluisse. Eos vero, quos non solum potuisse, sed voluisse etiam, vera dicere non nisi leviori coniectura quadam auguramur: minores etiam improbabilitatis gradus refellunt, si quaedam adsint testimonia contraria, tametsi haec non sint melioris notae, quam illorum testimonia. VIII. Contra eos, quorum diligentia, circumspectio ac integritas non sine causa ancipiti in loco esse putatur, magni momenti sunt argumenta philosophica, testimoniis contrariis suffulta, levioribus etiam. IX. Narratio scriptorum seriorum, de quibus dubitare licet, num fideliter et caute usi sint documentis historicorum antiquiorum, omni fide dignorum, repudianda est, si adsunt contraria testimonia qualiacunque, philosophicis argumentis corroborata. Attamen seriorum historicorum testimonium praeferendum, ut narrationibus scriptorum non solum priorum, sed coaevorum etiam, si argumenta philosophica multa et gravia illi robur addunt. Multae enim res ita sunt comparatae, ut vix possint accurate a scriptoribus eiusdem, qua gestae sunt, aut proxime sequentis aetatis enarrari.

Praenobilissimo honorum philosophicorum candidato s. p. d. PRAESES.

Hodierna dies, qua in TE, Praestantissime DNE CANDIDATE, *honores in philosophia supremos collaturus sum, plura mihi parit gaudia.* Primo *enim singulari cum animi grati testificatione recordor avi TUI materni, b.* IO. IAC. RAMBACHII, *Viri de ecclesia Christi atque eruditione theologica immortaliter meriti, cuius ad pedes me admodum iuvenem ante hos quadraginta, et quod excurrit, annos sedisse, exque ipsius ore et scriptis multum profecisse, maximo mihi honori duco, et laetus profiteor.* Deinde *vero iure mihi in memoriam revoco Vener. Parentis TUI, de grege Christo colligendo adhucdum optime merentis, amici veterani et quondam auditoris, imaginem, qui suo exemplo egregie et mature docuit, indefessam diligentiam et masculam eruditionem cum pietate haud fucata amicissimo inter se connubio iungi posse; cui ut per plurimos annos bene sit, ex animo precor!* Denique *nec TE ipsum,* CANDIDATE DIGNISSIME, *sine singulari animi oblectatione contueri possum. Praeterquam enim quod ingenio, ad litteras nato, floreas, illudque propaedevmaticis studiis bene perpoliveris, incredibili fere discendi ardore tum in Alma* Tubingensi, *tum in Academia* Lipsiensi, *tum in nostra* Fridericiana, *in id*

incubuisti, ut in linguis orientis et occidentis, in omni philosophia, in Theologiae partibus, atque inprimis in historia ecclesiastica, profectus vulgaribus maiores TIBI adquireres; qui conatus maxime laudabiles eum successum habuerunt, ut nuperius locos theologicos, ex Leone M. collectos, *eleganter doctissimeque conscriptos, praeside Ven.* SEMLERO, *cuius institutione, consiliis, amore et amplexibus feliciter hucusque es fruitus, publicae eruditorum disquisitioni submittere, et adversus Virorum celeberrimorum obiectiones dextre defendere potueris. Supererat, ut diligentiae gnaviter navatae, quacum suaves pariter atque innocentes mores coniunxeras, aliquod praemium reportares. Quamobrem* Amplissimus Philosophorum Halensium ordo, *post institutum et felicissime a TE superatum examen, unanimi consensione honores philosophicos TIBI, prae multis quippe dignissimo, decrevit. Iam prodis in cathedram, specimen inaugurale, proprio marte elaboratum, et multifariam doctrinam complexum, iuxta statutorum tenorem eruditorum* συζητήσει *permissurus, quod ipse ergo non sine animi iucunditate perlegi; nec dubito, quin aliis etiam id adprobaturus sis, quia in argumento verseris, tum arduo, tum perquam utili. Cum vero me non tam auxiliatorem, quam testem TUORUM profectuum habiturus sis; mihi iam nihil reliquum esse video, quam ut TIBI haec omnia sincere gratuler, felixque iter, ad patrios lares suscipiendum, adprecer. Faxit Deus, ut, sanitate, paululum fracta, clementer restituta, ad exteros, prouti in destinatis habes, proficisci, interque eos ampliores doctrinae opes TIBI comparare, et cum uberrimo fructu, in orbem litteratum olim redundaturo, ad nos reverti possis. Sic vale, et me ama!*

III.

Dissertatio critica de codicibus quatuor evangeliorum Origenianis. Pars prima.

Quam ex auctoritate ampliss. philosophorum ordinis
die VIII. Octobr. MDCCLXXI.
publice defendent

Ioannes Iacobus Griesbach,
A. M. et societatis academicae princip. hassiacae soc.
et
Fridericus Andreas Stroth,
Tribeseo Pomeranus, Seminarii theol. regii senior.
Halae.

Quantum differat textus graecus Novi Testamenti, quem, communi quasi consensu receptum, vulgares editiones exhibent, ab eo, quem antiquissimi, qui supersunt, libri manu scripti repraesentant, quamque miris modis ipsae etiam membranae vetustae inter se discrepent; ignorare potest nemo, qui attento oculo venerandas illas antiquitatis reliquias perlustravit, aut

vetustorum librorum collationes, a Millio, Bengelio, Wetstenio, aliisque publici iuris factas, paulo curiosius tractavit. Tam antiquae sunt hae lectionis varietates, tam frequentes, et tam singularis non raro ingenii, ut mirum videri non debeat, fuisse nonnullos, qui tantam non solum librorum recentiorum ab antiquioribus, sed etiam vetustissimorum a se invicem discrepantiam nullo modo conciliari posse existimarent, et hinc ipsos scriptores sacrorum librorum tam inusitatae dissonantiae auctores putarent, eosque oracula sua divinitus inspirata plus una vice, non sine mutationibus quibusdam, edidisse statuerent. Nobis quidem coniectura haec plane a vero abhorrere videtur. Ac si vel maxime de uno et altero novi instrumenti libro non sine specie sic opinari liceret, de omnibus tamen hoc affirmari, cum nullum adsit eius rei documentum certum, sine temeritate non potest. At causas istius discrepantiae iam non investigamus, sed hoc tantum observamus: codices manu scriptos eo fere longius a textu publice inter nos recepto distare, quo sint antiquiores et hinc ἀρχετύπῳ propiores; raros vero esse in iuniorum librorum grege, qui, illorum vestigia prementes, ab editis aeque ac illi recedant. Iam cum codicum, qui superstites sunt, nullus ante quintum, aut, ut quorundam opinioni aliquid demus, quartum seculum exaratus sit, non sine causa quaerimus, utrum libri secundo et tertio post Christum natum seculo scripti, qui omnes perierunt, omnino similes fuerint iis, quos quinto et sexto seculo tribuere solemus; an vero aut longius adhuc

quam hi (v. c. quam Alexandrinus, Cantabrigiensis, Regius ille rescriptus etc.) a lectionibus textus recepti abhorruerint, aut denique magis consenserint cum textu typis evulgato, quam codices, qui quidem supersunt, antiquissimi. Huius quaestionis, quae sane maximi est in universa re critica momenti, iusta solutio petenda est tum a translationibus, e codicibus primorum seculorum confectis, tum ab antiquissimorum doctorum christianorum libris, qui loca e Novo Testamento transscripta continent. Versiones, ne in infinitum nobis crescat materia, missas facimus; de allegationibus, quas vocant, Patrum, enucleatius disputare lubet. Sed variis modis institui potest allegationum, cum libris tam scriptis quam editis, comparatio. Nempe criticus vel seriem sequitur contextus sacri, atque discrepantias allegationum vetustiorum omnium, quas quovis commate deprehendit, ordine expendit; vel certi cuiusdam scriptoris ecclesiastici allegationes e scriptionibus eius colligit, textumque sibi effingit librorum Novi Testamenti, qualem hae occupant, eumque cum codicibus et editis et manu scriptis comparat. Nos posteriorem rationem praeferendam esse duximus, quae ad investigandas codicum συζυγιας atque affinitates, et ad distinguendas recensiones, pro temporum ac provinciarum distantia diversas, magis apposita videbatur. Sumsimus vero nobis Origenem, summum virum ac criseos sacrae parentem, in cuius allegationibus colligendis ac examinandis diligentiam nostram exerceremus. Constitutum nobis est, de codicibus quatuor Evangeliorum,

quibus usus est Origenes, et de lectionibus eorum, generatim ita disputare, ut *primo* indicemus, unde vel certo sciri, vel coniectura magis minusve probabili reperiri possit, quid Origenes in suis codicibus legerit, quibusque artibus veram eorum effigiem efformare possimus; *deinde* libros manu scriptos, hodie superstites, antiquiores praesertim, cum codice Origeniano conferamus, ingeniumque eorum, qui huic simillimi deprehendentur, pervestigemus; *denique* indolem atque habitum universum recensionis Origenianae indagemus, eamque cum textu recepto comparemus. In *prima* tractationis *parte*, non solum varii generis *fontes* aperiemus, e quibus lectionum Origenianarum notitia hauriri potest: verum etiam de *allegationum fide* generatim paucula disputabimus. Sunt enim, qui fidem testimoniorum, de lectionibus N. Testamenti e Patrum scriptis petitorum, labefactari opinentur argumentatione hac: solere scriptores ecclesiasticos oracula sacra, non inspectis codicibus, memoriter, excitare; hinc non nisi rarissime certos esse nos posse, utrum antiquissimorum codicum imaginem fideliter repraesentent istae allegationes, an vero lectionum varietas, ibi occurrens, lapsui memoriae et negligentiae excitantium ortum suum debeat. Haec ratio si valeret, actum esset profecto de auctoritate allegationum, et longe maxima dissertationis nostrae pars versaretur in argumento tenebris involuto nulla arte dispellendis. Ita vero contra falsam hanc persuasionem disputabimus, ut Origenem nunquam ex oculis dimittamus, sed singula, quae de fide allegationum

et iusto earum indagandarum modo trademus, exemplis ab Adamantio desumtis illustremus; qua ratione non solum multas eius allegationes dubias aliasque, in quibus sibi ipse non constat, in clariore, ut speramus, luce collocabimus, verum etiam consuetudinem, quam in laudandis Scripturae S. locis maxime tenuit Noster, veris coloribus depictam lectorum oculis exponemus. Ad universam vero, cuius fines et ambitum iam descripsimus, tractationem, *viam nobis muniemus observationibus nonnullis* de codicibus Origenianis; quibus ad recte intelligenda iudicandaque ea, quae de lectionibus eorum dicentur, praecipue opus esse videtur; nempe de codicum horum praestantia, de recensione textus sacri quae Origeni tribuitur, de pietate Adamantii critica, atque iniusta quorundam criminatione, textum N. Testamenti saepe ab eo e coniectura interpolatum esse etc.

Tandem, ne quis haereat in variis Novi Testamenti lectionibus, passim ut res feret, huic dissertationi adspergendis, quas in collectionibus hactenus editis frustra quaeret: monendus est lector, eas desumtas esse e libris Mstis, partim a nemine antehac inspectis, partim nimis negligenter collatis, quos, cum nuper aditus nobis pateret ad bibliothecas Angliae atque Galliae a codicibus graecis N. T. optime instructas, et membranarum vetustatum usus a viris doctissimis atque celeberrimis, qui servandis istis cimeliis praefecti sunt, humanissime concederetur, diligenter excussimus, atque cum textu edito et collectionibus a Millio et Wetstenio evulgatis, multis in locis accu-

ratius comparavimus. Ut vero eae lectiones, quae e codicibus antehac iam collatis a nobis nunc primum proferuntur, a caeteris dignosci possint, signis codicum Wetstenianis, quoties novae ex ipsis lectiones afferentur, asterisci notam praefigemus. Caeterum editione utimur operum Origenis Ruaeana, cuius tomus ultimus tandem Lutetiae anno 1759. prodiit.

§. I. Si praestantia codicum maxime iudicatur ex eorum antiquitate ad aetatem archetypi proxime assurgente, et bonitate ea, quae pendet a librarii qui eos scripsit aut recensuit diligentia, et exempli a quo ducti sunt praestantia: ex omnibus N. Testamenti codicibus graecis, qui aut hodie supersunt, aut de quorum lectionibus aliunde nobis constat, vix ullus iis, quibus Origenes usus est, aequiparandus esse videtur. Nam si antiquitatem ipsorum spectes, vix duobus seculis distant ab ipsis scriptorum sacrorum archetypis; quam aetatem tantum abest ut ullus liber Mstus hodie superstes contingat, ut vel vetustissimi aliquot seculis iuniores esse a peritissimis arbitris censeantur. Quicquid igitur de codicibus Origene vetustioribus scire cupimus, id ex allegatis Patrum graecorum, Origene antiquiorum, aut e vetustissimis versionibus discendum est. Atqui e libris Patrum istorum vix quicquam de ipsorum codicibus colligi potest, quod operae pretium sit, si cum Origenianis allegatis compararetur. Pleraque enim scripta illorum interciderunt; quae vero graece supersunt genuina, satis pauca scripturae s. loca continent, e quibus aegre aliquis uni-

versum habitum librorum, unde sumta sunt, perspiciet. Soli igitur codices ii, quorum imaginem (licet longo studiorum ordine postea varie immutatam atque exornatam) expressam videmus in versionibus antiquissimis, latina scilicet, quae Italae nomine venire solet, et Syriaca, quam simplicem vocant, Origenianis, quod ad temporis ordinem, anteponendi aut comparandi sunt. Cum vero vetussimi etiam codices possint esse impuri atque interpolati, et Origenis tempore, ipso teste, [1]) iam extiterint exempla sacrorum librorum variis modis depravata: praeter antiquitatem, bonitas etiam codicum Origenianorum demonstranda est. Haec iudicatur tum e lectionum incorruptarum atque bonarum multitudine, tum ex aliis rebus, quae auctoritatem aliquam libris ipsis conciliant. De posteriore hoc genere indiciorum bonitatis paucula hic monebimus; lectionum examen alio loco deinceps instituetur.

§. II. Ut castos atque probos libros Origenem habuisse demonstremus, sufficit, ut partim opportunitatem tales nanciscendi eum habuisse, partim facultate critica, melioris notae codices a minus bonis discernendi, ipsum instructum fuisse ostendamus. Facile eum potuisse optimos libros sibi comparare, nemo negabit, qui tum locorum, ubi vixit, opportunitatem, tum gratiam, qua apud bonos omnes valuit, paulo attentius expendere velit. Alexandria, ubi multa cum

---

1) Commentar. in Matth. Tom. 15. §. 14.

laude catecheticae scholae, celeberrimae praefuit Noster, inde a primis novae religionis temporibus, hominum christianorum frequentia, atque ecclesiae ibi fundatae dignitate insignis, tum temporis praecipua eruditionis christianae sedes erat. Quis credat, in hac urbe, post Pantaenum, Clementem alexandrinum aliosque celeberrimos doctores, bonorum librorum inopia Origenem laborasse? Neque tamen semper hic haesit; Romam, Hierosolymam, Caesaream tam Palaestinae quam Cappadociae, Antiochiam, Tyrum, Ephesum, Athenas, aliasque urbes celeberrimas adiit, imo in plerisque locis indicatis satis diu commoratus est. Ingens igitur codicum copia suppetebat viro, scripturae studio deditissimo, stupendi inter codices dissensus non ignaro, et de vera lectione perquam sollicito; quem optimus quisque ob morum integritatem, doctrinaeque et amplitudinem et elegantiam amabat atque colebat; e cuius sinu, ut verbis utar Vincentii Lirinensis,[2]) innumeri doctores, innumeri sacerdotes, confessores et martyres exstiterunt, ubivis gentium dispersi, qui magistrum plane singulari pietate, omnique officiorum genere prosequebantur[3]). Ut vero ex tanta librorum, quorum copiam facile impetrare poterat, multitudine, optimorum delectum eum fecisse credamus,

---

2) Commonitor. I. cap. 23. et conf. Huetii Origeniana Libr. I. cap. 4. §. 10.

3) Luculenta sunt exempla Firmiliani, de quo Eusebius H. E. Lib. 6. c. 27. et Gregorii Thaumaturgi, cuius vide panegyricam orationem in Origenem.

suadet tum ingenii, quo praeditus erat, divini in indagando sagacitas iudicandoque subtilitas, quae in hoc rerum genere plurimum valent; tum criticarum rerum scientia, qua pollebat, accurata longoque usu confirmata. Criticae artis praecepta non poterat non callere optime, qui olim Grammaticam, cuius fastigium critica disciplina est, professus erat. Nec usus rerum desiderari potest in viro, qui inde a pueritia, legendis atque interpretandis libris tam profanis quam sacris, ingenium exercuerat [4]. Quae cum ita sint, mirum videri debet nemini, tantam fuisse codicum Origenianorum admirationem, ut doctissimi olim viri, sicubi dubitatio de vera lectione orta esset, ad eos provocarent. Recte etiam Wetstenius: *affirmare*, inquit, *non dubitem, quod si vel Origenis codex exstaret, vel scripta eius integra superessent, ad editionem* N. T. *accuratissimam plus inde quam ex omnibus Patribus ac Codicibus, qui nunc quidem supersunt, subsidii sperare liceret.* Prolegom. in N. T. Part. I. pag. 63. sive edit. Hal. p. 177.

§. III. Orta est dubitatio inter viros doctissimos, utrum Adamantius textum N. Testamenti ad normam optimorum librorum ipse castigaverit, atque

---

4) Vid. Eusebii H. E. libro 6. passim; in primis vero Ernesti dissert. de Origene interpretationis librorum S. S. grammaticae auctore; in qua de Origene eiusque de re critica sacra me[illegible]is, atque de codicibus eius plane egregia tradit Vir Incomparabilis, cui multum nos debere agnoscimus.

criticorum more recensuerit; an vero usus sit codice, ex alio bonae notae exemplo, absque perpetuo criseos exercitio, descripto, adeoque a codice, e quo manavit, aut nunquam, aut raro saltim dissentiente. Primo probabile esse putatur, Origenem non minorem impendisse operam textui N. T. castigando, quam in emendanda versione των ό collocavit; praesertim cum Lucianus atque Hesychius, quos eandem versionem graecam critica diligentia recensuisse scimus, similiter textum N. T. formaverint, novasque eius editiones evulgarint. Deinde loca nonnulla veterum scriptorum huc facere creduntur, quibus των ἀντιγράφων, *exemplarium* Origenis, mentio fit; quam locutionem de exemplaribus ab ipso recognitis atque emendatis necessario accipiendam esse contendunt recensionis Origenianae defensores. Nos certe huic sententiae lubentissime subscriberemus, eaque ad evincendam codicis Origeniani bonitatem, quae siquidem vir κριτικώτατος textum ipse formasset, in dubium vocari a nemine temere posset, commode uteremur, nisi scrupuli nobis restarent, quos eximi nobis maxime vellemus. De quaestione igitur hac, quae ad historiam sacri textus recte informandam, magni profecto momenti est, quid nobis videatur, modeste exponemus.

§. IV. Quod ad prius attinet argumentum, quod ex analogia ducitur, id ultra levem probabilitatis gradum vix evehit opinionem hanc, quae Origenem novae recensionis auctorem ponit; praesertim cum non nihil differat ratio emendatae versionis των ό ab eiusmodi

recensione critica, qua N. Testamenti textum ab Origene constitutum esse tradunt. Nam non unice id egit Origenes, ut versionem variis modis corruptam, nativae integritati restitueret, sed efficere voluit, ut extaret graeca aliqua V. T. translatio, quae hebraicae, quam dicunt, veritati exacte responderet; ut homines hebraici sermonis ignari, scire possent, quid in archetypo extaret, quid minus [5]); atque ut vis ac potestas phrasium, e collatione plurium translationum, facilius percipi posset. Interim lubenter admitteremus qualecunque hoc ex analogia argumentum, si modo alterum, quod e commemoratione *exemplarium* Origenis ducitur, exceptione maius esset. Sed ne vocabulorum ambiguitate decepti de verbis pugnare videamur, antequam ad ulteriora progredimur, quid in controversiam veniat distinctius exponendum est. Non negamus, γραφικα aliaque huiusmodi vitia, a quibus nullus umquam codex immunis fuit, diligentia Adamantii sublata fuisse ab iis libris, qui postea nomen ab ipso nacti sunt. Dare etiam possumus, virum κριτι-

5) Quod graecarum versionum comparationem ac editionem hoc potissimum consilio susceperit, ipse docet Epist. ad Afric. ubi §. 4. magno labore diversas translationes se excussisse narrat, ὑπερ του μη λανθανειν ἡμας την διαφοραν των παρα Ιουδαιοις και ἡμιν ἀντιγραφων. Et paulo post §. 5. ἀσκουμεν μη ἀγνοειν και τας παρ᾽ ἐκεινοις· ἱνα προς Ιουδαιους διαλεγομενοι, μη προφερωμεν ἀυτοις τα μη κειμενα ἐν τοις ἀντιγραφοις ἀυτων, και ἱνα συγχρησωμεθα τοις φερομενοις παρ᾽ ἐκεινοις. Iam enim Iudaei non irridebunt Christianos, ὡς τ᾽ ἀληθη και παρ᾽ ἀυτοις ἀναγεγραμμενα ἀγνοουντας.

κωτατον, qui multos codices sine dubio inspexerat [6]), membranas, quibus utebatur ipse, hic ibi, sed raro, ad aliorum exemplarium fidem castigasse, et quae librariorum vitio omissa putabat supplevisse, forte etiam glossema unum et alterum iugulasse. Atque haec viri celeberrimi diligentia, membranis ipsius (quae hoc sensu *Adamantii exemplaria* recte dici poterant,) tantam conciliabat famam et auctoritatem, ut veteres ad eas tanquam castigatissimas provocarent, easque *accurata exemplaria*, (ἀκριβῆ ἀντίγραφα, quo nomine Eusebius eas interdum laudat) appellarent. Sed huius generis emendationes leviores, universum textus habitum non spectantes, non sufficiunt, ut novae recensionis auctor salutetur Origenes; certe non ea significatione, quae alias in re critica sacra obtinet, v. c. ubi de recensione Lucianea aut Hesychiana loquimur, aut ubi codices CDL 1. 13. 33. etc. aliam recensionem exhibere dicimus, quam codices 2. 3. 4 etc. [7]). Mirabilis sane illius vetustorum librorum

---

6) Planissime hoc patet ex iis Commentariorum locis, ubi varias eiusdem dicti lectiones e diversis codicibus profert. v. c. Matth. 16, 20. alios codices διεστειλατο, alios επετιμησεν, cap. 18, 1. alios ὥρα, alios ἡμερα, Hebr. 2, 9. alios χαριτι θεου, alios χωρις θεου habere, disertis verbis testatur.

7) Nemo dubitat codicem Evangeliorum 13. eandem exhibere textus sacri recensionem, quam repraesentat cod. 69. quem illi gemellum ac similem esse, recte observavit Wetstenius. Quin sexcentis locis, ubi Wetstenius sexagesimum nonum excitavit solum, nos decimum tertium consentientem deprehendimus, cum librum notatu dignissimum,

dissensus ratio, e tali exemplarium recognitione sive διορθωσει repeti non potest. Qui emendatis codicibus

---

sed perquam negligenter collatum, magna ex parte denuo conferremus. Etsi vero tam propinqua cognatione coniuncti sunt, tamen alter ab altero locis non paucis differt. Cuius dissensus exempla quaedam, de quibus, e codicis 13. inspectione, certo nobis constat, apponere non piget. Matth. 21, 12. ἱερον — του θεου* 13. Orig. sed habet 69. cap. 25, 16. ἐποιησεν 13. ἐκερδησεν 69. vers. 29. ἐχει 13. δοκει ἐχειν 69. Orig. cap. 26, 59. — και οἱ πρεσβυτεροι 69. Orig. sed habet 13. Marc. 1, 13. ἠν ἐν τῳ ἐρημῳ* 13. Orig. ἠν ἐκει 69. utrumque in editis simul exstat. cap. 3, 17. Ιακωβου 13. αὐτου 69. cap. 10, 27. — παντα γαρ δυνατα ἐστι παρα τῳ θεῳ 69. habet 13. Luc. 4, 22. — και ἐλεγον· οὐχ οὑτος ἐστιν ὁ υἱος Ιωσηφ* 13. sed habet 69. ordine tamen paullum mutato. cap. 7, 41. ἑτερος † δηναρια 69. sed non addit 13. cap. 10, 16. † και ὁ ἀκουων ἐμου, ἀκουει του ἀποστειλαντος με*. 13. non addit 69. comm. 17. χαρας † μεγαλης.* 13. non addit 69. cap. 11, 53. ἀποστοματιζειν αὐτῳ sic 13. sed συμβαλλειν αὐτῳ 69, cap. 12, 47 — ἑτοιμασας μηδε 69. sed habet 13: et eius loco omittit* μηδε ποιησας. In editis utrumque legitur. Huiusmodi varietates librarii oscitantiae tribui nequeunt, praesertim cum uterque codex, ubi in diversas partes abeunt, alios libros soleat comites habere. Codices e quibus descripti sunt 13 et 69, ex eodem exemplo expressi, sed ad diversorum exemplarium normam postea recogniti fuerunt. Sed accuratius haec deinceps tradentur, ubi de codicibus his ex instituto agetur. Hic tantum monemus, eandem, nostro quidem iudicio, esse recensionem in 13. quae est in 69. quanquam non raro inter se discrepent hi codices. Atque eodem sensu, recensionem quae extabat in codice Origenis, eandem fuisse affirmamus cum illa, quam exhibebat liber, e quo Origenianus descriptus erat. Nam salvo recensionis prisco habitu nonnulla in ea mutari potuerunt.

delectabantur, grammatico cuidam hoc negotii iniungere solebant, ut membranas a librario exaratas recognosceret, atque a mendis purgaret. Atque hinc Wetstenius aliique variantium lectionum collectores alteram manum toties a prima distinguunt. Vix ullum vidi librum N. T. manu exaratum, quin hic ibi secundis curis aliquid mutatum invenirem vel a librario ipso, qui διορθωτὴν postea egit, vel ab alio, qui codicem recognovit. Sed non qualiscunque emendatio aut mutatio novam recensionem efficit; alias enim innumerae fere essent N. Testamenti recensiones, quarum aliae vix quibusdam in locis a caeteris differrent, aliae vero mirum quantum a reliquis diversae essent. Distinctis nominibus hic opus est, ut codices pro discrepantiae modo ac gradu in classes ac familias scite dispesci possint. Recensiones sacri textus (v. c. Evangeliorum) agnosco non nisi paucas, (sunt forte tres aut quatuor), quae omnes N. T. codices in totidem classes seiungunt. Qui vero ad eandem classem pertinent, rursus varie inter se differre possunt. Nostra quidem sententia, is demum novae recensionis auctor censendus est, qui vel totum N. T. vel librum quendam sacrum, a capite ad calcem ita pertractat, ut pluribus codicibus in subsidium vocatis, et lectionum omnium examine instituto, optimarum quarumque delectum faciat, et suo usus iudicio textum constituat, qui a textu aliorum librorum non tantum locis quibusdam, sed toto habitu differat. Commodum ad illustrandam sententiam nostram se offert nota, in codice vetustissimo Marchalliano, Ezechieli prae-

fixa: Μετεληφθη απο αντιγραφου του 'Αββα Απολιναριου του κοινοβιαρχου, ἐν ᾧ καθυποκειται ταυτα· μετεληφθη απο των κατα τας ἐκδοσεις ἑξαπλων, και διωρθωθη ἀπο των Ὠριγένους αὐτοῦ τετραπλων, ἁτινα και αὐτου χειρι ΔΙΩΡΘΩΤΟ, και 'ΕΣΧΟΛΙΟΓΡΑΦΗΤΟ ὁ Ευσεβιος ἐγω σχολια παρεθηκα. Παμφιλος και Ευσεβιος ἐδιωρθώσαντο [8]). Ea quae Origeni hic tribuitur exemplaris cuiusdam διορθωσις plane diversa fuit ab illo labore, quo ipsum versionis των ό textum formavit, novamque eius recensionem elucubravit. *Novam* igitur librorum N. T, *recensionem* Origenianam non agnoscimus; διορθωσιν exemplaris cuiusdam admittimus; nec magnopere repugnamus, si quis textum sacrum *quibusdam in locis* ab Origene immutatum esse contendere velit.

§. V. Iam, caussa sic posita, illuc unde divertimus redeundum, atque videndum est, num *exemplaria Origenis* dici non potuerint, nisi quae *novam recensionem*, ab Origene efformatam, continerent. Hieronymus quidem aliquoties [9]) ad stabiliendam lectionem, quae ipsi prae caeteris placebat, utitur auctoritate exemplarium Adamantii, eaque graecis libris aliis, minus castis, praefert: nusquam tamen caussam, cur Adamantii nomine veniant puriores isti, quos laudat, libri, docet. Sed ex eo, quod *Adamantii* et *Pierii*

8) Vid. Montefalconii praeliminaria in Hexapla Origenis cap. 1. §. 5.

9) Comment. in Matth. 24, 36. et in Gal. 3, 1. coll. 5, 7.

exemplaria coniungit [10]) non inepte colligi posse videtur, eandem fuisse rationem exemplarium Origenis et Pierii, eandemque denominationis caussam. Pierium vero textum criticorum more recensuisse, nemo, quod sciam, veterum tradidit, neque recentiorum quisquam demonstravit. Equidem assentior viris doctis, qui exemplaria Pierii libros fuisse putant, ipsius manu ex antiquis bonae notae exemplis (nempe Origenianis) descriptos, aut saltim ad ea recognitos. Quin Adamantii exemplaria eodem sensu accipimus, quo Pierii exemplaria accipiuntur? Sic etiam *αντιγραφα* Pamphili (discipuli Pierii) atque Eusebii, quae a veteribus laudantur, non fuerunt libri, in quorum textu constituendo desudarunt hi viri, sed qui ipsorum manibus atque cura exarati erant. Sacrum Novi T. codicem scriptum fuisse a Pamphilo, constat e subscriptione codicis antiquissimi Coisliani 202 *ἀντεβλήθη ἡ βιβλος προς το ἐν καισάρεια ἀντιγραφον της βιβλιοθηκης του ἁγιου Παμφιλου, χειρι γεγραμμένον αὐτου.* Quodnam vero exemplum secutus sit Pamphilus, obscurum esse non potest. Primum enim tradit Hieronymus (Epist. ad Marcell.) impensius eum prosecutum esse libros Origenis, eosque Caesareensi ecclesiae dicasse; et in Catal. Scrip. Eccl. narrat, maximam partem Origenis voluminum sua manu ipsum descripsisse. Voluminum quidem nomine intelligo commentarios caeterasque scriptio-

10) Comment. in Matth. 24, 36. „In graecis, et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus, hoc, οὐδὲ ὁ υἱος, non habetur adscriptum."

nes Adamantii; cur tamen codices N. Testamenti Origeniani, quibus nullos alios aequiparandos esse sciebat Pamphilus, excipi debeant, nulla apparet caussa. Deinde, cum Pamphilus, adiutus Eusebii opera, codices V. T. ab Origene elaboratos vulgaverit [11]), probabile est, Novum Testamentum ab eo exaratum, ex eiusdem Adamantii exemplaribus similiter ductum fuisse. Quocunque modo hic exemplaria Origenis accipias, Pamphili ἀντιγραφα ab iis non dissensisse videntur. Denique Eusebius eadem sine dubio qua Pamphilus sacri textus recensione usus est. Eusebianae vero allegationes mirifice consentiunt cum Origenianis. Atque hinc intelligimus porro, quaenam fuerint ἀντιγραφα του Ευσεβιου, ad quorum normam codices suos excussit Euthalius. Scilicet *non cogitandum est de textu, Eusebii cura formato*; sed indicantur libri, aut ipsius manu exarati, quod veritati maxime consentateum mihi videtur, aut eius iussu atque auctoritate a peritis librariis e bonis exemplis (Origenianis scilicet, aut certe hisce simillimis) descripti; quales fuere quinquaginta codices, (σωματια των θειων γραφων) iubente Constantino Imp. ab Eusebio curati. Si quis vero Pamphilo atque Eusebio, summis rerum Origenianarum admiratoribus, novam recensionem tribuere velit, is certe eandem operam olim iam textui sacro ab Origene impensam fuisse, nullo modo affirmare poterit.

---

11) Hieron. epist. ad Chromat.

§. VI. Sed his, quae argumenta pro recensione Originis allata dubia fere reddunt, alia addi possunt, quae oppositam sententiam verisimilem faciunt. Nempe si Origenes novam librorum N. T. ἔκδοσιν elaborasset, ipse sine dubio textum a se formatum constanter secutus esset. Hinc non possent non multum differre allegationes, quae in libris ante recensionem absolutam scriptis reperiuntur, ab iis quae in libris ipsius occurrunt critico isto conatu posterioribus; nisi quis forte recensionem N. T. laborum Origenis aut primum aut ultimum statuere velit, quorum neutrum probabile est. Atqui in scriptionibus Origenianis omnibus eundem Novi Testamenti textum laudari videmus. Nam ea oracula, in quibus excitandis sibi non constat Noster, obiici nobis non possunt. Pleraeque enim huius generis discrepantiae ortae sunt vel e negligentia Origenis, scripturae verba non nunquam minus accurate recitantis, vel e librariorum audacia, dicta scripturae in operibus Adamantii obvia non ita describentium, uti Origenes ea laudaverat, sed uti in bibliis, librarii aetate, habebantur. Qua de re deinceps dicetur. Neque tamen praefracte negamus, diversis N. T. codicibus usum esse Origenem [12]). Sed in hisce dis-

12) Haec doctorum virorum coniectura nihil in se habet, quod improbabilem eam efficiat, atque exemplo aliorum Patrum, qui plures codices similiter adhibuerunt, confirmatur. Vide quae Millius Proleg. §. 926 e Cyrillo observavit. De Origene vide eundem §. 687. Tota vero causa haec pendet a quaestione hac: utrum certi esse possimus,

crepantiis caussae suae patrocinium profecto non inveniunt opinionis, quam in dubium vocamus, fautores. Si quidem in libris, post certum aetatis annum ab Origene exaratis, ista N. T. dicta semper aliter excitarentur, quam in scriptionibus eius ante hunc annum compositis, victas utique porrigerem manus. Sed aliter rem se habere, ipsa Commentariorum Adamantii attenta lectio docet, et sequentes observationes, e diligenti quam plurimarum allegationum collatione enatae, confirmant.

I. Origenes eadem Novi Testamenti dicta, iisdem in libris, paucis tantum interiectis paginis, diversimode recitat. E. gr. Ioh. 14, 30. tomo 20. in Ioh. §. 25. legit οὐχ εὑρισκει. Sed ibid. §. 29. οὐκ ἐχει. Utramque lectionem alibi etiam invenimus. Illam in Ps. 119, 161. et latine saepius; hanc Homil. 15. in Ierem. pag. 225. et latine homil. 5. in Psalm. pag. 678. et homil. 23 in Luc. pag. 960. 1 Cor. 9, 19. contra Cels. libr. 2. §. 3. recitat: ἐν γαρ τῳ μωσεως νομῳ γεγραπται. Sed Libr. 4. §. 49. omittitur τω μωσεως. Ioh. 1, 33. Tomo 2. in Ioh. §. 6. et §. 24. πνευματι ἁγιῳ και πυρι. Sed §. 29. et Tom. 6. §. 25. et contra Cels. Libr. 1. §. 48 deest και πυρι. Matth. 16, 21. additur του λαου Tomo 12. in Matth. §. 20. (quod etiam legitur in codicibus 1. et 13.) Sed tomo

---

utramque, quam Origenes affert, lectionem, e codicibus ab ipso inspectis fuisse desumtam. Quare, cum de fide allegationum nonnulla postea dicenda sint, opus non est, ut illustrandae illi rei separatam operam impendamus.

13. §. 8. non adiicitur. Matth. 21, 3. tomo 10. in Ioh. §. 15. habetur τι ποιειτε, ut in Cantabr. Codice. Sed §. 17. bis extat tantum, τι.

II. Eadem in allegando inconstantia cernitur in libris circa idem fere tempus conscriptis. Tomos in Matthaeum, et libros contra Celsum ultimo vitae suae decennio scripsit Origenes, sexagenario maior [13]). Eodem temporis intervallo Commentarium in ep. ad Rom. exaratum fuisse, mox ostendemus. Sed in excitando Novo Test. ne in his quidem libris sibi constat. Gal. 4, 21. sic laudatur c. Cels. Libr. 2. §. 3. et Libr. 4. §. 44. *οἱ τον νομον ἀναγινωσκοντες.* Sed in fragmento Commentarii in Rom. quod graece extat in Philocaliae cap. 9. *οἱ ὑπο νομον θελοντες εἰναι.* Utraque lectio alibi recurrit. Prior hom. in Genes. 7. §. 2. et hom 10. §. 1. Posterior Libro 4. de Princip. §. 13. Item 1 Cor. 2, 4. ἀνθρωπινης σοφιας legitur c. Cels. Libr. 1. §. 62. et Libro 6. §. 2. Sed abest ἀνθρωπινης tum alibi, tum Tom. 14. in Matth. §. 14. — Si quis diligenter velit inter se conferre libros anno 231 posteriores, quo tempore Alexandriam relinquere coactus fuit Origenes, in omnibus haud raro discrepantes allegationes inveniet. v. c. Libro de Orat. §. 27. locus Ioh. 6, 51. aliter legitur, quam tomis in Ioh. 10. et 20. Decimus in Ioh. tomus, locos Matth. 21, 12 et 42. aliter exhibet, quam Commentarius in Matthaeum. Hic porro Commentarius in laudando loco 1 Cor. 2, 4. differt a libris contra Celsum; qui iterum locum Matth. 5, 44. aliter re-

13) Euseb. H. E. lib. 6. cap. 36.

praesentant, quam Tomus 20. in Ioh. Si igitur allegationum dissonantia recensionem sacri textus criticam indicat, quonam in libro suam recensionem secutus est Origenes?

III. Contra vero Origenes senex scripturae loca eodem modo excitat, quo ante plures annos ea laudaverat. In Comment. in ep. ad Rom. locum Gal. 4, 21. eodem modo legimus, quo exstat libro 4. de Princip. (vide num. anteced.). Sed libri περι ἀρχων editi sunt ante, quam ab urbe Alexandria migraret, i. e. ante annum 231. teste Eusebio H. E. l. 6. c. 24. Commentarii vero in Rom. circa annum 246 conscripti sunt, nempe antequam scriberet contra Celsum [14]), sed post homilias in Leviticum [15]), Ruffino iudice ex tempore pronuntiatas [16]), adeoque anno 245 posteriores. Nam ante annum aetatis suae sexagesimum non permisit, ut sermones suos ad plebem exciperent ταχυγραφοι [17]). Ioh. 12, 32 legitur ἐκ της γης, adhort. ad Martyr. §. 50. (circa annum 235) et Tom. 12. in Matth. § 18. et in Ioh. Tom. 32. §. 17. Item 1 Cor. 2, 4. Tomo 4. in Ioh. pag. 93. (ante annum 231) οὐκ ἐν πειθοι σοφιας των λογων; et similiter tomo 14 in Matth. §. 14. (circa 250.) Alibi tamen aliter.

IV. Quin allegationes in libris prioribus consonant iis, quae in posterioribus libris exstant, licet in

14) Contra Cels. Libr. 5. §. 47.
15) Nam ad has provocat Comment. in Rom. L. 9. §. 1.
16) Perorat. in Explanat. Origenis super Ep. ad Rom.
17) Euseb. H. E. libr. 6. cap. 36.

opusculis intermedio tempore exaratis aliter eadem loca excitentur. v. c. Ioh. 1, 33. ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ non solum tomo 2. in Ioh. (ante 231) et tomo 6. verum etiam contra Celsum Libr. 1. (post 245). Sed ὁ υἱος του θεου eius loco legitur tomo 13. in Ioh. (circa 236) et alibi; nempe hom. 2. in libr. Reg. et hom. 3. in Ies.

V. Origenes senex eas interdum sequitur lectiones, quas antecedente tempore disertis verbis reiecerat, quas igitur in suam recensionem eum recepisse probabile vix est. E. gr. Marci 1, 2. contr. Cels. L. 2. c. 4. additur ἔμπροσθεν σου, quod a Marco omissum fuisse testatur Comment. in Ioh. Tom. 6. §. 14. conf. tamen infra §. 15. Tantum igitur abest ut allegationum diversitas pro recensionis Origenianae indicio haberi possit, ut potius discrepantiae istae recensionem nunquam tentatam fuisse innuant.

Sed mirari praeterea licet, quid sit, quod nemo veterum Origenis operam in recensendo textu N. Testamenti collocatam laudet. Quid quaeso caussae fuit, cur Eusebius, in tradendis caeteris Adamantii rebus admodum diligens [18]), ne verbulo quidem merita eius de textu N. T. attigerit, cum de hexaplari opere satis accurate exposuerit, et nihil facile praetermiserit quod ad laudem Origenis spectet. Hanc vero historiae Origenianae partem eo minus praeterire debebat, quod hac recensione et ipse utebatur, et ad alios eam propagabat. Cur tandem Origenes ipse totam

18) Hist. Ecclesiast. libro VI. fere toto.

rem studiose silentio pressit? Insignis est locus Tomo 19 in Matth. quo verba Matth. 19, 19. ἀγαπησεις τον πλησιον σου ὡς σεαυτον, theologica usus coniectura, suspecta reddere conatur. Ibi της διαφωνιας των ἀντιγραφων in permultis non solum Matthaei sed caeterorum etiam Evangelistarum locis, mentionem iniicit, atque breviter narrat, quibus adminiculis in castiganda versione των ό usus sit, quemque modum in hoc negotio servaverit: την ἐν τοις ἀντιγραφοις της παλαιας διαθηκης διαφωνιαν, θεου διδοντος, εὕρομεν ἰασασθαι κ. τ. λ. Si unquam textui N. T. simili instituto medicas manus admovisset, h. l. suam medendi rationem commemoraturus, suique operis mentionem facturus erat. Sed nihil omnino de N. T. adiecit [19]). Quod silentium etsi iustae demonstrationis vim non habet, multum tamen ponderis iis quae diximus addere videtur. Liceat igitur, donec certiora quis doceat, de nova recensione Novi Testamenti, Origenis studio elaborata, dubitare.

---

19) Vetus interpres, seu paraphrastes potius Commentariorum in Matthaeum, sublestae fidei homo, sequentia hoc loco addidit: „*In exemplaribus autem N. T. hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi:* (scilicet addere aut demere quicquam, quod in versione των ό, asteriscis atque obelis usus, fecerat.) *Tantum suspiciones exponere me debere et rationes caussasque suspicionum, non esse irrationabile existimavi; sicut in hoc loco quod dicitur: diliges proximum tuum sicut teipsum; quoniam apud Marcum et Lucam positum non est*„ *etc.* Etsi verba haec satis conveniunt contextui Commentariorum, non ausim tamen contra graeci exempli auctoritatem ea defendere.

VII. Margini codicum suorum Origenem varias illevisse crediderim observationes criticas, emendationes, coniecturas, interpretationes, lectionis varietatem etc. Oram codicum Veteris Testamenti scholiis ab Origene exornatam fuisse, nota libri Marchalliani, supra §. 4. laudata, testatur. Quid vero obstat, quo minus marginem codicis N. Testamensi simili instituto scholiis instructum fuisse existimemus? Atque hinc diversitatem aliquam manasse arbitror non solum in ἀντιγραφα Pamphiliana atque Eusebiana, sed in allegationes etiam Origenis ipsius. Distinctius haec exponenda, suspicionisque rationes proferendae sunt. Quod ad exemplaria Pamphili eorumque ἀπογραφα attinet, coniecturam nostram confirmare videtur codex Coislinianus 202 vetustissimus, supra §. 5. laudatus, qui cum ἀντιγραφῳ Pamphili collatus, aut saltim e tali exemplo collato descriptus, non potest non epistolas Paulinas ita nobis repraesentare, uti olim in codice Origenis legebantur. Ipsa etiam comparatio textus Coisliniani cum allegationibus Origenis atque codicibus iis, qui cum his consentire solent, demonstrat, recensionem, quam exhibet vetustissimus ille, non differre ab ea, quam Origenes in excitando N. T. secutus est. Utinam vero praestantissimus liber integer exstaret! Nam plagularum, quae supersunt, paucitas omnes ad examen accuratius aditus praecludit. Attamen non nihil observasse mihi videor in istis fragmentis, quod ad rem, quam agimus, pertinet. Nempe dissentit aliquando Coislinianus ab Origene. Gal. 1, 4. codex, isque solus, habet θελησιν, Origenes vero

θέλημα. (de Orat. §. 25.) Sed facilis hic erat librarii lapsus, nec operae pretium, ut grammaticus, qui codicem cum ἀντιγράφῳ Pamphili contulit, ob hanc nullius momenti varietatem, membranam radendo deformaret. Alia ratio est loci 1 Cor. 10, 28. Coislinianus, assentiente Alexandrino, habet ἱερόθυτον, Origenem autem in suo codice εἰδωλόθυτον legisse dubitari prorsus nequit. Unde igitur irrepsit ista lectio in librum, qui Pamphilianam h. e. Origenianam recensionem repraesentare putatur? Nempe e margine codicis Origeniani. Sic enim Adamantius c. Cels. L. 8. §. 21. — εἰδωλόθυτον χρῆσις, ἡ ὡς οὕτως ὀνομάσαι δαιμονιοθύτων· ὡς δ' αὐτος (Celsus) προσαγορεῦσαι ἂν (ἅτε μη εἰδως, τι το ἀληθῶς ἱερον, και ποδαπαι αἱ παρα τουτῳ θυσιαι) ἱεροθυτων. et §. 31. τα καλουμενα περι τοις πολλοις ἱεροθυτα [20]). Nullus dubito, quin in margine codicis Origeniani scholion: ἱεροθυτων, adpositum fuerit, quo nomine apud τους πολλους veniebant εἰδωλοθυτα. Quod scholion in locum genuinae lectionis substitutum est a homine, qui perperam id accepit, ac pro emendatione aut variae lectionis significatione habuit. Eodem prorsus modo textus e scholiis Origenianis saepius interpolari potuit.

Discrepantiam allegationum Orig. ex parte ortam esse diximus e margine codicis, scholiis instructi.

---

20) Non solum e locis hic excitatis, verum etiam e tota de εἰδωλοθυτοις tractatione, in qua Origenes constanter hoc vocabulum usurpat, manifestum est, in contextu codicis Origeniani non exstitisse ἱεροθυτον sed εἰδωλοθυτον.

Colligi hoc potest e comparatione scriptorum Origenis seriorum cum prioribus. In posterioribus enim textui sacro nonnunquam verba nonnulla admiscet, quae antecedente tempore ignorasse videtur. v. c. Matth. 21, 12. του θεου tomo 10 in Ioh. non exstat; additur vero tomo 16 in Matth. Ioh. 6, 51. ὁ ζων non habetur libro de Orat. adiectum vero est c. Cels. L. 2. et 7. 1 Cor. 2, 4. ἀνθρωπινης non legitur in prioribus in Ioh. tomis, sed additum demum est Libr. 1. et 6. c. Cels. Utramque lectionem exstitisse in exemplari Origenis, alteram scilicet in textu, alteram in margine, idcirco etiam probabile est, quia Eusebius in suum textum suscepit additamentum; Hieronymus vero, qui Origenem non minus ducem sequitur quam Eusebius, omisit. Cum vero recensio, quam occupant allegationes in libris posterioribus, diversa non sit ab ea, cuius imaginem cernimus in scriptis Origenianis tempore prioribus: eius rei ratio reddi non potest probabilior, quam quod Origenes, qui plures codices inspexerat, in margine sui exemplaris additamenta nonnulla, quae in aliis libris repererat, notaverit, eaque postea, in excitandis oraculis scripturae, textui nonnunquam admiscuerit. Caeterum observare hic licet ingenium exemplarium Pamphilianorum et Eusebianorum. In Pamphiliano scholion ἱεροθυτον modo notavimus; hic additamentum ἀνθρωπινης deprehendimus in Eusebiano.

§. VIII. Iustam librorum Origenianorum existimationem non imminuit invidiosa quorundam accusatio, qui Origenem non raro e coniectura, contra librorum auctoritatem, textum mutasse conten-

dunt. Ad quam criminationem repellendam, confidenter provocamus, tum ad ingenium Adamantii, ab audacia in rebus criticis prorsus alienum, tum ad ea ipsa exempla, quibus Wetstenius iam in prolegomenis, pag. 67. quam in notis suis passim, accusationi fidem facere conatus est. Moderationem Origenis in mutando textu sacro, cernimus partim in modesto prudenterque temperato criseos usu in edenda graeca V. T. versione, partim in modo, quo coniecturas in N. T. proponit [21]). Quod ad V. T. attinet, ipse profitetur, Comment. in Matth. 19, 19. ea, quae in hebraeo textu non extabant, obelo se confixisse in translatione graeca, μη τολμησας αὐτα παντη περιελειν, quae vero in versione omissa erant, ea e caeteris interpretibus, asteriscis adpictis, se addidisse, hoc consilio, ut lector ipse iudicare posset; ὁ μεν βουλομενος προηται αὐτα; ᾧ δε προσκοπτει το τοιουτον, ὃ βουλεται περι της παραδοχης αὐτων, ἢ μη, ποιηση [22]). In Commentariis vero in N. T. sicubi contra plurium codicum suffragia decernit, aut coniecturam ex ingenio suo proponit, veniam praefari atque lectori studiose excusare se solet. v. c. Matth. 8, 28. γεργεσηνων loco γερασηνων, et Ioh. 1, 28. βηθαβαρα pro βηθανια legendum esse monet; sed suspicionis excu-

21) Vid. S. V. Ernesti dissert. laud. §. 20. 21.

22) Hic interpres latinus addidit ea, quae supra §. 6. protulimus, quae, quamvis genuina non sint, mentem tamen Origenis optime exprimunt, eiusque agendi rationem, quod ad criseos exercitium, recte describunt.

sationem petit a creberrimis librariorum, in scribendis propriis nominibus, peccatis. Matth. 19, 19. ubi verba: *diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, sibi suspecta esse fatetur, ne ἀσεβης videatur ταυτα ὑπονοων, monet, alibi etiam in Evangeliis multa a scribis pro arbitrio addita aut omissa esse; quin interpretationem verborum, de quorum νοθεια persuasum ipsi erat, in eorum gratiam profert, qui forte comma hoc retinere malint. Origenes igitur 1) in recitando textu religiose hic sequitur codices suos; coniecturas proponit in Commentariis. Cur legem, cui hic obtemperavit, alibi migrasse putetur, caussa apparet nulla. 2) Librarii non temere in sacrum contextum coniecturas Origenis quascunque receperunt. Verba enim, quorum αὐθεντιαν impugnat Adamantius, in omnibus codicibus exstant. Ergo nec suum exemplar, e quo alia deinceps magno numero manarunt, ad coniecturam suam mutaverat.

§. IX. Veritas assertionis nostrae magis adhuc elucescet e diligenti consideratione locorum N. T. quae Wetstenius vel ab Origene ipso e coniectura mutata, vel a librariis, iudicio tanti viri nimium tribuentibus, interpolata esse suspicatur. Iis, quae generatim de modestia Adamantii diximus, hoc iam effecisse nos existimamus, ut eum nemo criminis, de quo accusatur, reum pronuntiaturus sit, nisi gravissimis argumentis ac testibus sat locupletibus convictum videat. Sed documenta a Wetstenio ad confirmandam accusationem prolata partim aperte falsa sunt et futilia; partim tam perspicua non sunt ut rem con-

ficiant, et omnes excusationis ansas nobis eripiant. In Catalogo locorum N. T. ab Origene interpolatorum primo occurrit:

Math. 1, 23. ubi D. 2. a prima manu et Eu. 7. καλεσουσι legunt pro καλεσεις. De lectione huius loci disputat Origenes homil. 2. in Ies. Sed quae supersunt homiliae in Iesaiam, latine tantum exstant, interprete Hieronymo, qui, teste Rufino, (libr. 2. adv. Hieron.) nimia in transferendis hisce sermonibus libertate usus est. De sententia igitur Origenis vix certo ex iis constare nobis potest. Verba haec sunt: *veritas exemplarium prophetae dicit:* VOCABIS. *In Matthaeo porro scimus lectitari* (aliter igitur quam in propheta) VOCABITUR. — *Quomodo vero Evangelium hanc habet scripturam?* (a prophetae textu discrepantem) *Utrum ab aliquo non intelligente, et ad faciliora currente, quomodo et in aliis multis factum est;* (Igitur Origenis tempore iam erant, qui sripturae textum mutando *faciliorem* reddere auderent; difficiliorem ergo lectionem praeferat Criticus.) *an sic a principio, ut dicat forte aliquis,* (de lectione dubitabat Origenes) *editum esse evangelium: qui vult deliberet.* — *Novi quendam in exordio scripturarum Evangelii legentem:* ET VOCABIS, — *dixisse intra seipsum: quid est vocabis? Quis vocabit? Achaz?* — *atque ita pro eo quod est, vocabis, scripsisse* VOCABITUR. Num igitur iam tum exstabant codices, qui καλεσεις haberent? ac criticum istum audaculum novit Origenes? An forte hac descriptione coniecturam *suam* Adamantius proponit? scilicet ab initio scriptum fuisse: κα-

λέσεις, postea aliam lectionem, a prophetica diversam, irrepsisse in Matthaei codices. An denique Hieronymus, quae Origenes de lectionis varietate in graecis libris dixerat, ad latinos bibliorum codices transtulit? Sane: *vocabitur*, (κληθήσεται) nusquam in graecis libris occurrit; exstat vero apud interpretem latinum Irenaei L. 4. c. 23. (edit Massuet.) et, teste Feuardentio, L. 3. c. 9. in editione vetusta [23]). Hieronymus tamen Comment. in Ies. 7. tradit, in Matthaeo *vocabunt* (καλέσουσι) scriptum esse. Quicquid sit, latinus hic homiliae locus subobscurus ad elevandam criticam Origenis fidem idoneus non est, cum certo effici vix possit, quid in suis codicibus legerit, quamnam lectionem praeferendam duxerit, et unde eam hauserit. Interim, cum *vocabitur* sive *vocabunt* facilius sit quam *vocabis*; et Origenes eos reprehendat, qui ad faciliora currunt: verisimile est, *vocabis* pro genuino eum habuisse. Sed inde non sequitur, καλέσεις in nullo codice tunc extitisse, et ab Origene primo in textum illatum esse. Si exemplaria Origeniana in ipso verborum contextu καλέσεις habuissent, Hieronymus, summus eorum admirator, non scripsisset, apud Matthaeum legi *vocabunt*. Eusebius quidem habet καλέσεις, sed hoc forte e margine codicis Origeniani sumsit. vid. §. 7.

Matth. 4, 10. Disertis verbis docet Origenes to-

23) Feuardentius ad hunc Irenaei locum monet, Origenem legisse *vocabunt*. Unde vero id resciverit, equidem ignoro.

mo 12. in Matth. §. 22. Satanae dictum fuisse, ὕπαγε σατανα, χωρις της ΟΠΙΣΩ ΜΟΥ προσθηκης. Atque hanc lectionem in suis libris eum invenisse, plane mihi persuasum est. Nam de vera lectione minime dubitat, sed tanquam indubie certum occupat, ὀπισω μου non legi hoc loco. Sine stupenda impudentia, quae profecto in Adamantium non cadit, sic agere non potuisset, si verba ista de textu Matthaei ipse abstulisset. Perperam igitur Wetstenius omissionem του ὀπισω μου, Origenis tribuit ingenio. Deest quoque in versionibus vetustis; vulgata, syriaca, (posterior habet quidem, sed cum asterisco, additionis serioris indice) persica ex editione Wheloci, et arabica polygl. quibus coptam addimus. Origeni praeterea adstipulantur, Ignatius, si placet nomen, Hieronymus, aliique latini, Brixiensis etiam codex latinus, ut et, ex Bengelii sententia, Chrysostomus; atque codices graeci non pauci, in quorum numero sunt non solum 1. et 13. semper fere cum Origene conspirantes, sed alii etiam, quibus nullum intercedit cum Origeniana recensione (latiori sensu utimur iam hoc vocabulo, pro ea qua usus est Adamantius recensione) commercium. Sed exstant verba ista apud Aeth. Pers. pol. Arab. erp. Iustin. M. aliosque graecos, CDL. etc. Quid igitur sentiendum sit de omissione hac longe antiquissima, cum tot in utramque partem afferri possint testimonia, nemo facile dixerit. Potuit sane ineptus homo, sed Origene audacior, verba ista iugulare, eadem delectatus λεπτολογια, cuius mentionem Origenes ad h. l. fecit, Bengeliusque repetiit.

Sed aequo iure, e locis aliis ea huc translata esse, dicere aliquis posset. Quare, cum nec testium gravitate et numero, nec rationum speciosarum auxilio altera lectio alteram vincat, res in medio relinquenda esse videtur. Plures occurrunt in N. T. huius generis lectionum varietates antiquissimae, de quibus nemo, qui boni critici officium accurate novit, atque ab omni cupiditate liberum animum habet, certi quicquam statuere ausit. Sed Luc. 4, 8. verba: ὑπαγε ὀπισω μου σαταυα, omnino delenda esse existimo. Wetstenius plane ineptit, dum Origenem invitis codicibus comma hoc e textu Lucae amovisse contendit, in not. ad Matth. 4, 10. Quid enim? Origenes ista verba iugulavit etiam in versionibus Syr. Aeth. Pers. in utraque edit. Copt. Armen. Vulg. Goth. Saxonica? Hae igitur omnes Origenis vestigiis insistunt? Quid? quod ante Theophylactum, si Grotio fides est habenda, nemo graecorum ea excitavit. Omittuntur etiam in codicibus B. D. L. 1. 8. 13. quibus addimus codicem Marshi 24. in biblioth. Bodleiana, de quo libro deinceps plura dicenda erunt. Hiat h. l. codex C. Alexandrinus vero parum se nobis commendat additione hac.

Matth. 6, 4. ἐν τῳ φανερῳ omittitur in B. D. 1. 22. 23. *33. 68. cod. Marsh. 24. Copt. Vulg. et patribus nonnullis. Eadem verba v. 6. desiderantur in cod. *24. 59. et Marsh. 24. a prima manu. v. 18. vero absunt a codicibus ac versionibus longe plurimis. Wetstenius ad v. 4. notavit, Origenis coniecturae hanc deberi omissionem. Versum quartum ac deci-

mum octavum Origenes nunquam excitavit integros. Comm. 5—8. recitat libro de Orat. §. 19. ibique v. 6. deest ἐν τῳ φανερῳ. Praeterea in Select. in Ezech. 8, 12. laudatur το· εἰςελϑε εἰς το ταμιειον σου, και το· ὁ βλεπων ἐν τῳ κρυπτῳ ἀποδωσει σοι, quae ad sextum comma itidem spectare videntur. Tandem tom. 18. in Ioh. §. 45. narrat Origenes, tertio Stromatum libro exposuisse se dictum illud: ὁ πατηρ σου, ὁ βλεπων ἐ. τ. κ. ἀποδωσει σοι [24]). Ad quodnam Matthaei comma ibi respexerit, non liquet. Quid igitur? Num Origenes το · ἐν τῳ φανερῳ plane ignoravit? Id equidem affirmare non ausim. Nam apud Corderium in Catena in Ps. 36. haec habentur: ὁ την ἐν κρυπτῳ δικαιοσυνην (pertinere haec videntur ad v. 4.) βλεπων Θεος, δια το βλεπειν ἐν τῳ κρυπτῳ, ἐξοισει αὐτην, ὁτε φανερωσει τας βουλας κ. τ. λ. Plenius haec homil. 1. in Ps. 36. (unde sine dubio ista quae exstant in Catena, desumta sunt) leguntur, interprete Rufino: *Tuam iustitiam, quam tu egisti in occulto, et revelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus, et ostendet te iustum — coelo et terrae, et omnibus qui in coelo sunt ostendet lumen iustitiae tuae — Matth. 6, 3. — Haec ergo iustitia, quae ita fit — ut pater, qui videt in occulto, reddat* PALAM *in tempore suo, producitur a Deo sicut lux etc.* Ergo satis incertum est, quid in suis exemplaribus legerit Origenes,

---

24) Codex Bodl. addit ἐν τῳ φανερῳ, sed Barberinus et Regius non agnoscunt.

quid non. Unde igitur constare nobis potest, eum verba illa in suo codice rasisse? Wetstenius quidem, *Origeni, inquit, non videbatur consentaneum, ut illi, qui ostentationem vitare et secreto largiri iubetur, publicum praemium, quod ostentatores incitare solet, promitteretur. At debebat distinguere gloriam, quae a Deo est, et gloriam, quae est ab hominibus.* Quasi vero isthaec ignorasset Adamantius! Quin hoc ipso libri de oratione loco, quem procul dubio respexit Wetstenius, [25] dicto Ioh. 5, 44. excitato, haec addit: πασης της παρ' ἀνθρωποις δοξης, καν ἐπι τῳ καλῳ γινεσθαι νομιζηται, καταφρονειν, και ζητειν την κυριαν δοξαν και ἀληθη, την ἀπο του μονου τον της δοξης ἀξιον πρεποντως ἑαυτῳ, ὑπερ την ἀξιαν του δοξαζομενου, δοξαζοντες. Nostra quidem sententia, Matthaeus semel tantum scripsit ἐν τῳ φανερῳ, nimirum commate 6. Sed ante Origenis tempora hoc ipso loco exciderat iam e codicibus quibusdam, quia brevior formula v. 4. librarii menti adhuc obversabatur.

Matth. 19, 17. Origenes in Comment. in h. l. (tom. 15. §. 10.) ad quaestionem: διδασκαλε (omittitur ἀγαθε) τι καλον ποιησω, ἱνα σχω (alibi κληρονομησω) ζωην αἰωνιον; hanc excitat Christi responsionem: τι με ἐρωτας περι του ἀγαθου; εἱς ἐστιν ὁ ἀγαθος. Wetstenius in proleg. hunc locum iis annumerat, quos Ada-

---

25) Locum non indicavit. Equidem non memini apud Origenem me legere, consentaneum non esse, ut publica praemia Deus promittat iis, qui ostentationem vitare iubentur.

mantius e coniectura mutasse videatur. Sed facillime negotio accusatio haec refellitur. Nemo, qui Origenis Commentarios accuratius inspexit, dubitare potest, quin lectionem, quam in codicibus sui temporis invenit, h. l. secutus sit. Nam ipse Marcum et Lucam diversa a Matthaeo scripsisse docet; nempe: τι με λεγεις ἀγαθον; ουδεις ἀγαθος ει μη εἱς, ὁ θεος. Nonne vero impudentissimi esset hominis, Matthaei textum pro lubitu corrumpere primum et interpolare, ac postea, dissimulata impia fraude, sic confictum ac suppositum cum caeterorum Evangelistarum verbis comparare, atque dissonantiam, quasi rem inexspectatam, mirari, eiusque rationes investigare? Nam ipse non solum Evangeliorum inter se discrepantiam *indicat*, verum observat etiam, sensum inde existere satis diversum. Apud Matthaeum sic servatorem respondere iuveni, quasi hic περι ἀγαθου ἐργου interrogasset; apud Marcum vero et Lucam ita responderi, ac si ἀγαθος dici, praeter unum patrem, queat nemo. Matthaei textum videri quidem pugnare cum praecepto ποιησον ἀγαθον Ps. 33, 15. ita enim respondere Christum, quasi το ἀγαθον in solum Deum cadere possit; quo posito, mandatum illud ineptum esset: sed ex comparatione Marci et Lucae pugnam componi posse. Inde enim patere, ἀγαθον in hac responsione Christi accipi sensu exquisitiori, tali nimirum, quo Christus ipse ἀγαθος dici nequeat. Contra vero, illud: ποιησον ἀγαθον intelligendum esse de bono non absolute, sed comparate ad aliorum hominum actiones; quod tamen coram Deo, qui solus absolute bo-

nus sit, bonum appellari non mereatur etc. Quomodo haec talia scribere potuisset Origenes, si lectionem Matthaei, quae disputationis materiam praebebat, ex suo ingenio depromsisset? Quam quaeso ob caussam Marci ac Lucae Evangelia intacta reliquit, si Matthaei textum contra omnes codices, rationibus ductus nescio quibus, mutavit, et ad alios sensus detorsit? Ego vero lectionis varietatem Origene antiquiorem esse contendo. A parte lectionis receptae stant Syrus interpres vetustissimus, Arabes, Chrysostomus, Euthym. Hilar. et codices graeci plurimi. Alteram vero lectionem Origenem in suis codicibus invenisse ostendimus, eamque confirmant vers. Copt. et Arm. margo Syrae post. Vulg. Vercellensis antiquissimae latinae translationis codex, Cyrillus alicubi, Euseb. Dionys. areop. etc. atque codices BDL, 1. 22. Aethiops vero lectionem exhibet ex utraque compositam: *quid me interrogas de bono? non est bonus nisi unus Deus;* quam profecto ab Origene non accepit. Caeterum assentior quidem Wetstenio, nihil nos *cogere*, ut lectionem Origenianam alteri praeferamus, h. e. non posse invictis argumentis demonstrari, Matthaeum sic scripsisse; attamen non sine omni specie Erasmus, Grotius, Millius atque Bengelius hanc lectionem altera probabiliorem esse iudicarunt. Scimus enim, saepissime ex aliis Evangeliis in aliud phrases olim fuisse translatas. Coniectura etiam Wetstenii de origine lectionis Origenianae nihili est. Nam si quis ideo hanc lectionem finxisset, quod convenientius esse videretur, respondere ad quaestionem ipsam, τι ἀγαθον ποιησω;

quam ad honoris titulum; διδασκαλε ἀγαθε: iugulasset, aut mutasset etiam εἱς ἐστιν ἀγαθος, quod facilius ad allocutionem ἀγαθε referebatur, quam ad interrogationem, τι ἀγαθον ποιησω. Est vero notatu dignum, ἀγαθε abesse a codice Origeniano et a D. * L. 1. Evang. 5. Hilar. codd. Latinis et Aeth. Atque hinc forte praesidium afferri potest lectioni receptae. Si enim casu e libro quodam excidit illud ἀγαθε (quod contingere facile poterat ante τι ἀγαθον) manifesta est ratio, cur τι με λεγεις ἀγαθον mutatum sit. Sin vero recte abest, (ut statuere debent lectionis Origenianae defensores, ob testimoniorum parem fere auctoritatem; codices enim B. et 22. quum accurate collati non sint, in censum non veniunt;) mirum est, Matthaeum scripsisse εἱς ἐστιν ἀγαθος, quod, ut e caeteris Evangelistis constat, ad illud ἀγαθε spectat. Genuinum igitur videtur το· ἀγαθε: quo concesso, lectio recepta, τι με λεγεις ἀγαθον; mutanda non est.

Matth. 19, 29. coll. Marc. 10, 29. 30. et Luc. 18, 29. Non solum in Comment. in Matth. nullam facit της γυναικος mentionem, licet antecedentia et consequentia aliquoties enumeret; verum etiam in Adhort. ad Martyr. §. 16. disertis verbis *uxorem* in isto catalogo rerum propter Christum relinquendarum, in resurrectione vero centuplicato restituendarum, recenseri negat; atque ea in re τὸ της γραφης σεμνον admiratur. In Matthaei quidem et Marci Evangeliis, codices quidam omittunt hoc vocabulum, sed in Lucae textu omnes magno consensu in retinendo eo conspirant. Dubitari non potest, dedita opera a sacris libris

erasum esse τα· γυναικας, ut scilicet Christianorum adversariis calumniandi ansa eriperetur, quam, ut Iuliani exemplo discimus, quod e Theophylacto Grotius ad Marc. 10, 29. affert, lubentissime arripiebant. Attamen non erat, cur Wetstenius ablati vocabuli reum ageret Origenem. Codice enim nonnullis in locis, quae christianae caussae obesse videbantur, interpolata usum eum esse, aliunde etiam constat [26]. Caeterum ad Matthaei textum proprie spectant, quae Origenes locis indicatis tradit, verbis Marci [27]) et Lucae aut non succurrentibus, aut dissimulatis. A Matthaei vero textu abest γυναικα tum in codice 1. vetustissimis lectionibus referto, tum etiam in Cantabrigiensi libro. Notatu etiam dignum est Origenem loco trium vocabulorum: πατερα, μητερα, γυναικα, habere γονεις [28]), Cantabrigiensem vero μητερα. Hic igitur lectionem hanc mutuatus non est ab illo.

---

26) V. c. libro 6. c. Cels. §. 36. Iesum in Evangeliis ab ecclesia receptis fabrum dici negat. Id quod inficias ire non potuisset, si casto Marci exemplari usus esset. Ibi enim c. 6, 3. manifeste ὁ τεκτων appellatur ab incolis urbis Nazareth. Nam codices *10 (Regius 91. olim 2865 a) 13, 33. 69. qui assentientibus latinis quibusdam codicibus, aethiopico ac arabicis interpretibus, ὁ του τεκτονος ὑιος habent, procul dubio h. l. interpolati sunt.

27) In Marco etiam γυναικα abest a codd. D. 1. 66. Vulg. Arm. Copt.

28) Similiter Irenaei interpres libr. 3. c. 33. γυναικα omittit, et loco πατερα et μητερα habet *parentes*. Incertum tamen est, e quonam Evangelista locum excitet.

Matth. 27, 9. Pro Ἱερεμίου legunt Ζαχαρίου cod. 22. et Syr. post. in margine. Codex vero 33. et Syrus interpres nullum omnino prophetae nomen habent. Origenes hom. 35. suspicatur, aut Ieremiam positum esse pro Zacharia, aut esse aliquam secretam, h. e. apocrypham, scripturam. Eusebius etiam, Hieronymus atque Augustinus, qui in quibusdam codicibus neutrum nomen exstare narrat, de lectione huius loci disputant. Augustinus praeterea de consensu Evangel. 3, 7. *qui diligentius*, inquit, *in graecis exemplaribus evangelium considerarunt, in antiquioribus graecis* (Origenis? ad haec sane provocare solemne erat,) Ἱερεμίου *se perhibent invenisse.* Origenem in suo codice nihil hic mutasse, vel ex Eusebio constat, (Demonstr. 10, 4.) qui libros Ζαχαρίου habentes noverat nullos.

Ioh. 1, 28. Legendum esse censebat Origenes: ἐν Βηθαβαρᾶ, quoniam sic rem ipsam ferre opinabatur, licet σχεδὸν ἐν πᾶσι (ergo *non in omnibus*) ἀντιγράφοις exstaret, ἐν Βηθανίᾳ. Comment. in loc. Negari quidem non potest, recepisse Origenem hanc lectionem in ipsum verborum contextum: sed satis clarum est, haustam eam esse e codice tum exstante; argumenta vero, e re ipsa desumta, adposita tantum esse, ad confirmandam hanc paucorum librorum lectionem; ut rationum pondere compensaretur, quod testimoniorum numero deesse videbatur. Qui enim illud σχεδὸν callide ad avertendam audaciae invidiam additum esse putant, iusto iniquiores sunt. Alibi sane, ubi coniecturas suas proponit Origenes, artificiosa tali cir-

cumlocutione non utitur, neque codicum dissensum dissimulat. Praeterea fidem eius quodammodo vindicat Aethiops, interpres vetustissimus, qui, teste Cel. Bodio, in Pseudocritica Millio Bengeliana, duas lectiones hoc loco (ut et alibi non raro) coniunxit, scripsitque: *in Bethania in Betharaba.* Aethiopem lectionem suam non hausisse e codice ab Origene, si diis placet, interpolato, inde constat, quod non *Bethabara* scripsit, sed *Betharaba.* Origenem vero *Bethabara* legisse, licet iam in libris quibusdam manuscriptis commentariorum exstet *βηθαρα*, colligimus ex etymo vocabuli, quod ex Adamantii sententia, *οἶκον κατασκευης* significat, compositum scilicet ex בירת et ברא, quod posterius verbum, ut scite observavit Huetius, *οἱ ό* bis reddiderunt, *κατασκὲυαζειν.* Ac ne quis forte suspicetur, Origenis *κατασκευης* scribentis menti obversatum fuisse hebraicum ארב quod *τοις ό* aliquoties est *ἐνεδρα* et *ὁπλα*; nam de bellico etiam apparatu et machinationibus graeci utuntur vocabulo *κατασκὲυαζειν*: observandum est, ad viam Christo a Iohanne praeparatam vocabulum anagogice trahi ab Adamantio. Caeterum libri manuscripti, qui cum Origènianis maxime consentire solent, (C. a prima manu, et ut ex Wetstenii silentio coniicimus, 1. 13. 33. 53. 69. aliique) hic quoque *βηθαβαρα* legunt. Nos eandem lectionem in quatuor codicibus deprehendimus, nimirum Parisino S. Genovefae, scripto ϛφϟβ. i. e. A. C. 1284. et Harleianis, qui nunc in Museo Britannico Londini asservantur, tribus. Scilicet cod. 1810, ex emendatione (qui liber

Sec. XI. scriptus est) cod. 5540. Seculi, ut videtur, XIII. in quo tamen secundis curis βηθανια scriptum est; et cod. 5567. eleganti manu circa Sec. XI. exarato [29]).

1 Cor. 10, 28. ἱεροθυτον legitur in cod. A. et H. pro εἰδωλοθυτον. Adamantium interpolationis auctorem non esse, sed e margine libri Origeniani aut Pamphiliani ἱεροθυτον in codicem H. irrepsisse, supra ostendimus, §. 7.

1 Cor. 15, 51. παντες μεν κοιμηθησομεθα, οὐ παντες δε ἀλλαγησομεθα. Sic cod. C. *17. (Wetstenius paulo aliter in libro hoc legi tradit) et sic latine hic locus excitatur tract. 30. in Matth. (cap. 24, 31.) §. 52. Sed dubia est interpretis fides, praesertim cum graece c. Cels. L. 5. §. 17. (ut in editis ac vers. Syr. et Arabicis) exstet: οὐ παντες κοιμηθησομεθα, παντες δε αλλαγησομεθα [30]), et apud Hieronymum (epist.

---

29) Cod. Harl. 5567. ab eadem manu subscriptionem fini Iohannis adpositam habet satis mirandam hanc: το παρον ἐγραφη δια χειρος ἐμου θεοδοσιου του μεγαλου βασιλεως. ἐν ἐτει ἀπ. . . .

30) Wetstenius fallit lectores, hunc libri quinti contra Celsum locum (edit. Hoesch. p. 248. Wetstenius laudavit p. 240.) iis annumerans, qui lectionem κοιμηθησομεθα οὐ confirment. Alter vero eiusdem polemici operis locus (Wetstenio p. 100. mihi p. 103. edit. Hoesch.) qui libro 2. §. 65. exstat, ad caussam, quae agitur, plane non pertinet. Etenim oraculum, de cuius lectione disceptatur, ibi non recitatur, sed ea tantum Pauli verba, quae illud sequuntur. Neque Pamphili Apologia Origenem κοιμηθησομεθα οὐ scri-

ad Miner. et Alex. edit. Francof. 1684. Tom, 3. pag. 127.) ex Origenis Comment. in priorem ad Thessalonicenses, eodem modo locus bis excitetur. His consentienter legimus quoque: *omnes autem immutabimur*, π. ἀρχ. L. 2. §. 10. edit. Ruaeanae, in qua vera haec lectio e codicibus restituta est. Exstitit igitur lectio hodie recepta in exemplari Origenis, eaque in allegationibus suis vulgo usus est. E Didymo tamen, *non pedibus sed verbis in Origenis transeunte sententiam*, ut loquitur Hieronymus l. c. colligi posse videtur, alicubi alteram lectionem receptae praetulisse Nostrum. Utrum vero codicum quorundam auctoritate, an exegeticis tantum rationibus, vulgarem lectionem impugnaverit, aeque incertum est ac quaestio altera haec: utrum omnium primus eam sollicitaverit. Quare neque certo definiri potest, unde librarii nonnulli graeci et interpretes Aeth. ac Arm. illud οὐκ ἀλλαγησόμεθα hauserint; nec contra Origenis fidem quicquam ex hoc loco effici potest.

§. X. Ex exemplis hactenus allatis apparere arbitror, Origenem criminis, textus sacri ex ingenio mutati, saepissime falso accusari. Attamen ne cupiditate fidem ipsius defendendi abrepti, veritatis limites transilire, atque rem praeter modum augere existimemur: Wetstenio nonnihil concedere iuvabit. Fate-

---

psisse narrat. Nam profertur tantum, p. 40. edit. de la Rue, e libro 28. Commentar. in Ies. locus, qui sic incipit: Melius est dicere, quod omnes resurgemus (tam pii quam impii) etc. Sed a Cor. 15, 51. non excitatur.

mur ergo unum restare locum, scilicet Matth. 8, 28. coll. Marc. 5, 1. et Luc. 8, 26. 37. quo Origenes lectionem genuinam primus tentasse videatur. Profitetur tomo 6. in Ioh. §. 24. hic in codicibus haberi γερασηνων, (atque sic ubique legit D. et Vulg.) in paucis tamen exemplaribus legi γαδαρηνων. Utramque lectionem geographicis rationibus impugnat, et aliam, scilicet γεργεσηνων, substituendam esse edicit. Dabo, ut paucis rem expediam, Origenem h. l. intulisse coniecturam a se excogitatam in codicum suorum contextum [31]; saltim in Matthaeum. Nam in Marco et Luca a textu mutando ipsum abstinuisse, persuasum mihi est. Si enim in caeteris Evangelistis eundem mutationis modum servasset, quem in Matthaeo adhibuit, nullo modo ab iis, qui Origenem huius lectio-

---

31) Damus hoc brevitatis studio, et quia alibi etiam (tomo 10. in Ioh. §. 10.) lectionem γεργεσηνων tanquam indubie veram poni videmus, τα γεργεσα, ἐνθα παρεκαλεσαν αὐτον μεταβηναι ἐκ των ὁριων αὐτων. (ad Matthaeum hic respicit). οἱ των χοιρων πολιται, ἑρμηνευεται παροικια ἐκβεβληκοτων. Sed extra omnem dubitationem res posita non est. Eusebius, qui Origenianum textum sequitur, ut ex innumeris exemplis planissime cernitur, in Matthaeo, testibus Millio et Bengelio, legit γαδαρηνων. Etiam codex C. constans alias Origenis comes, γαδαρηνων h. l. habet. Sed nolo dubitandi caussas dicendo amplificare. Hoc addo: si codex C. hoc loco γαδαρηνων ex Origene hausisse negatur, concedi etiam debet, 1 Cor. 15, 51. παντες μεν κοιμηθησομεθα, aliunde quam ex Origenis exemplari in librum hunc irrepsisse, qui in Evangeliis pressius Adamantii vestigiis inhaeret, quam in epistolis.

nis auctorem statuunt, explicari posset, cur το γεργεσηνων tantum non omnes Matthaei codices occupaverit, in Marci vero et Lucae exemplaria non nisi paucissima irrepserit [32]). Marcum et Lucam forte in margine tantum emendandos esse iudicavit. Quicquid sit, peccasse h. l. Origenem concedimus; sed ita peccavit, ut excusationis veniam ab aequis arbitris facile impetrare debeat. In corrigendis enim propriis hominum locorumque nominibus, paullo plus quam in aliis rebus dandum est criticis, quoniam librarii in hoc genere frequentius, quam in ullo alio labi solent; quod vel e solo tertio Lucae capite videre est. Ipse Origenes, hoc ipso loco, quo γεργεσηνων defendit, de hac scribarum sive negligentia sive audacia conqueritur [33]). Hoc posito, omnia iam ad Origenem excusan-

---

32) In Marco codd. L. 1. 28. 31. 33. 38. et Evangeliaria sex; quibus addimus Marshianum 24. Harlejanum 5567. Regium Paris. 91. olim numero 2865 a. insignitum, qui nisi egregie fallimur, is ipse est, cui Wetstenius **decimum* locum in suo catalogo assignavit. Codex etiam *50. in margine adscriptum habet illum Origenis locum, quo γεργεσηνων legere iubemur. In Luca lectionem Origenianam exstare tradit Wetstenius, versu quidem 26. in codd. L. 1. 33. commate vero 37. in codd. C. L. 1. 13. 69. quibus Marsh. 24. adiungimus. Codices 13 et 69. commate 37. legere γεργεσηνων, versu vero 28 consentire cum edito textu, iure aliquis miretur. Codicis L. folium, quod comma 28. continebat, excidit. Versiones vero Aeth. Copt. Arm. et arabicae ubique habent γεργεσηνων.

33) Το μεντοιγε ἡμαρτησθαι ἐν τοις ΕΛΛΗΝΙΚΟΙΣ ἀντιγραφοις τα περι των ὀνοματων πολλαχου, και ἀπο τουτων

dum conspirare videntur. Primo, libri quos consuluerat, a se invicem dissidebant, aliis γεϱασηνων, aliis γαδαϱηνων exhibentibus, quae diversitas non poterat non

---

(scilicet alia iam exempla affert, praeter illud, de quo in antecedentibus egerat, e Ioh. 1, 28. desumtum) ἀν της πεισθειη. Εν τοις εὐαγγελιοις ἡ περι τους χοιρους — οἰκονομια ἀναγεγραπται γεγονεναι ἐν τῃ χωρα των γερασηνων. — Το δ' ὁμοιον περι τα ὀνοματα σφαλμα πολλαχου του νομου και των προφητων ἐστιν ἰδειν, ὡς ἠκριβωσαμεν ἀπο ἑβραιων μαθοντες, και τοις ἀντιγραφοις αὐτων τα ἡμετερα συγκριναντες. Iam sequuntur exempla aliquot e V. T. — Τῳ Ιουδα παρ' ἡμιν μεν ὁ δευτερος Αυναν εἰναι λεγεται, παρα δε ἑβραιοις Ωναν ἐστι κ. λ. Recte etiam observat Origenes, ea inprimis loca suspecta esse, ubi plura nomina recensentur v. c. in libro Iosuae. — Diligentius haec exscripsimus, ut eo *facilius intelligeretur*, quaenam fuerint ista ἀντιγραφα ἑλληνικα, quorum mentionem facit initio loci excitati. Nempe Huetius atque Benedictini verba: ἐν τοις εὐαγγελιοις, quae novam periodum incipiunt, antecedentibus iungentes, sensum reddiderant impeditum, atque ansam praebuerant suspicioni, ἑλληνικα ἀντιγραφα unice referri ad Evangelia, quasi alia Evangeliorum exemplaria, praeter ἑλληνικα, ad manus habuisset Origenes. Si quid video, respexit Adamantius simul ad exemplaria graeca V. T. nec ἑλληνικα differunt ab iis, quae in sequentibus τα ἡμετερα, τα παρ' ἡμιν, nominantur, atque *hebraicis* opponuntur. Scitè vero, ubi sententiam dicit generatim, quam postea exemplis tam ex Evangeliis quam e V. T. petitis illustrat, utitur vocabulo ἑλληνικα, ut scilicet caussa appareat, ob quam nomina propria in Novo etiam Testamento corrumpi facile potuerint. Librarios *graecos* in scribendis nominibus *hebraicis* ad lapsus esse pronos, nemo non intelligit. Hoc vero probandum sibi sumserat Origenes. Locus huic similis eumque egregie

corruptionis suspicionem excitare. Deinde, persuasum erat Origeni, neutram lectionem veram esse *posse;* quia utraque cum geographicis rationibus pugnare videbatur. Denique facillimus erat lapsus a γεργεσηνων ad γερασηνων, quae lectio tum temporis plerorumque codicum erat; emendatio igitur a vestigiis vulgaris lectionis non multum discrepabat. Quae cum ita sint, nimis suspiciosi sunt, qui ex huiusmodi exemplis colligere audent, saepius Origenem textum ad coniecturas suas mutasse, et mutationes eiusmodi non paucas, de quibus nunc constare nobis non possit, cum commentariorum magna pars interciderit, a librariis in codices graecos, atque Hieronymo in versionem latinam receptas esse.

§. XI. Sed de hac accusationis Wetstenianae parte, quae ad librarios pertinet, explicatius disserendum est. Fateor, in hac me esse sententia, longe maximam partem varietatis lectionum, eius certe, quae alicuius ad sensum aut ad rem grammaticam momenti esse videtur, si primam originem respicias, nimiae potius sedulitati quorundam hominum deberi, quam scribarum hallucinationibus. Negligentiam cernimus partim in omissionibus, v. c. ob ὁμοιοτελευτον, quas tamen qui festinationi librariorum tribuere vellet om-

---

illustrans exstat Comment. in Matth. 21, 9. ubi verba ὡσαννα τῳ υἱῳ δαβιδ minus accurate scripta esse contendens, δοκει μοι, inquit, ὑπο ΕΛΛΗΝΩΝ συνεχως γραφομενα ΤΑ ΕΥΑΓΓΕΛΙΑ, μη εἰδοτων την διαλεκτον (*hebraicam*) συγκεχυσθαι ἐν τοις κατα τον τοπον ἐχουσι ταυτα ἀπο των ψαλμων.

nes, longissime a veritate deflecteret; partim in permutatione litterarum similium et sonorum affinium, ac falsa compendiorum notarumque interpretatione, ut et in permutatione vocabulorum ac phrasium idem fere significantium e gr. λεγειν et ειπειν, κυριος et Ιησους sive Χριστος [34]). Hoc aberrationum genus, nec ad caussam nostram pertinet; nam omnes variarum lectionum caussas enarrare non est instituti nostri: nec peritos criticos multum exercere potest [35]). Alterum genus, in quo manifeste se prodit consilium textum pleniorem, elegantiorem atque numerosiorem reddendi, intelligendique difficultatem minuendi, complectitur primo additiones tantum non omnes, tam liturgicas et exegeticas, quam historicas, *sive* e locis de re eadem aut simili agentibus desumtas, *sive* e libris apocryphis aliisque scriptionibus ecclesiasticis repetitas, sive e traditione derivatas [36]). Porro immu-

---

34) Vid. Bengelii introduct. in crisin N. T. sive Apparatus critici P. I. §. 14. et C. B. Michaelis tract. de Var. lect. N. T. §. 4. 5. 6.

35) v. c. 1 Cor. 13, 3. pro καυθησωμαι A et * 17 habent καυχησωμαι, quod specie sua minus attentum fallere quidem potest; id quod Bezae contigit; sed accuratius examinanti orationis συναφειαν probare se non poterit.

36) *Liturgicae* additiones in multis codicibus exstant Matth. 13, 23. et Luc. 12, 15. 21. et cap. 21, 4. ὁ ἐχων ὠτα κ. τ. λ. ac Luc. 14, 24. πολλοι γαρ εισι κλητοι κ. τ. λ. Doxologia Matth. 6, 13. orationi dominicae ex officio ecclesiastico apposita, graecos codices omnes, praeter D. 1. 17. et cod. Marsh. 24. hodie occupat, Patribus vero ante Chryso-

rationes constructionum earum, quae sermonem reddere poterant ambiguum, et σολοικισμου ac κακοφω-

---

atomum et auctorem constiti apost. ignota fuit. Etiam apud Lucam cap. 11, 2. 4. aliquot formulis aucta est oratio haec. Origenes genuinam h. e. breviorem lectionem sequitur in utroque Evangelio. *Exegeticae* additiones satis frequentes occurrunt sensui declarando destinatae. E. gr. Matth. 15, 31. pro κωφους λαλουντας legunt nonnulli κωφους ἀκουοντας, ἀλαλους λαλουντας. cap. 16. 3. ad δυνασθε alii addiderunt δοκιμαζειν, alii γνωναι. Marc. 1, 16. ad αὐτου additur σιμωνος in codicibus permultis etiam *17 et Harlej. 5567. v. 21. Codices CL. 69. Evang. 18. 19. Vers. Syr. Copt. et Origenes omittunt εἰςελθων, quod, ad illustrandam phrasin διδασκειν εἰς την συναγωγην, alii numero plures addiderunt. v. 34. τα δαιμονια ᾔδεισαν αὐτον † Χριστον εἰναι. *17. aliique. Cap. 5, 15. editi habent τον ἐσχηκοτα τον λεγεωνα, quod rectius abest a D. *17 a prima manu 27. Vulg. His simillima sunt additamenta *grammatica*, ad supplendas ellipses, syllepses etc. adiecta v. c. Matth. 10. 42. ὑδατος post. ψυχρου. Matth. 28, 15. ἡμερας post της σημερον. Passim occurrunt etiam additiones quasi *theologicae*, dogmatis cuiusdam gratia textui illatae. e. c. Act. 2, 24. pro λυσας τας ὠδινας του θανατου cod. E. habet λυσας δι' αὐτου τας ὠδ. τ. θ. Spectat additamentum hoc, nisi quid me fallit, ad vetustam illam hypothesin de diabolo Christi morte decepto, portisque inferni effractis, ac vinculis captivorum solutis. Cap. 7, 31. ὠφθη αὐτῳ — ἀγγελος κυριου ἐν πυρι φλογος βατου — προςερχομενου δε αὐτου — ἐγενετο φωνη ΕΚ ΤΟΥ ΟΥΡΑΝΟΥ ΛΕΓΟΥΣΑ (sic cod. E. pro κυριου) προς αὐτον· ἐγω ὁ θεος κ. τ. λ. Nempe Patrum antiquiorum communior sententia fuit, filium Dei patriarchis in V. T. apparuisse; Augustinus autem angelis creatis apparitiones istas tribuendas esse contendit. Ne igitur ἀγγελος κυριου creatus dixisse videatur: ἐγω ὁ θεος, vocem hanc

νιας speciem habebant [37]). Deinde glossarum ingentem numerum, quae vel in locum genuinae lectio-

---

coelitus delapsam esse narrat codex. Cum vero cod. E. saepissime, etiam in lectionibus singularibus, conspiret cum Augustini allegatis: ad indagandam libri huius originem atque aetatem haec forte viam monstrare possunt. Sed haec obiter — *Historica* additamenta occurrunt Luc. 3, 19. Φιλιππου, quod sine dubio delendum est. Cap. 11, 54. nomen regionis, σαμφουρειν in D. Act. 19, 19. Paulus in schola Tyranni docuit quotidie απο ωρας πεμπτης εως δεκατης. Unus codex D. vel in solis Apostolorum Actis sexcenta exempla suppeditat. *E locis parallelis* innumerae interpolationes ortae sunt. v. c. Marc. 6, 11. αμην λεγω ὑμιν usque ad εκεινη, e Matth. 10, 15. aut Luc. 10, 12. desumtum, abest a CDL. * 17. 28. Lat. Copt. cap. 24, 41. δυο επι κλινης κ. τ. λ. D. * 13. 69. e Luca. Ex *apocryphis* libris desumta videntur additamenta quaedam Matth. 20, 28. Marc. 16, 4. Luc. 6, 5. E *traditione* forte fluxit lectio ογ. Luc. 10, 1. 17. pro ὀ. et Matth. 27, 17. ιησουν τον βαῤῥαβαν, ἡ ιησουν τον λεγ. χριστον, cuius lectionis Origenes iam mentionem fecit. Quemadmodum vero addendo textum faciliorem reddere saepissime olim conabantur, ita etiam nonnullae librorum sacrorum particulae consulto in codicibus quibusdam *resectae* sunt. v. c. Matth. 1, 25. αὐτης τον πρωτοτοκον deest in cod. 1 * 33. Copt. et latinis quibusdam libris. Vide etiam Wetstenium ad Matth. 16, 2. et Luc. 22, 43.

37) De Tatiano Eusebius H. E. libr. 4. cap. 29. narrat: του αποστολου φασι τολμησαι τινας αὐτον μεταφρασαι φωνας, ὡς επιδιορθουμενον αὐτων την της φρασεως συνταξιν. Plura in hanc rem testimonia collegit Wetstenius libell. crit. pag. 48. edit. Hal. Ioh. 8, 44. Origenes, assentientibus patribus multis et codicibus non paucis, legit εκ ΤΟΥ πατρος; atque ambiguitatem loci articulo augeri observat. Iam articulus

nis nonnihil obscuritatis habentis irrepserunt, vel una cum lectione primitiva in textu sacro sic exstant, ut eadem res duplici phrasi descripta bis legatur [38]);

---

a plerisque codicibus et editionibus abest. Marc. 11, 32. φοβούμεθα libri nonnulli habent pro ἐφοβουντο, quod antecedenti εἴπωμεν repugnare videbatur. Act. 26, 3. ad emolliendam constructionem minus usitatam addebatur ἐπιστάμενος. Huc etiam referri possunt *transpositiones* vocabulorum et phrasium eo consilio excogitatae, ut orationis membra aptius aut seiungantur, aut copulentur, et sententiae sive difficultas sive ambiguitas tollatur. v. c. Act. 13, 20. multum interest, utrum καὶ μετα ταυτά anteponatur verbis ὡς ἔτεσιν ύ και ν', an vero subnectatur. A. C. aliique faciliorem lectionem exhibent. Luc. 24, 39. B. * L. habent ἐγω εἰμι αὐτος, idem sum; qui fui. Marc. 3, 27. οὐδεις δυναται εἰς την οἰκιαν του ἰσχυρου εἰςελθων τα σκευη αὐτου διαρπασαι. Sic C. * L. quia vasa diripi nequeunt, nisi ab eo, qui domum ingressus iam est.

38) Matth. 15, 36. ἔξεςι etiam apud Orig. pro ἐςι καλον. Cap. 5, 45. pro υἱοι habet ὅμοιοι cod. Harlej. 5731. Cap. 8, 31. ἐπιτρεψον ἡμας. 1. * 33. Copt. Vulg. Aeth. Sax. Ar. pro quo in editis legitur ἐπιτρεψον ἡμιν ἀπελθειν Cap. 17, 20. pro ἀπιςια exstat ὀλιγοπιςια in cod. * 33. aliisque et apud Orig. Marc. 9, 49. pro πυρι ἁλισθησεται, alii ἐν πυρι δοκιμασθησεται. Cap. 10, 12. γυνη ἀπολυει τον ἀνδρα, alii γυνη ἐξερχεται ἀπο του ἀνδρος. Cap 12, 14. κηνσος, alii ἐπικεφαλαιον. Luc. 15, 16. γεμισαι την κοιλιαν, alii χορτασθηναι. cap. 21, 36. ἱνα καταξιωθητε ἐκφυγειν, alii ἱνα κατισχυσητε ἐκφυγειν. Interpretamentis, aliisque huius furfuris mutationibus, tum phrasibus obscurioribus lucem afferre, tum ἐναντιοφανειας atque difficultates, quae oriuntur e rebus quae traduntur ipsis, amovere volebant. — *Duplex lectio* coniuncta est Marci 4, 30. ἐν τινι παραβολη αὐτην θωμεν, παραβαλωμεν αὐτην?

Cum vero plerique καλλιγραφοι homines fuerint parum docti, ea quae scribebant saepe non intelligentes, [39]) longe a vero aberraret, qui tot mutationum, magna ex parte non spernendarum, hos esse auctores suspicaretur. Statuimus ergo, mutationes huius generis quam plurimas initio non nisi in margine locum habuisse, postea vero a librariis, scholia a textu et emendationibus correctorum discernere non valentibus, in textum fuisse admissas. Unde vero in marginem primum venerint, intellectu difficile non est. Scimus enim antiquissimis temporibus sacros libros potissimum in manibus doctorum atque clericorum fuisse. Atque a talibus praecipue viris καλλιγραφους exempla quae describerent petiisse, credibile est. Quodsi igitur illi silvam observationum historicarum, exegeticarum, criticarum, variarum lectionum, scholiorum e commentariis optimorum interpretum ductorum etc. in oram libri sui coniecerant: facile postea a scribis imperitis contextui nonnulla admisceri poterant, quae, praecipue si breviora erant, pars potius textus, quam scholion ipsis videbantur. Atque sic tandem fieri potuit, ut commentatorum con-

---

* 30, 69. cap. 7, 5. κοινοις χερσιν ανιπτοις. et in Cantabrigiensi codice saepe.

39) v. c. codex L. Matth. 10, 30. habet επριχι pro αἱ τριχες. cap. 12, 4. οὖς οὐ και ξω νην pro οὓς οὐκ ἔξον ἦν. cap. 15. 4. κακολογων pro κακολογῶν. Lectionarium Cromwell. 117. in biblioth. Bodlej. Hebr. 4, 15. pro ὁμοιοτητα exhibet ὁ ὤεστα. Scriptus est hic liber anno 1225 a Michaele quodam, qui in subscriptione χωρικου καλογραφου sese appellat.

iecturae atque glossemata cum verbis auctorum sacrorum confunderentur [40]). Quae cum ita sint, licet Origenem ipsum negemus librorum sacrorum textum (si forte ab uno aut altero loco, qui dubius est, discedas) ad coniecturas suas mutasse: nonnullas tamen codicum quorundam lectiones e commentariis ipsius manasse profitemur. Quam ob rem, quoties de vera loci cuiusdam lectione olim dubitatum fuisse constat, merito suspecta est fides paucorum codicum, eam lectionem iam exhibentium, quam quondam viri spectati, argumentis magis quam librorum vetustorum auctoritate, defendere conati sunt. Wetstenius quidem non dubitavit, si Origenis commentarios haberemus integros, longe plura deprehensum iri ad eius coniecturas immutata, quam nunc, cum maxima eorum pars interciderit, demonstrari possit. Verum nimis suspicionibus suis indulsit. Cum enim commentatores posteriores pleraque ex antiquioribus hauserint, et graeci Origenis, latini vero graecorum scrinia studiose compilaverint, vix quicquam notatu dignum ab Adamantio ad declarandum sensum locorum S. S.

---

40) Quam inepte librarii scholia in textum transtulerint, constat e codice Corsendoncensi, in quo 2 Cor. 8, 4. nota marginalis: ἐν πολλοις των αντιγραφων οὕτως εὕρηται, ipsis Apostoli verbis admista est. Simili modo, licet minus ridicule, saepe peccatum est. Quin fons nonnunquam indicari potest, unde glossema manaverit. e gr. Act. 19, 23. codices quidam habent ἴσως ὡς κιβωρια μικρα, quod e Chrysostomo desumtum est.

difficiliorum prolatum fuisse opinor, quod seriores sacri codicis interpretes in commentaria sua non retulerint. Hinc omnia fere, quae de vera lectione in commentariis Origenis, quae supersunt, traduntur, apud Eusebium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Victorem, aliosque repetita leguntur. Vide Wetstenii notas ad Matth. 4, 10. 6, 4. 8, 28. 27, 9. Joh. 1, 28. 1 Cor. 15, 51. Sed haec hactenus. Nunc age videamus, qua ratione in Patrum, et maxime Origenis, allegationibus, dignosci possint lectiones fideliter et accurate e codicibus depromtae, ab iis lectionum figmentis, quae, non e libris scriptis desumta, sed ex incuria aut festinatione excitantium nata, in numerum variantium sacri textus lectionum referri non debent.

§. XII. 1. Extra dubitationis aleam positum est, commentatores ea *loca, in quorum expositione versarentur*, ad codicum suorum fidem accurate excitasse. Quin librorum suorum lectiones fideliter repraesentasse putamus Patres in allegationibus omnibus, cuivis scriptionum generi adspersis, quae admissa aliqua lectionis mutatione, vel explicationi adiectae repugnarent, vel nihil facerent ad consilium excitantis. v. c. Matth. 13, 36. ad οἰκιαν additum fuisse αὐτου in codice Origeniano, liquido constat e commentariorum tomo 10. §. 1. Legitur αὐτου etiam in cod. 1. Evang. 13. 14. * 18. cod. Marsh. 24. Chrysost. Matth. 21, 12. ἱερον του Θεου exstitisse in codice, quo usus est Origenes, cum locum hunc enarraret comment. in Matth. T. 16. §. 20. enarratio ipsa dubitare non si-

nit; licet alibi omiserit του θεου, quod etiam abest a cod. *13. aliisque. Libro de oratione, §. 22. sic excitatur 1 Cor. 12, 3. — εἰ μη ἐν πνευματι ἁγιῳ, και οὐδεις ἐν πνευματι ἁγιῳ λαλων κ. τ. λ. Sed posteriori loco, θεου, non ἁγιῳ, scripsisse Origenem, lectionem vero ἁγιῳ e librariorum oscitantia natam esse, observatio Paulino oraculo adiecta docet: το αὐτο ὀνομαζων ἁγιον πνευμα, και πνευμα θεου. Rarissime quidem canon hic propositus fallit. Tenendum tamen est, in pericopis verbosioribus sacri textus, quas interpretationi praefixas videmus in scriptis Patrum exegeticis, non solum editores, verum etiam librarios ipsos in locum lectionis, quam interpres secutus erat, aliam e codicibus iunioribus desumtam, ipsis magis familiarem, non raro substituisse. E. gr. Initio tomi 32. Commentariorum Origenis in Iohannem, e capite Ioh. 13. commata 2—5. expositioni praemissa sunt, ibique v. 2. lectioni receptae consentienter sic recitatur: του διαβολου ἠδη βεβληκοτος εἰς την καρδιαν Ιουδα Σιμωνος του Ισκαριωτου. Sed in sequentibus p. 407. 409. 416 et 435. hunc locum quater allegat Origenes sic: του διαβ. ἠδη βεβλ. εἰς την καρδιαν, ἱνα παραδῳ αὐτον Ιουδας Σιμωνος Ισκαριωτης, quam lectionem, planiori alteri, nostro iudicio, praeferendam confirmant codices L. M. et Versiones Vulg. et Copt. Apertissime vero malam librariorum fidem detegit codex Commentariorum Regius, qui posteriorem hanc, vere Origenianam, lectionem retinuit, quam Huetius quidem secutus erat, Benedictini vero, in novissima Origenis editione, aliis co-

dicibus, priorem illam lectionem exhibentibus, postposuerunt. Eodem Tomo §. 5. versus 6—11. eiusdem capitis sic repraesentantur, ut v. 10. legatur: οὐκ ἐχει χρειαν εἰ μη τους ποδας νιψασθαι. Sed in tractatione subiecta, verba: εἰ μη τους ποδας constanter omittuntur, (p. 414. bis 418. 419.) nec in expositione commatis decimi, satis copiosa, attinguntur. Quin ad quaestionem, cur Iesus, licet dixerit: ὁ λελουμενος οὐκ ἐχει χρειαν νιψασθαι, αλλ' ἐστι καθαρος ὁλος, tamen pedes discipulorum laverit, μη χρειαν ἐχοντων νιψασθαι, respondet Origenes, omni habenti dari; et paucis interiectis pag. 418. addit, χρειαν ἐχειν dici de rebus ad sustentandam vitam plane necessariis; τα δε εἰς πλουτον και τρυφην συμβαλλομενα, ἐκ περιουσιας τοις ἁβροδιαιτοις περιγινεται, οὐχ ὡς χρειωδη — ἀλλ' ὡς περισσα — et quae sint ὁπερ την χρειαν. Το γαρ χαρισμα θεου ὑπερπαιει την χρειαν. Nullam igitur pedum lavandorum necessitatem agnovit; quare etiam verba, *nisi lavero te, non habes partem mecum*, huic opinioni repugnantia, tropologice interpretanda esse existimavit. conf. p. 406. Quis igitur sibi persuadeat, Origenem ante oculos tunc habuisse codicem, in quo verba, εἰ μη τους ποδας, exstarent? Caeterum, si a latino Evangeliorum codice vetustissimo Harleiano 1775. unciali charactere scripto, discedas, solus haec verba omisit Adamantius, neutiquam tamen probandus. Tomus 10. in Ioh. praefixam habet pericopam 14. commatum capitis 2. in qua v. 19. legitur ναον του θεου, postea vero plus quam decies ναον τουτον scribitur, nec ullum

occurrit verbulum in explicatione huius loci plures paginas occupante, quod vel levissimam movere queat suspicionem contra lectionem *ναον τουτον*, quam absque dubio Origenis codex exhibebat. Quid igitur? Num e memoria recitatos fuisse 14. illos versiculos dicemus? annon potius lectionem inauditam, cuius nemo unquam, quantum mihi constat, mentionem fecit, librarii oscitantiae tribuemus? Tomo 6. in Ioh. §. 15. enarrationi praemittuntur versiculi 26 et 27. capitis primi, ibique legitur: *αὐτος ἐστιν ὁ ὀπισω μου ἐρχόμενος*. Sed verba *αὐτος ἐστιν* omittuntur tribus aliis in locis huius Commentarii, et c. Cels. L. 2. §. 9. et lat. de Princ. I. 4. §. 30. ac Comm. in Rom. 10, 4. adstipulantibus codicibus. C. a prima manu, L. 1. versione copta, latinis codicibus et Cyrillo. Legitur quidem *αὐτος ἐστιν*, c. Cels. L. 5. §. 12. edit. de la Rue, sed suspecta est h. l. editoris fides. Nam in editione Hoeschelii p. 245. verba haec uncinis includuntur, et in latina interpretatione omittuntur. Manifeste igitur hoc etiam loco a libris nonnullis abfuerunt. Tamen lectionis varietatem non notarunt Benedictini.

§. XIII. II. Eadem ratio est *omnium pericoparum verbosiorum*, scriptis Patrum tam exegeticis, quam dogmaticis, polemicis etc. adspersarum. Quotus enim quisque est, qui sacrum codicem ita memoriae mandaverit, ut, libris non inspectis, 4. 6. aut plura commata recitare possit? Ac si de quibusdam scripturae oraculis, ob argumenti gravitatem praecipue notandis, concedi hoc forsitan posset, de caeteris tamen aliter

sentiendum est. Patres igitur, longiores sacri textus pericopas e codice, quem ante oculos positum habebant, transscripserunt. Saepissime vero librarii. e codicibus aliis iunioribus, quibus ipsi utebantur, hoc allegationum genus interpolarunt, atque lectiones admiscuerunt, auctoribus librorum, quos describebant, ignotas. e gr. Comment. in Ioh. T. 20. §. 31. Origenes laudavit Rom. 5, 12. 13. 14. atque commate 14, absque negante particula scripsit, ἐπι τους ἁμαρτησαντας: librarii, scripturae vitium suspicantes, μη perperam addiderunt. Negationem abfuisse a codice Origeniano, colligimus non tam e latina commentarii in ep. ad Rom. translatione, cuius fides dubia videri posset, quam e Comment. in Ioh. Tom 20. §. 33. ubi magnam partem quinti ad Romanos capitis insertam legimus. Opinatur Origenes, Iudaeos Ioh. 8, 52. Abrahamum atque prophetas mortuos esse affirmantes, non de communi, sed de spirituali morte locutos esse, ὡς και αὐτων ἐν τῳ χειρονι θανατῳ γεγενημενων ποτε. Scivisse enim Iudaeos, per unum hominem peccatum intrasse in mundum etc. ἐβλεπον δε και, ὁτι ἐβασιλευσεν ὁ θανατος ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΑΜΑΡΤΗΣΑΝΤΑΣ ἐπι τῳ ὁμοιωματι της παραβασεως ἀδαμ; και ἠν αὐτοις ὁ λογος (Ioh. 8.) περι του δια την ἁμαρτιαν θανατου εἰς παντας ἀνθρωπους διεληλυθοτος, ἐπι τῳ παντας ἡμαρτηκεναι. Addit deinceps, falsam fuisse istam Iudaeorum de Abrahamo persuasionem; neque enim hunc neque prophetas mortuos esse, utpote servantes τον λογον του υἱου του θεου: saltim isto tempore (Ioh. 8.) non amplius in morte eos fuisse. Quid

plura? Si Abraham et prophetae τον λογον servarunt, ἁμαρτησαντες dici nequeunt; hanc vero ipsam ob caussam mortui non fuerunt; mors enim regnat tantum ἐπι τους ἁμαρτησαντας. Universa haec Origenis ratio istud μη non admittit. Quin isto etiam loco §. 31. quo negationem in editionibus commentariorum additam legimus, consilium, quo affertur effatum Paulinum, atque interpretatio, quae subiicitur, haud obscure docent, ignorasse Origenem particulam μη. Explicatur enim non de naturali morte, sed ea, quae opposita sit isti vitae, de qua Christus dicat: *ego sum vita*; de morte quadam πονηρα και χαλεπη. Quaenam, inquit, est mors, quae per peccatum intravit in mundum, nisi ultimus inimicus Christi abolendus? Quaenam mors illa est, quae in omnes homines pervasit, nisi haec quae regnavit ab Adamo usque ad Christum? Moses enim i. e. lex, locum habuit usque ad Christi adventum. Sed eandem hanc mortem, quae inde ab Adamo regnavit, non vident οἱ τον λογον του μονογενους τηρησαντες; (non vident οἱ μη ἁμαρτησαντες: ergo vident οἱ ἁμαρτησαντες: in hos regnat, non in illos,) simul atque quis λογον hunc perdidit, mortem vidit, ἐθεωρησεν etc. Non differt haec cogitationum series ab ea, quam modo indicabamus. Igitur hoc loco Origenes μη non magis scripsit, quam altero illo. Atque e latina versione Ferrarii, qui, ut ex Huetiana commentariorum editione discimus, μη latine non reddiderat, coniicere licet, non in omnes manuscriptos libros illatam fuis-

se negantem particulam [41]). En aliud exemplum. Tomo 10. in Ioh. §. 15. ubi magna pars capitis 11. Marci transscripta exstat, commate 1. ad Bethaniam librarii atque editores addiderunt Bethphagen, contra Origenis sententiam, qui Bethaniam solam nominasse testatur Marcum, tomo 16. in Matth. §. 17. Abest etiam Bethphage a cod. D. et vers. Vulgata. Caeterum, licet Patres, in allegationibus prolixioribus textum codicum suorum accurate exhibuisse dicamus, non negamus tamen, interdum consulto ab ipsis praetermissa esse, quae ad rem, quam tractabant, pertinere non videbantur. Sed facili negotio plerumque hoc omissionum genus iudicari potest. Idem valet de additamentis, declarandi sensus gratia adiectis.

41) Lectio haec, quam vere Origenianam esse demonstravimus, criticis plerisque hactenus mere *latina* visa est. Semlerus autem Vir S. V. graecam Cyrilli allegationem indicavit nuper in Paraphrasi ep. ad Rom. Nobis tandem contigit eandem deprehendere in graecis epistolarum Paulinarum codicibus manuscriptis duobus, in bibliotheca Harlejana asservatis; quorum alter, chartaceus, numero 5613 insignitus, et A. C. 1407 scriptus, acta apostolorum, epistolas atque apocalypsin complectitur; alter, numero 5588 notatus, itidem chartaceus, acta et epistolas apostolorum continens, ante 500 fere annos exaratus esse videtur. In posteriori hoc libro, quem usibus graeci cuiusdam coetus destinatum fuisse colligimus ex indiciis lectionum ecclesiasticarum, ubique in margine occurrentibus, legitur: καὶ ἐπὶ τοὺς ἁμαρτήσαντας, καὶ ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι κ. τ. λ. Ab hoc libro, cum codice epistolarum Wetsteniano 14. mirifice consentiente, alter ille (5613) innumeris locis ita differt, ut dubitari nequeat, quin e fontibus longe dissitis manaverint.

§. XIV. III. Eae allegationes pro accuratis habendae sunt, quae disertam aliquam provocationem ad codices, aut declarationem, *sic legi, non aliter*, adiunctam habent. Patres quidem latinos iuniores nonnullos, ad graecos codices provocantes, quos tamen graeca scivisse aut graecos libros inspexisse credibile vix est: hos igitur hausisse ista putamus e scriptis interpretum aliorum, graecam linguam callentium. Graeci etiam recentiores, qui vetustorum atque emendatissimorum exemplarium mentionem passim inferunt, non semper oculis ipsi usurparant libros, quos laudant, sed ex aliorum commentariis tales dari didicerant. Horum igitur testimonia de lectionibus locorum, ab antiquioribus criticis varie tentatorum, non sine cautione admittenda sunt. Nam si vel maxime nonnisi verum dicere voluissent, eorum tamen, quos duces sequebantur, aut negligentia aut malignitate in hunc errorem induci poterant, ut critici coniecturam pro lectione, e codice quodam fideliter prolata, haberent. Sed hoc efficere non debet, ut Patribus graecis vetustioribus, locorum scripturae sacrae, praecipue non controversorum, lectiones afferentibus, easque in libris quibusdam invenisse se testantibus, fidem, ipsis debitam, denegemus. Origenes igitur testis est locupletissimus, non solum quando plurium codicum lectiones dissidentes notat [42]), verum etiam quando scripturae loca ita laudat, ut disertis verbis, quid

42) Vide Wetstenium ad Matth. 9, 28. 16, 20. 28, 1. Luc. 9, 48. Ioh. 1, 4. 29. Hebr. 2, 9.

auctores sacri scripserint, quid non, doceat. e. gr. Tomo 6. in Ioh. §. 14. Lucam cap. 3, 9. των ὀχλων mentionem facientem, καρπον omisso καλον posuisse; Matthaeum vero, Pharisaeis et Sadducaeis haec dicta esse commemorantem, καλον addidisse tradit. Etsi codices, quos novimus, omnes καλον habent in Luca, ab Origeniano tamen certissime abfuit. Comment. in Ioh. 8, 38. neque πατρι μου neque πατρι ὑμων scriptum esse testatur, sed πατρος bis, absque pronomine, positum esse docet. Solus codex L. pronomen utrumque, C. autem et codex latinus Harlej. 1775. a prima manu μου tantum praetermittunt: in caeteris libris omnibus additum iam est interpretamentum, quod ad declarandum sensum Origeni ipsi necessarium videbatur.

§. XV. IV. Huic allegationum generi simile est illud, *quo loca scripturae parallela* simul excitantur, atque *inter se conferuntur*. Sic Tomo 16 in Matth. comparatur Matth. 21, 5. cum Zach. 9, 9. et loci utriusque dissonantiae diligenter exponuntur. Sed Commentariorum textus h. l. manifeste corruptus est in editis, sic habentibus: ἀντι του· και ἐπιβεβηκως ἐπι ὀνον και πωλον; ὑιον ὑποζυγιου, και πωλον νεον, ἠ, ὡς ἐν τισι, πωλον ὑποζυγιου: quod ne sensum quidem facit. Nec Huetii, qui tamen locum mendi suspectum esse fatetur, interpretatio placet. *Pro eo*, inquit, και ἐπιβ. ἐπ' ὀ. κ. π. ὑ. ὑποζυγιου, *quod scripsit Matthaeus, sic habetur Zachar.* 9. και πωλον νεον, *vel ut quidam scribunt*, πωλον ὑποζυγιου. Sed liquido constat e contextu, Zachariae non Matthaei verba primo loco ab Origene po-

sita fuisse; et Adamantius ipse Huetio contradicit, tomo 10. in Ioh. §. 17. eandem rem his verbis proponens: *ἀντι του, ἐπι ὑποζυγιον και πωλον νεον, ἀνεγραψε* (Matthaeus) *ἐπι ὀνον και πωλον ὑιον ὑποζυγιου.* Praeterea lectio: *πωλον ὑποζυγιου*, cuius mentio fit loco isto corrupto, nec e codice quodam *των ό*, ut vult Huetius, nec ex alia editione graeca, (quinque enim *ἐκδοσεις* h. l. accurate recensentur,) sed e libris quibusdam Matthaei profertur. Eadem hodienum exstat in cod. L. et vers. Arm. Quin Origenes etiam, tomo 10. in Ioh. §. 15. e codice *suo* verba *Matthaei* eodem modo recitat: *ἐπιβεβηκως ἐπι ὀνον και πωλον ὑποζυγιου*, Zachariam vero pluribus locis sic excitat: *ἐπιβ. ἐπι ὑποζυγιον και πωλον νεον.* Locum igitur illum, facem praeferente Origene ipso, sic, quoad sensum, restituimus: *ἀντι του· και ἐπιβεβηκως ἐπι ὑποζυγιον και πωλον νεον*, (quod Zachariae est,) *ἐγραψε* (*Ματθαιος*) *ἐπιβεβηκως ἐπι ὀνον και πωλον ὑιον ὑποζυγιου, ἠ, ὡς ἐν τισιν* (Matthaei exemplaribus,) *πωλον ὑποζυγιου.* Priorem lectionem, quae editiones N. T. occupavit, *ἐπι ὀνον και πωλον ὑιον ὑποζυγιου*, secutus est Origenes tom. 10. in Ioh. §. 17. Posteriorem, qua *ὑιον* praetermittitur, habet ibidem §. 15. eandemque, ut diximus, exhibet codex L. Addimus exemplum aliud. Tomo 6. in Ioh. §. 14. comparatur Marc. 1, 2. cum Mal 3, 1. Si Huetium atque Benedictinos audimus, verba *ἐμπροσθεν σου*, a Marco addita fuisse putavit Origenes. Verum corrupta quorundam codicum lectio fefellit editores aeque ac interpretem latinum, Ferrarium. Verba Origenis ex edi-

tione Bnaeorum adponimus. Ὅπερ δε ἐποιησεν ὁ Ιωαννης cap. 1, 23. ἐπιτεμνομενος ὁ παρεθετο ῥητον, Es. 40, 3. τουτο ἐπ' ἀλλης λεξεως ὁ Μαρκος και αὐτος ἐνεφηνεν. ὁ μεν γαρ προφητης φησιν· — τας τριβους του θεου ὑμων. ὁ δε Μαρκος — τας τριβους αὐτου. την δε ὁμοιαν ΕΠΙΤΟΜΗΝ πεποιηται και ἐπι του, — κατασκευασει την ὁδον σου ἐμπροσθεν σου. παρεθετο (lege Ὃ Τ παρεθετο, post σου excidit οὐ) γαρ το προκειμενον το· ἐμπροσθεν σου.) Emendationem a nobis propositam tuentur non solum codices commentariorum Bodlejanus et Barberinus, qui particulam negantem retinuerunt, sed etiam contextus verborum, negationem postulans. Si enim verba ἐμπροσθεν σου a Marco addita esse indicare voluisset Adamantius, ἐπιτομην eum h. l. fecisse nullo modo dicere potuisset. Imo totus in hoc est, ut ostendat, Evangelistas nonnunquam in compendium redegisse oracula prophetarum. Praeterea praef. comment. in Ioh. §. 14. p. 15. et tomo 6. §. 14. p. 126. A. eundem hunc Marci locum recitans, το· ἐμπροσθεν σου omittit; quod abest etiam a codicibus DL. 36. 102. colbertino quodam, vers. copt. syr. aeth. pers. polygl. libris latinis, Hieron. in Mal. 3, 1. et Irenaei interpr. libr. 3, 10. al. 11. Bene observarat Grabius in suis ad hunc Irenaei locum animadversionibus; verba illa in codice Orig. non exstitisse; sed locum istum commentariorum, de cuius lectione disputamus, interpretatione parum probabili sententiae suae nostraeque consentientem reddere conatus est. Scilicet verba: παρεθετο το προκειμενον το· ἐμπροσθεν σου, de Ma-

lachia intelligenda esse putavit, orationis συνάφεια manifeste repugnante. Caeterum non ignoro, tomo 6. in Ioh. §. 14. p. 125. E. edit. Benedict. addi τὸ· ἔμπροσθεν σου, sed Ruaei negligentia id irrepsisse nullus dubito [43]). Nam in editione Huetii omittitur, nec indicarunt Benedictini libros manuscriptos, ad quorum fidem textum Huetianum mutaverint. Neque Victoris Antiocheni me movet auctoritas. Hic quidem, *ut Marcus*, inquit, *compendii gratia duas prophetias conflavit in unam, ita, ut Origeni placet, loco illi Malachiae: ecce ego mitto angelum etc. illud: ante te vel ante faciem tuam adiecit* [44]). Sed hinc nihil efficitur, quam Victorem corrupto tomorum exemplari usum esse; id quod corruptionis antiquitatem, non vero lectionis bonitatem evincit. Semel tamen, nempe c. Cels. l. 2. §. 4. posuit Origenes ἔμπροσθεν σου. Sed tum vel alio codice, sive in textu sive in mar-

---

43) Qui tomum quartum operum Origenis curiosius tractarunt, non ignorabunt, Carolum Vincent. de la Rue, Caroli in adornanda editione Origenis successorem, iusto negligentiorem fuisse in recensendis locis e S. S. citatis. Nonnunquam, ut h. l. ex editis N. T. libris, allegationes, nescio quo casu, interpolatae sunt, nullis omnino indicatis manuscriptis codicibus, qui a lectione ab Huetio recepta recedere suaserint. Plerumque vero, ubi manuscripti commentariorum libri in allegationibus S. S. a se dissidebant, eum caeteris contra omnem rationem praetulit Carolus Vincentius, quem cum editione N. T. recepta consentire videret.

44) Vid. Biblioth. Max. Patrum Tom. IV. p. 379.

gine e V. T. interpolato, usus est, ut Millio atque Bengelio visum fuit; vel memoriter locum excitavit. Ibidem post εὐαγγελιον addidit etiam ἡμων, quod nemo facile in codice Origeniano extitisse dixerit.

§. XVI. Sicut allegationes e V. T. in Novo T. occurrentes conferre solet Origenes cum iis V. T. locis, unde petitae sunt: ita etiam diversas Evangelistarum de eadem re narrationes saepissime inter se comparat. Quod ubi factum esse videmus, dubitare non debemus, singulos textus, praesertim si verbosiores sint, accurate e codicibus esse transscriptos. Nam diligentia haec, qua plurium librorum loci, eandem rem tractantes, componuntur, festinationis suspicionem amovet; neque credibile est, quemquam sacras litteras ita memoria tenuisse, ut legenti aut excitanti unum Evangelistam caeterorum verba constanter ante oculos quasi versarentur. Origenes ergo (vide tom. 20. in Ioh. §. 33.) in suo codice Luc. 9, 27. habuit: ἑως ἀν ἰδωσι τον ὑιον του ἀνθρωπου ἐρχομενον ἐν τη δοξη αὑτου, quam lectionem hodie in solo Cantabrigiensi deprehendimus. Matthaei vero et Marci loca parallela editis nostris libris consentienter eum legisse, constat tum e tomo 20. in Ioh. l. c. tum e tom. 12. in Matth. §. 34, ubi locutiones, quibus tres Evangelistae usi sunt, sic coniunguntur: τον ἰδοντα τον ὑιον του ἀνθρωπου ἐρχομενον ἐν τη βασιλεια αὑτου, (e Matthaeo) και ἰδοντα αὑτον ἐν τη δοξη αὑτου, (e Luca) και ἰδοντα την βασιλειαν του θεου ἐληλυθειαν ἐν δυναμει, (e Marco). Solet enim Noster, ut obiter hoc moneamus, locorum parallelorum φρα-

σεις diversas ita interdum combinare, ut, quae cuique Evangelistae propria sit, non indicet. Item, e tom. 20. in Matth. §. 21, ubi trium Evangelistarum verba iuxta se posita habemus, liquet, Origenem Marc. 12, 26. legisse in suo codice: περι των νεκρων, οὐκ ἀνεγνωτε ὁτι ἐγειρονται, ἐν τῃ βιβλῳ μωσεως. ὡς εἰπεν ἐπι της βατου αὐτῳ ὁ Θεος, λεγων κ. τ. λ. atque hinc colligitur, tom. 2. §. 10. (οὐκ ἀνεγνωτε το ῥηθεν ἐπι της βατου, ἐγω κ. τ. λ.) et tom. 6, 2. (οὐκ ἀνεγν. το ῥ. ἐ. τ. β. ὑπο του Θεου, ἐγω κ. τ. λ.) locum illum non accurate sed memoriter, commixtis Matthaei et Marci verbis, recitari. Atque sic saepissime allegationes minus accuratae sive dubiae iudicari possunt ex aliis, quas observationes nostrae certas atque diligenter factas esse evincunt. En aliud exemplum. Tomo 10. in Ioh. §. 18. ubi narrationes quatuor Evangelistarum de iis, quos Iesus e templo eiecit, inter se conferuntur, omittitur Luc. 19, 45. ἐν αὐτῳ και τους ἀγοραζοντας, quod desideratur etiam §. 14 et 17, et in codicibus L. 1. quibusdam aliis, atque copta versione. Abfuit procul dubio a codice Origeniano. Omittitur quoque in latina homil. 38. in Luc. translatione. Sed hic ad πωλουντας additur τας περιστερας, adiecta etiam columbarum allegorica expositione. Potuit sane assumentum hoc exstare in codice eo, quo tum usus est Origenes; idem enim in versione armena, cum Adamantii allegationibus saepissime conspirante, occurrit: sed in eo libro, quem ante oculos positum habebat, cum commentarium in Iohannem conscriberet, neutiquam legebatur. Quae

vero l. c. tomi 10. in Ioh. de loco Ioh. 2, 15. traduntur, satis confusa sunt atque depravata. Nam §. 15. ubi Ioh. 2, 13—17. recitatur, commate 14 deest και προβατα, et v. 15. omittitur παντας. Cum vero allegorica ovium significatio §. 16. enarretur, atque in comparatione Evangelistarum, §. 18. instituta, παντας legatur: dubitari nequit, quin duplici omissione allegatio ista §. 15. corrupta sit. Praeterea §. 17. Origenes sive oculorum errore deceptus, sive memoriae lapsu abreptus, scribit: ἐν τῳ κατα Ιωαννην, ἐκβαλλει τους ἀγοραζοντας· ὁ δε Ματθαιος φησιν, ὁτι ἐξεβαλε παντας τους πωλουντας και ἀγοραζοντας. Perperam haec dicta sunt. Ioannes enim neque των πωλουντων, neque των ἀγοραζοντων mentionem fecit, sed scripsit simpliciter παντας ἐξεβαλε, testibus codicibus ac versionibus omnibus, adstipulante quoque, ut modo diximus, Origene ipso, §. 18. Ex hoc enim paragrapho, in quo 4 Evangelistarum verba inter se conferuntur, lectio vere Origeniana elici, caeteraque loca emendari debent.

§. XVII. V. Si oraculum aliquod *saepius eodem modo* excitatum legitur in scriptis Patris cuiusdam, allegationis fides in dubium vocanda non est. v. c. Marc. 1, 1. ter praetermisit Origenes verba: ὑιου του Θεου. Ioh. 11, 54. pro κακει διετριβε ter posuit και ἐκει ἐμεινε. cap. 13, 26. post βαψας οὐν (sive και βαψας) το ψωμιον quinquies addidit λαμβανει και. Sin vero alio atque alio modo eundem S. S. locum profert Origenes, ea lectio e codice, quo plerumque usus est, et qui nomen ab ipso nactus est, hausta, ideoque ve-

re Origeniana esse videtur, quae in allegationibus plerisque occurrit. e. gr. Matth. 5, 44. quater omittitur: των ἐπηρεαζοντων ὑμας, semel vero (c. Cels. L. 8. §. 35.) legitur, atque eius loco praetermittitur: και διωκοντων ὑμας. Cum lectio utraque apud alios quoque occurrat, probabile est, Origenem aliter in aliis libris legisse. Prior illa, Origeni usitatior, confirmatur auctoritate codicum 1. 11. 22. vers. copt. et aeth. et Patrum quorundam antiquissimorum, v. c. Athenagorae, Cypriani, (teste Coteleria in not. ad libr. 1. constit. apost.) auctoris dialogi c. Marcion. etc. Matth. 13. 26. ter legit φρασον, semel (tom. 13. in Ioh. §. 43) διασαφησον. Glossema, apud neminem recurrens, in codice Origeniano neutiquam exstitisse opinamur. Cap. 27, 4. pro ἀθωον, (quod semel tantum legitur tomo 32. in Ioh. §. 12.) ter posuit δικαιον, quam lectionem expresserunt quoque interpretes latini tract. in Matth. et Comment. in ep. ad Rom. 14, 10. Eandem habent codices DL. et vers. syr. et lat. A librario ἀθωον profectum esse arbitror Cum enim eodem loco, quo lectio haec occurrit, paucis tantum interiectis lineis altera (δικαιον), exstet, probabile non est, diversum interea codicem nactum fuisse Origenem. Sed in allegationibus saepe recurrentibus iudicandis, cautione quadam opus est. Nam breviores nonnullae scripturae sententiae tam familiares fuerunt Patribus, ut dubium omnino sit, utrum codicem, antequam in libros eas suos transferrent, unquam inspexerint, an vero memoriter eas semper recitaverint. Huius generis est illud: οὐδεις ἀγαθος, εἰ μη εἱς, ὁ

θεος, Matth. 19, 17. Marc. 10, 18. Luc. 18, 19. cui Origenes saepissime subiunxit: ὁ πατηρ. Sed in comment. in locum Matthaei glossema hoc neque ad Matthaeum, cuius textus recensetur, neque ad Marcum et Lucam, quorum verba afferuntur, adiectum est. Exstat in graeco codice nullo, neque in versionibus antiquis, si codices quosdam vetustae translationis latinae excipias. Ergo nec Origenes e libris scriptis habuit glossam, declarando sensui verborum scripturae destinatam, quam inde a primis Christianismi temporibus multi doctores atque interpretes ad verba Evangelistarum apponere consueverant; sed e traditione magistrorum eam accepit. Eadem apud Iustinum M. Clementem Alex. Ptolemaeum, aliosque occurrit. Sic etiam locum Ioh. 14, 18. quater excitavit Origenes hoc modo: ὁ πατηρ, ὁ πεμψας με, μειζων μου ἐστιν. Sed verba ὁ πεμψας με, quae alibi, quod sciam, nusquam reperiuntur, ad illustrandum dicti difficilioris sensum de suo adiecit. E crebra talium glossematum repetitione, codices olim fuisse, in quibus exstarent, colligi non potest.

§. XVIII. VI. Si allegationes *consonant libris graecis* vetustis hodie superstitibus, dubitari, caeteris paribus, nequit, quin codices olim etiam exstiterint, e quibus fideliter expressae sint. Idem valet de allegationibus cum aliorum Patrum citatis atque cum versionibus antiquis conspirantibus. Atque cum singuli fere Patres habeant certos quosdam codices antiquos, atque versiones quasdam, paene in cunctis lectionibus locorum N. T. sibi assentientes, eo maior est con-

sensus huius ad probandum vis, in locis singulis, quo frequentior est in aliis eorundem codicum et Patrum, earundemque versionum consonantia. Hinc, si Origenes locum aliquem eodem modo excitavit, quo exstat in codicibus CDKL. 1. 13. 17. 22. 28. 33. 69. 102. 106. et in versionibus copt. aeth. arm. syr. post. atque apud Clementem alex. Eusebium, Cyrillum etc. ridendum se praeberet, qui Origenem memoria lapsum esse contendere, aut eius in allegandis scripturae locis negligentiam variantis lectionis caussam praetexere vellet. In codice igitur Origeniano omittebatur Ioh. 1, 29. ὁ Ιωαννης. v. 44. ὁ Ἰησους. v. 52. ἀπ' ἀρτι. cap. 11, 41. οὑ ἠν ὁ τεθνηκως κειμενος. Addebatur cap. 2, 14. ὡς ante φραγελλιον. Marc. 11, 2. οὑπω. Legebatur Ioh. 8, 38. ἁ ἠκουσατε pro ὁ ἑωρακατε. cap. 13, 24. και λεγει αὐτῳ· εἰπε τις ἐστι pro πυθεσθαι τις ἀν εἰη. cap. 14, 30. in quibusdam codicibus exstabat εὑρισκει, Origenianus vero, κατ' ἐξοχην sic dictus, habebat οὐκ ἐχει. Utramque enim lectionem invenimus in allegationibus Adamantii; posteriorem tamen maior numerus eorum codicum exhibet, qui alias Origenianas lectiones sectantur.

§. XIX. Haec de allegationibus generatim, earumque diiudicandarum modo, dicta sunto; caetera, quae de hac re tradi solent, aut leviora sunt, aut a consilio nostro remotiora. Observarunt v. e. viri docti, maximam esse in re critica auctoritatem allegationum earum, quae in scriptis Patrum exegeticis occurrunt; minorem vero fructum incertioremque e libris dogmaticis atque polemicis ad criticum redire;

nullum fere e homiliis. Sed de omnibus scriptoribus ecclesiasticis hoc non aeque valet; alii enim alios in describendis S. S. locis diligentia atque ἀκριβείας studio superarunt. Origenem certe in usurpandis N. T. oraculis nemo probabit negligentiorem fuisse in libris de martyrio, de oratione, contra Celsum etc. quam fuit in exegeticis scriptis. Praeterea textus, quem tractat interpres, sedulo distinguendus est a testimoniis e S. S. petitis, varioque consilio prolatis. Certissime quidem constare nobis potest de lectione eorum locorum, in quorum enarratione versatur commentarii auctor; caetera vero scripturae loca, exegesi admixta, lectionibus, quas exhibent, praesidium afferunt neque certius neque firmius, eo, quo allegationes, in libris alius argumenti occurrentes, eas quas repraesentant lectiones tuentur. In homiliis autem ex tempore pronunciatis, nullam esse allegationum auctoritatem, nisi aliunde confirmentur, facile largimur. Quod praeterea praecipere solent viri docti, de distinguendis allegationibus, quae seriem orationis integram retinent, ab iis allusionibus, ut vocant, quibus aliquid phrasibus quidem scripturae, sed mutato constructionis verborumque ordine, describitur, aut sententiarum a scriptoribus sacris prolatarum epitome tantum exhibetur: id, licet iusto fundamento non destituatur, multam tamen, si ad usum res deducatur, circumspectionem requirit. Scriptores quidem ecclesiastici pressius codices suos sequi solent in allegationibus proprie sic dictis, quam in allusionibus, synonymarum phrasium permutatione, addidamentis

varii generis, inprimis vero omissionibus, saepissime interpolatis: sed effraenis librariorum atque editorum audacia in illas magis quam in has grassata est. Igitur ne has quidem penitus negligere debet criticus; praesertim si ita comparatae sint, ut lectione mutata scribentis consilio repugnarent. Si lectio, in allusione quadam occurrens, dubia sit, primum videndum est, utrum auctor alibi eandem repetat, nec ne; deinde consulendi sunt codices antiqui, cum allegationibus eius frequenter consentientes, quorum suffragia rem plerumque conficiunt, atque iudicium nostrum optime dirigunt, v. c. contra Cels. L. 1. §. 65. γυναικες τινες, inquit Origenes, ἐν αἱς ἡν και Σωσαννα, παρειχον ταις μαθηταις ἐκ των ὑπαρχοντων αὐταις τροφας. Igitur Luc. 8, 3. pro διηκονουν αὐτῳ, legit omnino διηκονουν αὐτοις, ut codices DK. 28. 69. et alii multi. Sed utrum Matth. 5. 22. εἰκη legerit, an vero omiserit, dubium fere est, licet de Princ. L. 3. c. 1. §. 6. εἰκη praetermittatur; codices enim qui a partibus Origenianis stare solent omnes vocabulum hoc habent. Tandem, negligenda non est criticorum quorundam utilissima observatio de ea locorum parallelorum confusione, qua nonnunquam, quae alterius Evangelistae sunt, a Patribus tribuuntur alteri. v. c. Origenes Tomo 6. in Ioh. §. 14. Marcum scripsisse tradit: εὐθυνατε την ὁδον κυριου, quod tamen Iohannis est. Ibidem ad verba: ἐξεπορευετο προς αὐτον πασα ἡ Ιουδαια χωρα κ. τ. λ. Lucam laudat, ubi Marcum laudare debuisset. Utrumque παροραμα Huetius iam notavit. Huic observationi aliam addi-

mus. Patres nonnunquam de codicum suorum lectionibus tam vage loquuntur, ut hariolando vix assequi possimus, ad quemnam Scripturae locum eorum disputatio pertineat. Luculentum exemplum e libro 1. c. Cels. § 62. proferemus. Postquam negasset Origenes, praeter Matthaeum quemquam publicanum fuisse in coetu apostolorum, addit: ἐστω δε και Λεβης τελωνης ἀκολουθησας τῳ Ἰησου. ἀλλ' οὐτι γε του ἀριθμου των ἀποστολων αὐτου ἠν, εἰ μη κατα τινα των ἀντιγραφων του κατα Μαρκον ἐυαγγελιου. Haec ab aliis ad Marci 2, 14. ab aliis vero ad cap. 3, 18. trahuntur. Posteriori loco apostolorum nomina recensentur; ibique loco Θαδδαιου Cantabrigiensis liber λεββαιον nominat. Qui cum Grotio, Millio, Moshemio, aliisque hunc Origenem respexisse, atque ἀντιγραφα, de quibus loquitur, codici D. similia fuisse putant, statuere debent, 1) λεβης sive λευις cap. 2, 14. et λεββαιος cap. 3, 18. (in codice D.) Origeni non esse nomina diversa; quod non facile probare poterunt iis, qui eius in indagandis nominum propriorum significationibus ἀκριβολογιαν perspectam habent. 2) Ignorasse Adamantium verba ista Matthaei, cap. 10, 3. λεββαιος ὁ ἐπικληθεις, quae in vers. vulg. copt. saxon. et apud Augustinum desiderantur; in graecis vero libris quos novimus omnibus, excepto uno codice * 17. Lebbaei nomen exstat. Nam si Matthaei testimonium de Lebbaei apostolatu cognitum habuisset, virum hunc non nisi in quibusdam Marci exemplaribus apostolis accenseri, scribere non potuisset. Quis vero Origenem, cuius diligen-

tem investigationem (ex hypothesi) non effugit singularis illa lectio Marci 3, 18. quis itaque hunc nescivisse credat, in nonnullis saltim, ne dicam plerisque, Matthaei codicibus, Lebbaei nomen in catalogo apostolorum exstare? Si vero Adamantii tempore tam rari fuere libri, qui nomen hoc haberent, quomodo in omnia, uno tantum excepto, Matthaei exemplaria, etiam in CDL. 1. 13. etc. irrepere id potuit? Nolo tamen ad stabiliendam sententiam huic oppositam praefatione comment. in ep. ad Rom. uti, in qua non solum docetur, Matthaei Lebbaeum, Marci Thaddaeum, et Lucae Iudam Iacobi hominem esse unum eundemque; verum etiam locus Matth. 10, 3. ita excitatur, ut non Lebbaei nomen, sed verba: ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος (quae absunt a cod. D.) omittantur. Nam haec praefationis pars Origenem auctorem non habet, sed manifeste a Rufino adiecta est; id quod Moshemium fugisse miror. Vid. ej. not. ad l. c. libr. c. Cels. Equidem locum Origenis supra laudatum referre malim, cum Wetstenio, ad Marc. 2, 14. ubi Christus λευϊν τον του ἀλφαιου, καθημενον ἐπι το τελωνιον, vocasse traditur. Scilicet codices D. 13. 69. pro λευϊν hic habent Ιακωβον, cuius lectionis Victor quoque Antiochenus meminit, perquam tamen absurde hunc Iacobum Alphaei ipsum Matthaeum portitorem esse contendens. Nempe Matthaeus in catalogo apostolorum bis se nominavit! Igitur Origenem sic interpretamur; „Apostolorum collegio unus tantum adscriptus fuit portitor, Matthaeus. Nam Levis, portitor ille, cuius vocationem Lucas atque (secundum

vulgares codices) Marcus describunt, apostolus non fuit. Sunt tamen codices nonnulli, (similes nostris D. 13. 69.) in quibus Marc. 2, 14. Iacobus in locum Levis substituatur; qua lectione admissa, cum nemo de Iacobi apostolatu dubitet, fatendum utique erit, duos portitores in apostolorum numerum adscitos fuisse." Quamvis autem lectio haec (Ιακωβου) Origene ipso antiquior sit, genuina tamen non est. Nulla sane fingi potest ratio probabilis, cur Lucas eundem hominem Levim nominaverit, cum eius vocationem cap. 5, 27. narraret; Iacobum vero, cum, paucis tantum interiectis, in recensione apostolorum cap. 6, 14. et iterum Act. 1, 13. mentionem eius faceret. Praeterea Iacobus Alphaei librariis notior erat, quam Levis Alphaei; quae res errorem peperisse videtur.

§. XX. Iam aditum nobis paravimus ad *fontes*, e quibus certa atque iusta lectionum Origenianarum notitia peti potest. *Principatum* inter eos tenent scripta Origenis quae hodienum graece supersunt, caute usurpata, tam exegetica, quam dogmatica, apologetica etc. e quibus plerumque certo perspici, nonnunquam vero probabili tantum ratione, quid Origenes in codice suo legerit, colligi posse demonstravimus. *Secundum* locum assignamus testimoniis auctorum fide dignorum, ad exemplaria Adamantii provocantium, atque lectiones Origenianas ex ipsius scriptis afferentium. v. c. e Hieronymo discimus, Matth. 24, 36. in codicibus Orig. et Pierii non exstitisse *οὐδε ὁ υἱος*. Nec obstat huic testimonio latina commentarii in h. l.

translatio, in qua *nec filius* additur atque copiose enarratur; nulla enim est eius auctoritas. Si quis tamen Origenis libros h. l. variasse dicere malit, facile assentientem me habebit. Exstat enim additamentum, e Marco desumtum, in codd. D. 13. 86. et apud Aeth. quos Origeniana vestigia premere scimus [45]. *Tertio* loco veniunt fragmenta catenis graecis inserta et Origeni attributa, quae a caeteris eius scriptis graece exstantibus sedulo distingui debent. Constat enim, huiusmodi opusculorum collectores in adponendis auctorum nominibus non raro hallucinatos fuisse, horumque errores librariorum oscitantia praeter modum auctos esse atque multiplicatos. Nisi igitur universus cogitandi modus et ipsum scribendi genus Origenem spiret, atque convenientia locorum Scripturae ibi excitatorum cum aliis allegationibus Origenianis, aut codicibus cum his consentientibus, eundem auctorem prodat, nulla talibus fragmentis concedi potest auctoritas. *Quarto* petuntur Origenianae lectiones e libris Adamantii, quorum latinae tantum translationes ad nos pervenerunt. Sed contigit Origeni,

---

45) Lectiones, quas Origenes non e suis, sed ex aliis quos inspexerat libris, laudat, saepe in codice D. inveniuntur. e. gr. Matth. 16, 20. Origenes διεστειλατο, codices quidam apud eundem ἐπετιμησε, consentiente D. Luc. 9, 48. Origenes aliquoties et codd. C. L. 1. Ev. 2. 19. ἐστιν, sed codices nostri plerique, inter quos D. etiam est, et ἀλλα ἀντιγραφα apud Origenem, ἐσται. Ioh. 1, 4. Origenes ἠν. D. vero et ἀλλα των ἀντιγραφων, ἐστιν.

quod aliis graecis scriptoribus non paucis, ut nancisceretur interpretes parum fidos, qui saepe latine redderent, non quae graece scripserat libri auctor, sed quae nasutuli homines ipsum scripsisse cupiebant, aut scribere debuisse opinabantur. Neque translatores hi loca tantum Scripturae sacrae e versione bibliorum latina, quae tum in usu erat, desumserunt, nulla ratione habita lectionum graecarum Origenianarum: sed eo etiam interdum progressi sunt, ut totum orationis contextum immutarent, Origenique invito suos sensus audacter tribuerent. Sic ignotus commentariorum in Matthaeum interpres alia praetermisit, v. c. ad cap. 20, 19. 20. 21, 11. 23. alia prorsus mutavit, e. gr. ad cap. 19, 16. immo, contra exempli graeci fidem, multa de suo addidit, v. c. ad cap. 19, 19. 22, 21. Huius igitur hominis suffragia, lectiones Origenianas indagaturus ne tum quidem admittere debet, ubi subiecta explicatio atque contextus lectionem interpretis confirmant. Rufinus vero quantum in vertendis opusculis Origenis ingenio suo indulserit, nemo ignorat. Qui graeca librorum περι ἀρχων et commentariorum in epistolam ad Romanos fragmenta comparare velit cum translatione Rufini, fatebitur profecto, ita ab hoc homine interpolata esse omnia, ut quid ipsius sit, quid Origenis, vix ac ne vix quidem discerni queat. Multa Scripturae testimonia, quibus auctor usus non erat, interpres adiecit; alia contra, quae ille excitaverat, hic omisit. Ne iis quidem librorum Origenis versionibus tuto inniti possumus, quas Rufinus accurate ad graeci textus fidem confecisse se te-

statur, in perorat. in ep. ad Rom. Nam si maxime hominis asseverationi fidem haberemus, pertinet ea tamen magis ad tractationem ipsam, quam ad ea, quae huic inserta sunt Scripturae testimonia. Quid vero sentiendum sit de textu, quem in transferendo commentario in ep. ad Rom. secutus est, utrum scilicet Rufinus Origenianum retinuerit, an vero alium substituerit e latino codice desumtum; quae quaestio nec inutilis est nec iniucunda: alio loco commodius dicetur. Maiorem quidem quam Rufinus fidem adhibuisse videtur, qui homiliarum in Lucam interpres fertur, Hieronymus, ipse tamen in reddendis S. S. testimoniis iusto negligentior. E. gr. Luc. 2, 14. transtulit: *hominibus bonae voluntatis;* Origenes vero alibi ter: ἐν ἀνθρωποις εὐδοκια scripsit. Cap. 3, 9. interpres *fructum bonum* vertit; sed Origenes tom. 6. in Ioh. §. 14. Lucam καλον scripsisse negat. Ne quis vero huiusmodi discrepantias natas esse existimet e codicum, quos Origenes diverso tempore adhibuit, varietate, exempla e homiliis in Ieremiam, quarum nonnullae graece supersunt, proferemus. Homil. 4. quae apud Hieronymum est decima quarta, locus Act. 13, 46. sic exstat: ὑμιν ἠν ἐξαπεσταλμενος ὁ λογος της σωτηριας; (homil. 5. pro της σωτηριας legitur του θεου) ἐπειδη δε ἀναξιους κρινετε ἑαυτους, ἰδου κ. τ. λ. Interpres vero posuit: *Ad vos erat missus sermo; sed quia indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce etc.* Verba της αἰωνιου ζωης alibi (v. c. hom. 5.) Origenes aliquoties praetermisit. Homil. 11. (iuxta Hier. 7.) e Matth. 10, 34. excitatur μη νομιζετε ὁτι ἠλθον βαλειν εἰρη-

νην, ἀλλὰ μαχαιραν, quod Hieronymus vertit: *quid putatis, quia veni pacem mittere super terram? Non veni pacem mittere, sed gladium.* Vid. etiam homil. 16. iuxta Hieron. 12. de loco Lucae 12, 47.

Haec cum ita sint, cunctas istas operum Origenis translationes latinas instrumentis, quibus lectiones Origenianae erui possint, tum demum annumerari velim, si vel in graecis eius scriptionibus idem S. S. locus eodem modo excitatus legatur, vel graecorum codicum, versionum, atque Patrum graecorum assensio dubiae lectioni praesidium afferat, atque fidem interpretis ab omni suspicione vindicet. v. c. Hom. 13. in Luc. e Ioh. 14, 27. haec afferuntur: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, non sicut mundus iste dat* PACEM, *ego do* PACEM. Similiter vocabulum εἰρηνην bis additur Libr. 8. c. Cels. Semel vero, tomo 6. in Ioh. praef. omisso scilicet quarto. Additamento igitur adsuetus fuit Origenes. cf. supra §. 18. Homil. 32. in Lucam locus Matth. 10, 19. sic laudatur: *in* LAQUEUM *non cadit passer, sine voluntate patris.* Similiter εἰς την παγιδα occurrit libr. 8. c. Cels. §. 70. et tom. 20. in Ioh. §. 29. eademque lectio habetur in homiliis Clementinis et apud Chrysostomum. Altera vero, ἐπι, sive εἰς, την γην occurrit in Adhort. ad Martyr. §. 34. in Select. in Thren. c. 3, v. 52. (e catenis) in libro 3. de Princ. c. 2. §. 7. et in Comment. in ep. ad Rom. c. 3. v. 7. Sed in cod. * L. utraque lectione omissa, simpliciter positum est οὐ πεσειται, quod equidem librarii negligentiae tribuere nolim, tum quod calligraphus, qui librum hunc exaravit, temere omitten-

do rarissime peccaverit, tum quod non solum Auctor operis imperf. in Matth. similiter: *non cadet sine voluntate patris vestri*, legerit, verum etiam catena quaedam Coislin. in Ps. 49, 10. hanc lectionem Origeni tribuat. Nec quicquam est in verborum contextu, quod occasionem praebere potuerit huic omissioni, quae praeterea neque sensum reddit imperfectum, neque sermonem impeditum. Saepe enim *πιπτειν* ponitur simpliciter pro *interire*, *mori*, ut Ps. 82, 7. Ierem. 8, 12. 25, 34. Ezech. 27, 27. et Hiob 14, 10. ubi hebraeo גוע respondet. Nobis quidem lectio utraque, *εἰς την παγιδα* et *ἐπι την γην*, admodum suspecta est. Utraque sane glossema redolet. Porro, hom. 39. in Luc. pro *δηναριον* Luc. 20, 14. legitur *nummus*, *νομισμα*, annuente codice D. De Princip. l. 2. c. 5. §. 8. omittitur *ἀρατε και* quod abest quoque a codd. L. 1, * 13. 69. et verss. vulg. syr. arab. aeth. pers. wheloc. copt. immo etiam a tomo 28. in Ioh. §. 7.

§. XXI. Superest, ut fontem, e quo Origenianarum lectionum notitia peti possit, aperiamus, longe quidem ab iis quos hactenus commonstravimus dissitum, veruntamen uberrimum; quem plane praeterire solent, qui in allegationibus Patrum colligendis iudicandisque operam suam collocant. Supra iam diximus, esse codices quosdam, qui mirifice cum allegationibus Origenianis conspirent, et lectiones in his obvias assensu suo confirment certioresque efficiant. Quinam ii libri sint, et quonam affinitatis gradu codices Origenianos attingant, secunda huius dissertationis parte accuratius dicetur. Ut tamen sententiam

nostram distincte exponere, eamque idoneis exemplis illustrare lectoribusque probare possimus, paucula, quae ad Evangelium Iohannis pertinent, hic anticipare lubet. Versanti mihi exemplar N. T. in quo allegationes Origenis universas e scriptis eius graecis collectas accurate adnotavi, ac lectionum Orig. varietatem margini illevi, vix ulla occurrit lectio, quae non similiter exstet in uno alterove e codicibus AC. (praecipue a prima manu) DKLM. 1. 13. 38. 69. Sed ut rei huius rationem paullo luculentius lectorum oculis exponam, summam quasi collationis institutae breviter hic colligam. Neque vereor, ne diligentiam hanc inutilem aut nimis minutam existiment aequi peritique arbitri. Cum enim in delectu lectionum non modo bonitas earum interna, sed antiquitas etiam spectanda sit; haec vero ab antiquitate et auctoritate testium, codicum scilicet versionum et Patrum, potissimum pendeat: sequitur, ut dimidia adminiculorum parte destituatur, qui testium quasi conspirationes et secessiones non satis perspectas habet. Parum sane acuti sunt, qui antiquitatem lectionis alicuius ex anno, quo codex exaratus fuit, indicant. Etenim non tam membranarum quam textus quem continent aetas definienda est; quod sine diligentissima testium inter se comparatione fieri nequit, quae ad ipsa lectionis cuiusque incunabula nos tandem deducit, glossemata et additamenta seriora dignoscere docet, librarii sive critici, qui textum recensuit, cuiusque in addendo resecando mutandove consuetudinem ante oculos exponit, codicumque singulorum et ingenium de-

clarat et pondus definit. Quanam quaeso via tutius citiusque ad hunc quem petimus finem pervenitur, quam collatione librorum manuscriptorum cum allegationibus antiquissimorum Patrum accuratissime instituta? Ut igitur de dissensu consensuve vetustorum codicum (quoad Iohannis Evangelium) cum exemplari Origeniano nobis constaret, sequentes pericopas, quarum textus integer, paucis versiculis exceptis, ex allegationibus Adamantii graecis componi potest, excussimus: Ioh. 1, 1 — 40. cap. 2, 12 — 25. cap. 4, 10 — 46. cap. 6, 49 — 58. cap. 13, 1 — 80. In his locis Origenes a textu recepto recedit nonagies et quater. Atque in his lectionibus a textu vulgari dissidentibus, consentientem habet codicem A. vicies et bis, (hiat capite 6.) codicem C. quinquagies novies, (hiat capite 2. et cap. 13, 1 — 8.) D. vicies novies, (truncatus est capite 1, inde a v. 16. et capite 2) H. duodecies, L. (quem nos Parisiis denuo contulimus) sexagies novies, M. undecies, codicem 1. tricies, 13 (perquam negligenter collatum) quinquies, 33 (non satis accurate excerptum) vicies septies, 69. vicies et quater, et versionem Coptam plerumque. Discrepantiarum vero ratio haec est: si numerum quemque hic indicatum auferas a summa lectionum Origenianarum, (nempe 94.) invenies numerum lectionum eiusdem codicis, quae ita ab Origenianis dissident, ut cum receptis concinant; in qua tamen supputatione tum lacunarum ratio habenda est, tum lectionum earum, in quibus Adamantius sibi ipse non constat. Codex C. verbi causa quinquies tantum aut sexies cum textu vulgari

contra Origenem facit, earumque discrepantiarum pleraeque exigui momenti sunt; L. vero sic dissentit quaterdecies. His adiungimus enumerationem earum lectionum, quibus codices illi a textu Origeniano aeque discedunt atque a vulgari; cuius generis lectiones observavimus in codice A. tredecim, C. decem, D. septuaginta septem, K. quinque, L. quindecim, M. quinque, in codice 1. viginti quatuor, 13. quindecim, in cod. 33 tredecim, tandem in cod. 69. quadraginta novem. Iam quid ex his omnibus effici possit, quod ad caussam nostram pertineat, age videamus. Codex A. magis consentit cum vulgaribus libris, quam cum exemplari Origenis, aliisque codicibus vetustissimis. Textum receptum deserit tantum 35ies, Origenianum vero 70ies; earumque lectionum, quae a vulgari recedunt, fere dimidia tantum pars cum Origeniano facit. Est igitur e recensione minus vetusta quam CDL. aliique, nec tanti (in Evangelio certe Iohannis, de quo solo hic loquimur) faciendus, quanti Bengelius eum aestimavit. Interdum tamen lectiones retinuit antiquas atque probas, quas in vulgaribus libris frustra quaeres; neque tot lectiones ineptas spuriasque additiones continet, quam D. et 69. Codex D. a caeteris omnibus mirifice differt, et recensionem sacri textus aeque ab Origeniana atque a vulgari diversam exhibet. Ab illa dissentit 115ies, ab hac 106ies. Lectionum a libris editis discordantium quarta circiter pars Origenianis consonat. Tantum vero abest, ut lectiones, ab Origeniana et recepta simul discrepantes, statim spernendas esse putemus, ut

potius non paucas vel Origenianis ipsis praeferendas esse censeamus. Multae enim, si ad eas leges examinentur, ad quarum normam iudicium nostrum de interna lectionum bonitate conformandum est, quae ab antiquitate et auctoritate testium non pendet, sed ex ingenio lectionis ipsius, atque e nativa eius simplicitate, ab ornatu quidem aliena, sed calamo scriptorum sacrorum non indigna, et gratae negligentiae veluti umbra perspicuitatem ac perfectionem orationis obscurante; ut et e convenientia tam cum scopo quam cum stilo auctoris, iudicatur; quo sequentes spectant canones: lectio exquisitior atque graecantior non facile praeferatur alteri minus eleganti aut hebraismum redolenti; lectio planior atque phrasin multo usu tritam ac saepius in N. T. recurrentem exhibens, postponatur difficiliori, duriusculae et inusitatae etc.: ad huiusmodi inquam leges si exigantur lectiones codicis D, multae profecto optimae notae esse invenientur. Cum itaque vetustissimus hic liber, licet saepe cum Origene conspiret, tamen a recepta Origenianaque simul recedat saepius, quam posteriori huic sese adiungat; lectiones vero ipsi peculiares, si in se spectentur, partim optimae sint, partim pessimae: consentaneum esse videtur, ut statuamus 1) ductum eum esse e codice eiusdem recensionis sive familiae, ad quam Origenianus cum sectatoribus suis pertinet; 2) exemplum, e quo ductus fuit D. purum adhuc fuisse ab interpolationibus et additamentis quibusdam, qui Origenianum eiusque aemulos iam invaserant; sed 3) hominis audacissimi in-

epta sedulitate antiquissimo illi textui innumeras illatas fuisse additiones aliasque lectiones, non solum e codicibus perquam vetustis, e quorum familia nullus ad nos pervenit integer, desumtas, verum etiam (quod multo magis dolendum est) ex aliis fontibus impuris, immo e latina quoque N. T. translatione haustas; 4) hinc factum esse, ut duplicis recensionis antiquae, variis additamentis tum graecis tum latinis exornatae laciniae miris modis in hoc codice consarcinarentur. Eadem fere ratio est codicis 69. Multo saepius tamen dissentit ab Origene (scil. 119ies) quam a textu typis vulgato, a quo ter et 70ies recedit. Lectionum, quibus a recepto textu seiungitur, tertia fere pars in Origeniano invenitur; caeterae maxima quidem ex parte ipsi peculiares sunt et recentioris criticastri diligentiam atque stilum produnt, pauciores tamen, ipsi cum D. aliisque communes, antiquae sunt, immo nonnullae genuinae videntur. Codex 1 satis propinqua cognatione codicem 69. contingens, sed castior illo, vetustissimis, quoad lectionum antiquarum numerum, vix cedit, et optimo cuique aequiparandus esset, nisi interpolationibus recentioribus passim depravatus esset. Lectionum a vulgaribus libris dissidentium (scilicet 55.) pars dimidia apud Origenem reperitur, a quo tamen 87ies discedit, receptam lectionem saepe exhibens, ubi Adamantius aliam sequitur. Sed de hoc libro, atque eius gemello, Marshiano 24, ut et de codd. 13 et 33, in Iohanne perquam negligenter collatis, alio loco uberius disputabimus. Cod. 13, quantum de lectionibus eius nobis

constat, plerumque a partibus librorum vulgarium stat, a quibus non nisi 20ies differre videtur. Lectionum variantium ex ipso collectarum pars quarta Origeni favet. Codex 33, lectiones a recepta editione discrepantes habet 40, e quibus ⅔ Origeni adstipulantur; codices autem K et M, quorum illum decies septies, hunc 16ies a vulgari textu abhorrere tradit Wetstenius, plus quam dimidia lectionum harum parte cum Origeniano consentiunt. Omnium vero proxime ad exemplar Adamantii laudatissimum accedit codex C, et qui huic suppar est atque aemulus, L. quos bonarum antiquissimarumque lectionum copia omnes fere libros manuscriptos superare tum ostendemus, ubi recensionis Orig. pretium definiemus. Quam propinqua cognatione codex C. attingat exemplar Origenis, inde facile intelligitur, quod ab eo non nisi 16ies discrepat, atque e 69 variis lectionibus, quas Wetstenianus margo ex hoc libro desumtas repraesentat, 59 ad Origenianum textum pertinent. Codex vero L. a recensione Orig. 29ies tantum discedit, et inter lectiones 84 a recepta diversas exhibet Origenianas 69. Calculis studiose iam subducendis operam non damus, quia nec spatii angustia hoc permittit, neque consilium nostrum summam ἀκρίβειαν postulat. Accuratius tradentur in altera dissertationis parte. Nobis iam generatim indicasse sufficit, quota pars lectionum cuiusque codicis, a recepto textu dissidentium, cum Adamantio faciat. Hinc enim patere arbitror, in tres classes commode dispesci posse libros illos. Primas partes tenent C et L. secundum locum occupant AKM. 33. tertium vero assignamus codicibus D. 13. 69.

§. XXII. Horum igitur codicum usum in indagandis lectionibus Origenianis tam late patere existimamus, ut ex iis probabili coniectura saepissime, quid Adamantius legerit, erui possit, licet eum scripturae locum nunquam in libris qui (graece) supersunt, excitaverit. Cum enim codices hi in iis S. S. oraculis, quae in scriptis Adamantii laudata sunt, vix unquam in lectione aliqua conspirent, quin eandem in allegatione Origenis reperiamus [46]): verisimile est

46) Rarissime observatio haec fallit. In pericopis supra indicatis bis tantum C. a prima manu et L. in lectione conveniunt ab Origeniana diversa; sed dissensus nullius momenti est. Nimirum Ioh. 1, 27. ἐγω omittitur in C. L. 13. et aliis. Origenes autem quinquies profert pronomen, sed modo ante, modo post ἄξιος. Semel tamen, tomo 16. in Matth. §. 32 plane praetermisit, et tomo 6. in Ioh. §. 23. e Heracleonis commentariis locum absque ἐγω laudat. Altera discrepantia occurrit cap. 4, 17. ubi in CD * L ἀνδρα οὐκ ἐχω, apud Origenem vero, ordine inverso, οὐκ ἐχω ἀνδρα legitur. Praeterea, cap. 1, 19. AC 13. 33. 69. aliique addunt πρὸς αὐτον, quod nec Origenes agnoscit nec codex L. Cap. 4, 46. codd. DL. 33. habent: ἦν δε, Adamantius vero stat a partibus lectionis receptae: και ἦν. Vers. 51. DKL. 13. 33. cum aliis quibusdam pro παις habeant υἱος, Origenes vero v. 50. constanter υἱος, sed v. 51. semper παις legit, erratque Wetstenius ad lectionem υἱος v. 51. Origenem laudans. Sed paucissimae hae exceptiones veritatem observationis nostrae non convellunt. Neque adversantur ei lectiones nonnullae, Origeni plane peculiares, nec in ullo codice hactenus repertae, quales in pericopis saepe laudatis occurrunt sedecim. Nam si ab hoc numero demas partim ea loca, quae diversimode excitantur, ita ut alibi cum codicibus consentiant, alibi vero singularem lectionem exhibeant: partim ea le-

iis etiam in locis Evangelii Iohannis, quae Noster nunquam laudavit, exemplar Origenianum eandem habuis-

---

ctionum figmenta, quae non e codicibus manuscriptis desumta, sed e negligentia excitantis orta sunt: duae tantum restabunt lectiones Origenianae ab omnibus codicibus graecis abhorrentes; altera leviuscula cap. 4, 15. διερχωμαι pro ἐρχωμαι, altera cap. 13, 10. omissio verborum ἡ τους ποδας, de qua supra diximus. Cavendum etiam est, ne librariorum, qui opera Origenis descripserunt, aberrationes in exarandis S. S. locis Origeni ipsi tribuamus, et ex iis lectiones a codicum CL. etc. lectionibus discrepantes exsculpamus. E. gr. Ioh. 1, 24. codices C. a prima manu L. et versio copta omittunt οἱ ante ἀπεσταλμενοι. Exstat quidem articulus tomo 6. §. 13., ubi comm. 24 et 25. explicationi praefixa leguntur; sed delendus est omnino. Non solum enim §. 14. pag. 126. non exstat, sed ipsa etiam enarratio loci satis docet, Origenem ignorasse το͂ οἱ, (quo admisso versus 24. de iisdem legatis accipiendus esset, de quibus v. 19. Iohannes locutus erat;) atque subintellexisse τινες. Aperte enim §. 5. duas legationes, (alteram v. 19. alteram v. 24.) distinguit. Similiter v. 27. αὐτος ἐστι deest in C a prima manu, L. et Copt. atque apud Origenem ter. Nihil igitur contra sententiam nostram effici potest e tom. 6. in Ioh. §. 15, ubi verba haec textui sacro, explicationi praemisso, a librariis adiecta sunt. Uti vero huiusmodi allegationes a scribis corruptae nobis non obstant, ita etiam unius loci diversae allegationes, utpote e diversis codicibus desumtae, caussae nostrae officere nequeunt. E. gr Ioh. 13, 26. Pro ἐπιδωσω Origenes alibi και δωσω, alibi και δωσω αὐτῳ legit, alibi verbum hoc plane omisit. Cum vero codices C. a prima manu, LM. 33. habeant και δωσω αὐτῳ, dubitari non potest, quin haec lectio vere sit Origeniana, lectionis autem varietas vel festinationi Origenis, vel codicum, quos vidit,

se lectionem, quam in his codicibus, sed apte coniunctis, invenimus.

Primi ordinis codices, praesertim si de lectione inter ipsos conveniat, tantum non semper lectionem produnt Origenianam. Libri secundi ordinis plures, contra lectionem receptam conspirantes, suspicionem movent haud levem, eam in qua consentiunt Origenianam esse. Quos vero ad tertiam classem retulimus, ii in se spectati iusta quidem carent auctoritate; attamen libris secundi ordinis multum ponderis assensu suo addunt. Si vero codicibus C. et L., in lectione quadam a textu vulgari discrepante, unus et alter e secunda aut tertia classe sese adiungat, atque versionis coptae, et Cyrilli aut Clementis Alex. auctoritas accedat, summa oritur probabilitas, in exemplari Origenis eandem exstitisse. Cum enim mirabilis ille codicum et inter se et cum Origene consensus, non fortuito quodam casu ortus, sed e communi, ex archetypo eiusdem recensionis, origine repetendus sit: quin ab eadem caussa aliis in locis eundem effectum exspectamus? Cur quaeso codices CL saepius cum

---

dissonantiae debeatur. Quid? quod utraque lectio, quam Origenes diversis in locis sequitur, nonnumquam in codicibus, qui ad familiam Origenianam pertinent, invenitur. Sic Ioh. 6, 52. ἣν ἐγὼ δώσω deest in CDL. Vulg. Aeth. et apud Athanas. et Cyrillum; similiterque apud Origenem bis, scil. tomo 10. in Ioh. §. 13. et tomo 20. §. 33. contra vero habentur haec verba tum apud Origenem de Orat. §. 27 bis, tum in codd. 1. 13. 33. (silet saltim Wetstenii margo) vers. syr. copt. pers. et apud Clem. Alex.

Origene conspirare putemus in locis S. S. quae in libellis Adamantii laudata leguntur, quam in aliis ab eo non excitatis? Potest igitur ingens omnino pars textus Origeniani isto artificio restitui; fructus autem hinc sperandi insignes sunt. Tanto enim exactius atque verius erit iudicium de universa recensionis istius antiquissimae indole, quanto maiorem lectionum numerum excusseris atque sub examen vocaveris; eoque accuratiorem instituere poteris librorum manuscriptorum, qui supersunt, atque versionum cum exemplari Origenis (omnium quorum notitia ad nos pervenit et antiquissimo et celebratissimo,) comparationem, quo hoc ipsum plenius atque penitius cognitum habueris atque perspectum. Caeterum modus lectionum Orig. e coniectura restituendarum hic propositus cautiones quasdam habet; scilicet primo, ne ad codices lacunosos aut negligenter collatos temere provocemus, nec e silentio marginis Wetsteniani (v. c. de codice C.) consensum cum recepta lectione perperam eliciamus; deinde, ne ex una codicis cuiusdam particula, e. gr. ex uno Evangelio, aut ex uno cuiusque libri biblici capite, textus universi indolem atque totius codicis affinitatem cum Origeniano aestimemus. Saepe enim, ut luculento Bodlejani cuiusdam codicis exemplo in sequentibus demonstrabimus, librarii e pluribus codicibus apographum suum, modo hoc modo alio exemplo usi, compilarunt. Tandem coronidis loco lectiones quorundam locorum Evangelii Iohannis ab Origene non excitatorum apponimus, quas, ob codicum supra indicatorum con-

sensum, Origenianis accensendas esse putamus. Cap. 6, 69. του ζωντος — CDL. 1. 33. copt. arm. vulg. Cyr. v. 40. πατρος μου pro πεμψαντος με. CDL. 1. copt. aeth. arm. syr. utr. Clem. cap. 9, 6. επεχρισεν † αυτου. ACL. 1. 33. Cyr. v. 8. προσαιτης pro τυφλος ACDLK 1. 33. versiones, Cyr. Chrys. cap. 11, 21. απεθανε pro ετεθνηκει. CDKL. 1. 33. Cyr. alii. cap. 17, 4. τελειωσας, pro ετελειωσα ACL. 1. 33. copt. aeth. latt. Cyr. v. 12. εν τω κοσμω — CDL. 1. Copt. Vulg. Cyr. Hier. v. 17. σου — ACDL. 1. Vulg. Goth. Cyr. Quibus sequentes etiam lectiones addi posse videntur: cap. 3, 2. αυτον pro τον ιησουν AK* L. 1. 33 arm. aeth. latt. Cyr. Chrys. v. 5. † και ειπεν αυτω K* L. 13. Syr. prior et post. in marg. copt. arm. aeth. saxon. cap. 6, 39. πατρος — ADL. 1. copt. latt. Cyr. Chrys. Athan. v. 69. αγιος pro χριστος ὁ υἱος CDL. copt. aeth. cap. 7, 9. αυτος pro αυτοις. DL. 1. copt. syr. latt. Cyr. v. 8. ταυτην prius — DKL. 1. copt. latt. Chrys. Cyr. cap. 9, 11. και ειπεν prius — CDL. 33. ibid. κολυμβηθραν του — DL. 1. copt. syr. arm. latt. Cyr. v. 25. και ειπεν — ADL. 1. 33. Vulg. Goth. Cyr. ibid. ἡμην και pro ὠν DL. 1. latt. Cyr. cap. 10, 12. εστιν pro εισι. AL. 1. 69. Euseb. Cyr. ibid. τα προβατα postr. — DL. 1. 33. copt. arm. aeth. v. 13. ὁ δε μισθωτος φευγει — ADL. 1. copt. arm. aeth. Nec improbabile est, sequentes etiam lectiones ad Origenianas pertinere: cap. 3, 15. μη αποληται αλλ' — L. 1. copt. aeth. Cyr. cap. 7, 8. ουκ pro ουπω DK. copt. aeth. Cyrill. Chrys. Hieron. Sed consilio nostro haec sufficere possunt.

Corollaria.

1. Novum Testamentum pluribus scatet glossematibus, additamentis atque interpolationibus de consulto illatis, quam ullus alius liber.

2. Graecos codices omnes, haetenus inspectos, occupare potest lectio prava. Coniecturali igitur emendationi in crisi sacra locus relinquendus est. Emendationes tamen huius generis in textum recipiendae non sunt, praesertim, si de lectione inter omnes codices et versiones conveniat.

3. Interdum unius codicis auctoritate lectio quaedam affatim defenditur.

4. Lectio, quam exhibent testes antiquissimi, non semper genuina est.

5. Codices graeco-latini, licet hic ibi ad latinam versionem reficti sint, plerumque tamen lectiones exhibent vetustissimas, saepe genuinas.

6. Consensus latinae translationis cum codicibus graeco-latinis nondum efficit, lectionem esse mere latinam, h. e. in versione latina primum ortam.

IV.

De historiae ecclesiasticae nostri seculi usibus sapienter accommodatae utilitate praefatus ad audiendam orationem suscepti in academia Jenensi publici muneris causa a. d. Julii VI. MDCCLXXVI recitandam

invitat

Ioannes Iacobus Griesbach,
Theologiae Professor ordinarius.

Memoria repetentibus nobis verae religionis inde ab ipsis mundi primordiis fata atque propagationem, non solum facile patet, verissima esse quae Paulus testatur, πολυμερως και πολυτροπως Deum hominibus voluntatem suam patefecisse; verum etiam nullo negotio intelligitur, causam, cur Deus alio tempore alio institutionis modo usus sit, positam esse in eo, quod, mutata saepe humani generis conditione, mox hoc mox alio παιδειας τροπῳ opus esset. Sapientissimam hanc Dei ipsius Optimi Maximi οἰκονομιαν

imitati sunt religionis ministri atque doctores omnium seculorum probatissimi atque fidelissimi, suoque exemplo confirmarunt id, quod rei ipsius consideratio paullo accuratior edocere nos similiter poterat: oportere verbi divini ministrum, in exponendis ac inculcandis religionis veritatibus, promovendoque christianae sapientiae atque virtutis studio, rationem habere suorum temporum atque hominum. Etsi enim vera Iesu Christi religio nulli mutationi obnoxia esse potest, sed una eademque semper manet: tamen caelestis huius doctrinae ministri, tum in rerum praecipue tractandarum dilectu, tum in ipso tractationis modo, sedulo perpendere debent, quid suis temporibus sit convenientissimum et iis hominibus, quorum cura ipsis demandata est, utilissimum. Hinc vero sua sponte porro consequitur, academici doctoris esse, disciplinas, quibus eruditionis theologicae ambitus continetur, ita auditoribus suis propinare, ut studiosa Iuventus, in qua patriae atque ecclesiae spes posita est, mature discernere discat, quid nostrae aetatis hominibus inprimis necessarium sit, quid minus. Sic Baumgartenius, Heilmannus, aliique magni nominis theologi recentiores, in tradendis Christianorum dogmatibus viam ingressi sunt paulo aliam et huius seculi usibus magis accommodatam, quam Melanchthon, Chemnitius, Hutterus, et alii anteriorum temporum theologi meritissimi. In tractandis controversiis, quae inter Christianos agitatae fuerunt, antiquiores id potissimum sibi proposuerant, ut refellerent errores Pontificiorum, Anabaptistarum, aliorumque, qui publi-

cam ecclesiae nostrae doctrinam tum temporis impugnabant; nos vero minorem hodie operam istis controversiis, utpote minus iam frugiferis impendere solemus, aut saltim aliter, quam primis post sacrorum reformationem temporibus, earum tractationem informamus, magis intenti obiectionibus Naturalistarum, Socinianorum etc. Similiter in tradenda historia ecclesiastica antiquiorum vestigia deserenda esse, recentiores ipsa re atque facto demonstrarunt. Qui primi inter nostrates reipublicae Christianorum sacrae historiam copiose enarraverunt, Centuriatores Magdeburgenses, sui temporis hominibus potissimum consulere voluerunt, eamque ob causam universam suam narrationem ita instituerunt, ut pateret, falsa esse, quae Pontificii de doctrinae suae antiquitate Pontificumque Romanorum iuribus iactarent; antiquissimam contra esse eam, quam Lutherus instauraverat, doctrinae et religionis formam. Sed ab hoc Magdeburgensium consilio, isto tempore longe utilissimo, alii postea historiae ecclesiasticae scriptores recte discesserunt, probe perspicientes, minus iam opus esse nostris hominibus historico isto contra Papatum apparatu. Sic Gothofredus Arnoldus, animo a Magdeburgensium instituto valde alieno, nec tamen absque omni utilitatis fructu, opus suum historicum, suo tempori inservire cupiens, conscripsit. Animadverterat scilicet Arnoldus, viris piis atque doctis non paucis temere inustam fuisse haereseos notam; multos contra orthodoxiae propugnatores laudatissimos saepe atque graviter, licet impune plerumque, peccasse. Hac

re incensus, animum induxit, ut haereticorum atque fanaticorum fere omnium causam ageret, eosque exculparet et ab haereseos infamia liberaret; orthodoxiae vero defensores publico odio atque contemtui, magno, licet impotenti plerumque, conatu, exponeret. Nos quidem hominem hunc fanaticismi labe infectum et partium studio saepe numero abreptum fuisse ultro fatemur, nec contra iustas multorum accusationes defendere eum cupimus: sed hoc tamen concedendum nobis esse existimamus, isto tempore, quo Theologi non pauci ex orthodoxae doctrinae a patribus acceptae ad posteros propagatione, et omnium qui haeretici ipsis videbantur debellatione laudem unice quaerebant, parum solliciti quo eos iure haereseos accusarent, aut quo armorum genere eos aggrederentur atque opprimerent; hoc inquam tempore, quo multi rei sacrae antistites longe maiorem operam impendebant adversariis suis quovis modo reprimendis, quam internis atque *domesticis* societatis christianae *vitiis* medendis; neutiquam intempestivam fuisse historiam ecclesiasticam, eo consilio, quod Arnoldus animo quidem conceperat, cui vero exsequendo varias ob causas idoneus non erat, conscriptam. Quin ne ipsa quidem Arnoldi opera, quantumvis vitiosa, prorsus fuit infrugifera. Negari saltim non potest, Arnoldi librum occasionem praebuisse novis et accuratioribus indagationibus in res gestas Christianorum antiquiorum, et praesertim in concertationes catholicorum cum haereticis; et factum hinc esse, ut iam, post Arnoldum, rectius inter nostros informaretur historia ecclesiastica, ut

imbelle illud contra omnes qui haeretici appellantur odium minus late regnet, quam ante Arnoldi tempora, et ut imminueretur sensim nimia et superstitiosa fere antiquitatis priscorumque doctorum, eorum praecipue qui haereticos strenue oppugnaverant, veneratio. Funesto igitur huius viri exemplo admoniti sedulo nobiscum reputabimus, non posse insigni usu carere historiae ecclesiasticae tractationem, dummodo ita instituatur, ut in rerum narrandarum delectu et narrationis modo temporis quo vivimus ratio habeatur, et omnia in hunc finem dirigantur, ut ex ipsa rerum gestarum expositione perspicue elucescat, qua ratione certissime atque facillime nostrae aetatis hominibus genuinam atque puram Iesu Christi religionem commendare, virtutis et veritatis studium acuere, pacis et concordiae amorem promovere, a vera doctrina aberrantes in rectam viam deducere, religionis sanctissimae hostes convincere aut refutare, et varia nostri seculi vitia emendare possimus. Sed cavebimus etiam summa cura, ne ad metam hanc laudabili studio tendentes Arnoldo similes fiamus, et perversa cupiditate incensi a rerum gestarum veritate in narrando deflectamus, aut iudiciis perversis et partium studium redolentibus nos aliosve in errores reipublicae sacrae perniciosos implicemus. Atque hac de re paulo enucleatius disputare, ac utilitatem historiae ecclesiasticae, nostri seculi usibus sapienter accommodatae, exemplis nonnullis in medium prolatis, declarare constitutum mihi est.

Duo vero hic consideranda veniunt. Primum

dispiciendum est, quaenam sit hoc tempore rerum, si religionem spectes, conditio, et quid haec postulet a ministro religionis publico. Deinde videndum est, qua ratione ope historiae ecclesiasticae his subvenire queamus christianorum necessitatibus. His rite expensis simul patescet, quid in historia hac tum docenda tum discenda inprimis spectari debeat ab eo, qui omnes utilitatis ex ea decerpere cupit fructus, quos ex iusta rerum inter Christianos bene aut male olim gestarum narratione nostrae aetatis homines percipere posse videbimus.

Ad *prius* quod attinet, haberemus hic campum satis amplum in quem excurrere possemus, nisi brevitati studendum esset. Cum vero omnia quae huc referri possent complecti nequeant schediasmatis huius angusti limites, duo tantum breviter attingemus, quae, consentientibus ut putamus omnibus, hoc tempore praecipue necessaria existimamus publicis religionis administris, nedum Ghristianis, omnibus. *Alterum*, de quo alia opportunitate, quam infra indicabimus, dicetur, hoc est, ut contra hostium christianae religionis sive insidias sive insultus satis sint praeparati atque muniti, nec solum de veritate et origine religionis nostrae divina ipsi firmiter sint convicti et persuasi, verum etiam adversariorum tela, quae magnam partem ex historia ipsa ecclesiastica perperam informata depromi solent, fortiter excipere, immo retorquere valeant. *Alterum*, quod publicis religionis praeconibus hoc tempore inprimis necessarium esse putamus, paullo copiosius hoc libello illustrare lubet.

Nempe auctis indies subsidiis ad faciliorem et accuratiorem theologicarum rerum cognitionem, concessaque maiore sentiendi scribendique de rebus ad religionem pertinentibus libertate, fieri non potuit, quin multa dogmata, quae per longam annorum seriem pro indubiis verae doctrinae partibus habita fuerant, novo et severo examini subiicerentur, et a multis vel impugnarentur aperte, vel in dubium saltim vocarentur, ac incertis et scitu minus necessariis accenserentur. Contra hos insurrexerunt alii, numero multi, sibi invicem admodum dissimiles, qui doctrinae priscae a patribus acceptae et, ut ipsis quidem videtur, purioris defensores videri volunt, et vario armorum genere adversarios suos, quos Christi ipsius et religionis hostes esse contendunt, adoriuntur. Lis haec composita nondum est, nec, si ex antiquiorum temporum historia rem iudicamus, facile dirimi poterit. In tanta enim animorum exacerbatione disputandique fervore, sperare nondum licet, dissidentes *sua sponte* manus sibi praebituros amicas, et viam ingressuros esse mediam, quae tutissima esse et a veritate proxime abesse solet. Pacificis vero *colloquiis* nemo quicquam tribuet, qui tot colloquiorum de controversiis theologicis frustra institutorum historiam non ignorat. Neque *novae* doctrinae *formulae*, publica auctoritate praescribendae, litibus istis finiendis aptae videntur. Nam non solum e litigantibus permulti tales formulas iusta auctoritate carere contendunt, adeoque nec satisfieri sibi hac ratione patientur; sed ipsa etiam sacrae civitatis historia docet, bella civium intestina publicis

eiusmodi decretis vix unquam feliciter composita fuisse. Quid quaeso effectum fuit nicaenis aliisque contra Arianos decretis, aut ephesinis contra Nestorianos placitis? quid edicta Chalcedonensium, henoticon Zenonis, ecthesis Heraclii et typus Constantii valuerunt contra Eutychianos Monophysitas atque Monotheletas? Exacerbati sunt animi, turbata et in partes scissa ecclesia, fractum atque debilitatum Imperium; lites vero neutiquam cessarunt. Similia exempla permulta ex historia antiquiorum et recentiorum temporum colligi possent, si eis locus hic esset. Quid? quod ipsa formula Bergensis conciliandis dissentientium animis impar forte fuisset, nisi aliae accessissent isto tempore opportunitates, quarum ope pax ecclesiae evangelicae utcunque restituta tunc fuit. Sed vi fortasse *et metu* ad unitatem fidei compelli poterunt, qui ab antiqua doctrinae publicae forma discedunt? Ita nonnullis forte videri posset; nobis tamen secus sentire licebit. Summorum quidem Principum sapientissimis auspiciis paci tranquillitatique coetuum christianorum externae prospicitur, ac sedulo cavetur, ne homines a verae christianae doctrinae indubia norma aperte aberrantes, terrarum dominis et ecclesiis invitis, doctores plebis sese gerant publicos, et novum doctrinae typum privata auctoritate Christianis obtrudant; aut errores proponant, quibus admissis vel societas civilis detrimenti quid capere posset, vel a sincero verae virtutis studio avocarentur hominum animi. Sed ipsae theologorum disceptationes, dummodo nec indubiis atque manifestis scripturae sacrae effa-

tis contrariae, neque virtuti atque pietati periculosae, neque societati sive ecclesiasticae sive civili exitiosae sint, vi dirimi, salvis Protestantium iuribus, haud possunt. Nempe res universa redit ad modestam veri indagationem, placidum argumentorum utrinque propositorum examen, accuratam ac solidam scripturae interpretationem, et perspicuam atque manifestam errorum refutationem; quae omnia re nulla magis quam vi et coactionis metu impediuntur. Quare, cum omnia quae hactenus enumeravimus minus idonea sint componendis litibus inter theologos hodie agitatis, res omnis divinae permittenda videtur providentiae, quae, teste historia, christianae ecclesiae atque doctrinae nunquam non invigilavit, eamque a periculis imminentibus saepenumero liberavit. Interim tamen nos nihil omittere decet, quod, in hac quasi theologicarum rerum crisi, nostrarum partium est. Summa scilicet animi contentione, quantum in nobis est, id agere debemus, ut absque omni partium studio, abiectis omnibus opinionibus praeconceptis, verum unice quaeratur, ad scripturae normam excutiatur, stabiliatur, vindicetur; ut porro sentiendi libertas, quae auro carior nobis esse debet, intacta atque illibata conservetur, ac, ne sub iugum humanae in rebus divinis auctoritatis Christiani mittantur, caveatur, effraenis vero audacia et nihil non tentandi licentia iustis limitibus circumscribatur; denique ut pacis atque concordiae amor dissidentium animis instilletur, ut inimicitiis candide positis alter alterum, quamvis secus nonnullis de rebus sentientem, fraterno

amore, ut Christianos decet, prosequatur. Sed si in alia re ulla, in hac profecto summa opus est prudentia. Cum igitur historia prudentiae sit magistra omnium optima, hac etiam in causa uberrimos fructus pollicetur historia ecclesiastica rite tractata. Atque sic devenimus ad id de quo distinctius disserere constitutum nobis est, qua scilicet ratione rerum inter Christianos gestarum narratio eius quo vivimus temporis utilitatibus inservire commodum queat.

I. Inter fructus, qui e iusta fatorum ecclesiae christianae cognitione ad nos redire possunt, primo loco commemoramus hunc, quod praecipitem novandi libidinem reprimat, qua tum ingenia fervidiora tum homines gloriae nimis cupidi saepe ita ducuntur, ut egressi e recta, sed solita et a multis calcata, via, novo tramite soli aut primi incedere gestiant; non quod is ad metam citius aut tutius perducere videatur, sed quod novus sit, a nemine antehac tentatus. Huius generis homines historia omnium fere seculorum ecclesiastica ob oculos nobis ponit; sed talia eorum fata enarrat, quae ab ipsorum imitatione facile absterrere nos possunt. Ut enim aliqui interdum sint, qui novarum rerum amore capiantur, longe tamen maximam hominum partem, in rebus praecipue sacris, antiquis et a maioribus acceptis unice delectari, et pro his, tanquam pro aris et focis, pertinacissime pugnare cernimus. Hinc ausis suis plerumque exciderunt novatores, nisi forte singulari quodam divini Numinis auxilio adiuvarentur. Ac notatu sane dignissimum est, nonnumquam facillimo negotio emendata

esse ea, quae anterioribus seculis nulla arte nullaque virium intentione corrigi potuerant. Lutherus v. c. seculo XIV. nullo modo id praestare potuisset, quod seculo XVI. feliciter, Deo annuente, perfecit. Patienter igitur exspectandum est illud temporis momentum, quod divina sapientia magnis atque utilibus rerum ecclesiasticarum conversionibus assignavit. Hoc non solum consolari nos potest, si corrigendis eis, quae vitiosa nobis videntur, impares nos esse sentiamus; sed coercere etiam debet intemperantiorem novandi cupidinem. Novatores enim nimis calidi, qui temporum opportunitates exspectare haud voluerunt, tam sibi quam reipublicae sacrae mala attulerunt gravissima, et vitiis, quibus eradicandis operam dabant, firmius stabiliendis ansam saepe dederunt inviti. Novatianus, ut rem exemplo illustremus, rectius procul dubio de poenitentia sensit quam catholici eius temporis doctores. Distinxit enim μετανοιάν, quam Christus commendavit, ab ecclesiastica illa poenitentiae caerimonia, quae necessaria putabatur lapsis, publicam peccati veniam quaerentibus. Hinc, licet lapsis absolutionem solemnem denegaret, eosque a communione ecclesiae in perpetuum arcendos esse statueret; tamen ut μετανοιαν agerent et lacrymis gratiam Dei ac peccatorum remissionem quaererent, sedulo hortatus, et hoc ipso planissime professus est, peccatorum in divino iudicio remissionem non pendere ab externo illo absolutionis ecclesiasticae ritu, sed a μετανοιας seriae indole iusta. Catholici contra, illum ecclesiasticae disciplinae solemnem ritum, quo publice poeni-

tentibus publice peccatorum venia concedebatur, ab interna animi poenitentia sive μετανοια et remissione peccatorum divina non satis discernentes, (nam hanc absque illo locum non posse habere existimabant; *)

---

*) Rectius de μετανοια sensisse Novatianum quam adversarios eius, e sequentibus intelligi potest: Cyprianus non quidem eo usque progrediebatur, ut eos omnes, quibus sacerdos pacem s. absolutionem concessit, aeternam salutem indubie ac necessario consecuturos esse statueret; fieri enim posse putabat, ut peccator poenitentiam falso simulet sacerdotemque fallat, et tales hypocritas, non obstante pace ipsis concessa, divino indicio poenaeque subiectos manere fatebatur. At enim vero in universa illa contra Novatianum disputatione fundamenti loco a Cypriano semper ponebatur hoc: *poenitentes, quibus ecclesia pacem non concessit, a beatitudine aeterna fore exclusos.* Ritus igitur absolutionis ecclesiasticae plane necessarius putabatur, nec μετανοια ac fides in Christum sufficiens Cypriano caeterisque videbatur, ad consequendam salutem. Ordo igitur salutis ab hisce hominibus non parum immutabatur atque pervertebatur. Cyprianus praeterea ipse fatetur, (Epist. 55. edit. Pearsonianae) Novatianum exhortari lapsos ut poenitentiam agant, et ecclesiasticae quoque poenitentiae caerimoniis sese submittant; ac nihilo tamen secius idem Cyprianus Novatianum adpellat misericordiae hostem, poenitentiae interfectorem, doctorem superbiae, veritatis corruptorem, perditoremque caritatis; (Epist. 60.) et alibi addit (Ep. 68.) auctorem eum esse, ut servis Dei poenitentibus et ecclesiam pulsantibus claudantur *divinae* pietatis et lenitatis paternae solatia et subsidia, nec ad vovenda vulnera admittantur vulnerati, sed, sine spe pacis et communicationis relicti, ad luporum rapinam et praedam diaboli proiiciantur. Simili-

ut a Novatianorum, si placet, haeresi eo luculentius abhorrere se testarentur, universum locum de poenitentia et de peccatorum remissione indies magis ma-

---

ter auctor libri ad Novatianum: sanciatum, inquit, occidit Novatianus, *adimendo spem salutis*, *denegando misericordiam patris*, respuendo poenitentiam fratris. Dionysius item alexandrinus (apud Eusebium libr. 7. cap. 8.) eum doctrinam de Deo nefariam invexisse et clementissimum *Dominum nostrum I. C.* quasi *implacabilem* calumniatum esse tradit. Eusebius etiam H. E. Libr. 6, cap. 43 *salutis* (σωτηριας) *spem* Novatianum lapsis denegasse narrat. Tandem Vincentius Lirin. in Commoniton c. 24. Quis, inquit, ante crudelissimum Novatianum *crudelem Deum* dixit, eo *quod mallet mortem morientis* quam ut revertatur et vivat? Satis ex his patet catholicos necessariam putasse, ad salutem consequendam, illam absolutionis caerimoniam, qua poenitenti pax dabatur. Longe rectius Novatianus remissionem peccatorum talibus caerimoniis alligatam esse negabat. Ac generatim paullo longius quam catholici Novatianus abfuisse videtur a superstitiosa illa persuasione, qua externis eiusmodi ritibus ecclesiasticis interna quaedam et spiritualis efficacia divinaque vis tribuitur. Hanc forsitan ob causam, si coniecturam in re obscura proferre licet, Novatianus, qui aegrotans ac in lectulo (decumbens clinicorum baptismum acceperat, noluit, cum convaluisset, episcopum adire, ut manuum impositione ab ipso consignaretur, et caeterae caerimoniae (in baptismo clinici omissae) more ecclesiastico peragerentur. Nempe in baptismo peccata quidem remitti, sed per impositionem demum manuum ab *episcopo* factam *Spiritum Sanctum* conferri baptizatis existimabant catholici. Novatianus vero intellexisse videtur, apostolorum fuisse illam praerogativam, ut manuum suarum impositione Spiritum S. impertirent christianis; manus autem episcoporum

gisque corruperunt, et horrendis illis erroribus, qui postea totam latinam ecclesiam invaserunt, viam quasi straverunt. Nempe lapsis quibuscunque non solum poenitentiam dabant, h. e. ad poenitentium ordinem et classes varias eos admittebant, sed etiam, transacto tempore legibus praescripto, pacem i. e. solemnem absolutionem eis concedebant; eos vero, qui pacem hoc ordine nacti non essent, adeoque nec fideles, h. e. ecclesiae catholicae membra, essent, aeternae damnationi addicebant. Quo factum est, tum ut genuina de interna *μετανοια* doctrina mirum in modum obscuraretur et oblivioni fere traderetur, externis vero poenitentiae ecclesiasticae actibus, qui confessione ac satisfactionibus potissimum absolvebantur, maius indies pretium statueretur, ac prava hominum persuasio confirmaretur, qua talibus caerimoniis veniam peccatorum consequi se posse autuma-

---

destitutas esse vi ista atque efficacia apostolica. Atque hinc sine dubio derivandus etiam est Novatianorum mos, baptismum celebrandi absque chrismatis collatione. Nempe *physicam* illam gratiam, quam episcopus suis *manibus* impertire putabatur, ignorasse aut negasse videtur Novatianus. Vid. Dionys. alex. apud Eusebium H. E. l. 7. cap. 8. coll. Theodoret. haeret. fabul. libr. 3. c. 5. Quicquid sit, turbis quidem rempublicam christianam replevit Novatianus, nimis profecto erga lapsos *omnes* durus, et in coetus catholicorum, quos a vera ecclesia descivisse contendebat, iniurius; sed adversariorum suorum erroneas opiniones corrigere haud potuit, licet rectius quam catholici nonnullis de rebus sentiret.

bant; tum ut pudendus error, extra ecclesiam catholicam non dari salutem, consecraretur ac in numerum orthodoxorum dogmatum, quibus catholici ab haereticis seiunguntur, referretur.

Praeterea ideo etiam ad restinguendam praecipitem novandi libidinem conducit historia ecclesiastica, quia, dum alios eadem dudum protulisse testatur, id quasi aufert, quo fastus novaturientium praecipue pascitur. Quae enim ab aliis ante multa secula excogitata atque proposita iam fuisse scimus, ea, amissa novitatis gratia, minus vehementer animum nostrum abripiunt, nec fastui nostro tantopere blandiuntur, quam quae ipsi invenisse nobis videmur. Nostri enim ingenii foetus, eo ipso quod nostri sunt, nimis nobis placere, nec examini satis severo subiici a nobis solent; inventa vero aliorum, qui nullo propioris cognationis genere nos attingunt, accuratius diutiusque ante trutinamus, quam eorum defensionem in nos suscipimus. Denique eo quoque historia ecclesiastica nimiam nova sectandi cupidinem coercet, quod multos viros graves, pios, doctos verique amantes ob oculos nobis ponit, qui ea, quae ementita novitatis specie nobis sese commendant, utpote ipsorum aetate ab aliis iam prolata, non ignorarunt, et nihilo tamen minus ea repudiarunt. Cautos saltim ac circumspectos hoc facere nos debet, ne praepropere h. e. sine serio diuturnoque examine amplectamur opiniones, ab idoneis et incorruptis iudicibus iam ponderatas, sed reiectas.

II. Historia rerum in ecclesia christiana gestarum admonere nos potest, ne antiquiorum doctorum vestigiis nunquam non inhaerendum esse arbitremur, novaque omnia, hanc ipsam ob causam quia nova sunt et a priscis discrepantia, spernamus aut aversemur. Etsi enim a temerario novarum opinionum studio nos revocat atque absterret penitior ecclesiasticae historiae cognitio; eadem tamen nos invitat atque excitat, ut indefesso studio et continua omnium virium intentione audeamus et ipsi in commune consulere, et eo eniti, ut liberalis solida atque nostris temporibus et hominibus sapienter accommodata rerum theologicarum cognitio promoveatur, fidei nostrae dogmata in clariore luce magis magisque ponantur, et iustis obiectionibus ansa relinquatur nulla.

Primum enim, cum evidentissime ex historia ecclesiastica pateat, acroamaticam theologiam novis mutationibus quovis fere seculo obnoxiam fuisse, et, licet doctores anteriores optime, habita suorum temporum ratione, de systemate theologico meriti iam fuissent, semper tamen superfuisse aliquid posteriorum cura addendum, resecandum, expoliendum, et ad maiorem perfectionis gradum evehendum: valide inde colligitur, theologiae eandem esse rationem ac humanarum disciplinarum omnium, quae nova incrementa nunquam non admittunt; adeoque nec hodie deesse posse novorum et utilium studiorum in rebus theologicis opportunitatem. Sicut enim ii, qui, historiae ignari, idem hoc systema theologicum, quod in scholis hodiernis tradi solet, primo aut secundo

seculo iam exstitisse existimant, tam perfectum id esse credent, ut sine sacrilegio et impietate manifesta nihil in eo quicquam mutari possit: ita e contrario is, qui ex historia dogmatum, nobilissima ecclesiasticae historiae parte, fata et vicissitudines eruditionis theologicae cognitas habet, non facile desperabit, fore ut novis studiis novae utilitatis aliquid afferri queat cognitioni rerum ad religionem pertinentium doctae.

Deinde historia subindicat, quaenam sint eae eruditionis sacrae et systematis theologici partes, quae prae caeteris nova luce indigere videantur. Nam si e caussarum indole intelligi potest effectuum conditio, historia profecto, dum causas enarrat ob quas maiorem minoremve perfectionis gradum attigerit quaelibet theologicae eruditionis particula, non potest non eas quasi campi latissime patentis regiones designare, quae diligentiorem adhuc culturam desiderant. Accedit, quod non solum eas systematis partes ope historiae ecclesiasticae dignoscere discamus, quae obiectionibus praecipue ab adversariis quovis tempore impugnatae fuerint; verum etiam causas, cur adversariis istis non potuerit plenissime satisfieri, perspiciamus; id quod admonere nos potest, quanam in re diligentiam nostram utilissime collocare queamus.

Denique eo etiam historia ecclesiastica ad candidam et liberalem veri inquisitionem nos reddit aptiores promtioresque, quod ab innumeris nos liberat opinionibus praeiudicatis. Neque enim fieri potest, ut praepostera *antiquitatis* admiratione abripi se patia-

tur, qui non ignorat, tum quam mature ab apostolicae doctrinae simplicitate recesserint Christiani, tum etiam quam exiguis antiquiorum seculorum doctores subsidiis, sive ad sacrarum literarum interpretationem, sive ad philosophiam naturaeque humanae solidam cognitionem spectes, fuerint instructi. Neque magnorum nominum *auctoritate* nimis commovebitur et a proprii iudicii usu absterrebitur, qui istorum hominum imagines, quas historia ad vivum delineatas ob oculos nobis ponit, attento animo perlustravit. Sic v. c. conciliorum, oecumenicorum etiam, auctoritatem ullam admittet nemo, qui eorum acta et históriam diligenter perlegit, nisi forte omnem rationis iudiciique usum in rebus ad religionem pertinentibus penitus eiuraverit. Dudum quidem Protestantes abiecerunt vanam istam Patrum conciliorumque auctoritatem; sed vel hodie supersunt, nisi egregie fallor, haud pauci, qui, licet Pontificios ob admissam auctoritatem istam humanam acriter vituperare soleant, ipsi tamen auctoritatibus magis quam argumentis et rationibus iudicium suum regi patiuntur, et hanc potissimum ob causam nihil prorsus in disciplinis sanctioribus innovandum esse existimant, quia nefas sit a placitis tot magnorum hominum, sanctitatis doctrinaeque laude clarissimorum, discedere.

Tandem docet historia ecclesiastica, nihil debere Christianis esse pretiosius ac carius, libertate de rebus ad religionem spectantibus pro conscientiae suae sensu cogitandi ac statuendi. Haec libertas (quam ab effraeni licentia, contra religionem publice sancitam

quaevis moliendi, toto coelo differre nemo non intelligit) summae felicitatis, non privatae solum, verum etiam publicae, nunquam non parens fuit. Quid enim excogitari potest miserius servitute illa omnium teterrima, quae hominum intellectum et conscientiam aliorum arbitrio olim subiiciebat, et omnes ab unius ore pendere cogebat, nec quemquam sentire aut loqui permittebat secus, ac clericorum quorundam decretis definitum et antiquiorum doctorum auctoritate sancitum esset? Quid tristius esse potest sorte hominis, qui, quoties de rebus theologicis animi sui sensa candide, licet modeste nec coram imperita plebe, eloquitur, inquisitorem haereticae pravitatis et anathemata, verbera, carceres, exilium, imo ferrum et ignem timere debet? Quid vero ex indigna ista servitute consequatur, historia medii aevi abunde docet. Nempe enascuntur inde ignorantia, ignavia, stupor, superstitiones abominabiles et errores horrendi, efficiturque ut ingenia erectiora, cum omnia clericorum oracula credere aut nolint aut nequeant, credant nihil, et religionem christianam universam figmentis et piis fraudibus annumerent. Contra vero, si Christianis eo iure uti licet quod Paulus eis concessit, cum eos omnia quidem examinare, e cunctis vero optimum eligere ac retinere iuberet: studium veritatis indagandae perpetuo acuitur et novis semper disquisitionibus, utilitate nunquam carentibus, locus datur. Hac via eo tandem pervenitur, ut publicae doctrinae formula ab omnibus, levioribus etiam, naevis libera existat, et nihil omnino complectatur,

quod, sive ad thesium argumentum sive ad earum probationes spectes, veritati non sit prorsus consentaneum. Nec ulla res argumenta, quibus doctrinae nostrae veritatem comprobamus, luculentius confirmare potest, quam assensus tot virorum, vel ingenii acumine vel iudicii sagacitate praestantium, qui praevio severo examine et re multum cauteque pensitata, doctrinam hanc veram esse *ultro* suaque *sponte* fatentur. Imo paci etiam tam ecclesiae quam reipublicae, historia teste, optime consulitur, si ea de qua loquimur libertas, iustis cancellis sapienter limitata, hominibus concedatur. Nam si in causas inquirimus, cur bella atque dissidia, ob sententiarum de rebus sacris discrepantiam olim exorta, diuturna fuerint et utrique civitati funesta, deprehendemus profecto, culpam tantum non semper coniiciendam esse in nimiam et imprudentem eorum severitatem, qui ferre non possent, ut quisquam ulla in re ab ipsorum dissentiret opinione. Nimium studium conservandi promovendique fidei unitatem, saepissime novorum dissidiorum et schismatum causa fuit.

III. Historia ecclesiastica inservire potest molimibus eorum, qui novatores et reformatores novelli vulgo audiunt, sobrie ac moderate iudicandis. Primum enim, ut supra iam indigitavimus, pro novis et inauditis multa habentur perperam, quae dudum ab aliis in medium prolata fuisse, historia docet. Qui v. c. controversiam de modo, quo a Patre essentiam divinam habeat Filius, exigui *ad religionem ipsam* momenti esse existimant, sententiae suae patronum in

ipso litis arianae principio iam habuerunt Constantinum Magnum, qui in epistola ad Alexandrum Alexandriae episcopum et ad Arium scripta totus in eo est, ut ostendat, quaestionem inter utrumque agitatam admodum esse levem nec tanta contentione dignam; apud Euseb. vita Constant. M. Libr. 2. cap. 64. sqq. „Mihi quidem, inquit, de harum rerum (rixarum inter Arium et Alexandrum) initio atque origine accuratius cogitanti, levis admodum causa esse visa est, nec tanta animorum contentione digna. — Tales quaestiones (de aeterna Filii generatione, homousia etc.), quas nullius legis necessitas praescribit, sed inutilis otii altercatio proponit; licet ingenii exercendi causa instituantur, tamen intra mentis nostrae penetralia continere debemus, nec eas facile in publicos efferre conventus nec auribus vulgi inconsulte committere. Quotusquisque enim est, qui tantarum rerum tamque difficilium vim atque naturam aut accurate comprehendere aut pro dignitate explicare sufficiat? Quod si quis id facile consequi posse existimetur, quotae tandem parti vulgi id persuasurus est? Aut quis in eiusmodi quaestionum subtili et accurata disputatione citra periculum gravissimi lapsus possit consistere? — Neque de praecipuo et summo legis nostrae mandato inter vos est orta contentio; neque nova a vobis de Dei cultu introducta est αἵρεσις. Sed unam eandemque sententiam (nempe de rebus ad ipsam religionis summam pertinentibus) tenetis, adeo ut ad communionis societatem coire facile possitis.— De rebus parvis atque levissimis contenditis — Sci-

tis ipsos etiam philosophos unius sectae professione inter sese omnes foederari; eosdem tamen in aliqua assertionum parte interdum discrepare. — Plebeia sunt haec (dissidia et rixae ὑπερ μικρων οὑτω και μηδαμως ἀναγκαιων) et quae puerili magis inscitiae, quam sacerdotum et prudentium virorum sapientiae congruant. — Haec non eo dico, ut vos de inepta (λιαν εὐηθει) et qualiscunque demum vocanda est quaestione, idem omnino sentire cogam. Potest enim — una eademque inter omnes communio retineri, quamvis invicem de re aliqua minimi momenti dissentiatis. etc." Aliud addimus exemplum, huic haud absimile. Cum Eutychianae lites de naturarum in Christo unione per decreta concilii chalcedonensis componi haud potuissent, sed essent nonnulli qui doctrinam in concilio stabilitam reprobarent, et novis controversiis ac tumultibus, Alexandriae praecipue, occasionem praeberent: Leo Imp. literis ad maiorum urbium episcopos datis, iussit ut suarum dioecesium episcopos convocarent, rescriberentque quid de concilii chalcedonensis abrogatione aut confirmatione, et de turbis Alexandriae exortis, ipsis videretur. Pamphiliae igitur episcopi quatuordecim (in Actis Concil. edit. Harduini tom. 2. p. 731.) respondent Imperatori, suscipere se definitiones concilii chalcedonensis veluti scutum contra haereticos, non vero tanquam fidei regulam, quae, velut μαθημα quoddam sive symbolum, baptizandis omnibus tradi debeat, et a qua nemini Christiano, sub poena anathematis, recedere liceat; celeberrimam enim Leonis M. ad Fla-

vianum epistolam a chalcedonensibus patribus adprobatam, immo ipsa synodalia chalcedonensium decreta, non spectare ad *plebem* christianam, sed tantum ad sacerdotes et *clericos*, et polemicis contra adversarios usibus destinata esse; nihil differre, sive Christus existere dicatur in duabus sive ex duabus naturis; perinde etiam esse, sive duarum naturarum unitas inconfusa asseratur, sive una dicatur Verbi natura, scilicet incarnata; retinenda igitur sibi videri quidem statuta chalcedonensia, sed optare se tamen, ut publice a Leone caeterisque chalcedonensium formularum auctoribus declaretur, decreta illa non habere vim atque auctoritatem symboli sive μαθηματος (i. e. non esse ea omnibus omnino Christianis *inculcanda*, quasi ad ipsam christianae religionis summam pertinerent;) esse ea haereticae tantum pravitatis increpationem etc. Quod de arianis litibus Constantinus, et de eutychianis Pamphilienses iudicarunt, idem fere de pelagianae controversiae momento sensit Zosimus, Ep. Rom. Postquam enim Pelagius et Caelestius non solum a tribus africanis conciliis dudum, sed nuper etiam ab Innocentio romano episcopo damnati essent, Zosimus Innocentii successor Caelestii causam novo examini subiiciendam esse, epistola ad Africanos data, indicabat, et simul quid de quaestionum inter Pelagii asseclas atque Africanos disceptatarum pondere sentiret, declarabat. Caelestium, inquit, et quoscunque qui eo tempore ex diversis regionibus aderant sacerdotes admonui, has *tendiculas quaestionum* et *inepta certamina*, quae *non aedificant sed magis de-*

struunt, ex illa *curiositatis contagione* profluere, dum unusquisque ingenio suo et intemperanti eloquentia seu scriptura abutitur etc. — Qui tales sententias isto tempore latas iam fuisse non ignorat de momento controversiarum, quae de divinitate Iesu Christi naturarumque eius unione aliisque rebus inter Christianos agitantur, ia haudquaquam rei quasi novitate, si forte a nonnullis similia fere hodie proferri audiat, percelletur, sed absque ulla vehementiori commotione aut animi perturbatione verum pacate placideque investigabit. De plerisque autem, quae hodie inter theologos controversa sunt, olim in utramque partem disputatum iam fuisse, norunt omnes qui in historia sacrarum contentionum non prorsus hospites sunt. Nolo iam ad lites provocare cum Socini et Arminii asseclis agitatas, cum exemplis ex antiquiore Christianorum historia desumtis assertio nostra abunde illustrari queat. Valde v. c. displicuerunt viris doctis nonnullis, quae de beatitudine ethnicis neutiquam abiudicanda a theologis nonnullis nostra aetate disputata sunt. Sed Clemens, doctissimus ille alexandrinae ecclesiae presbyter, iam sub finem secundi seculi non solum eadem de aeterna paganorum salute docuit, verum longe etiam magnificentius, quam recentiores gentilium defensores, de philosophis ethnicis locutus est. Stromatum libro I. p. m. 282 (edit. Paris. 1629.) Sicut Hebraeos, inquit, lex, ita Graecos philosophia ἐπαιδαγωγει εἰς χϱιστον. Libro 6. p. 637. et libr. 7. p. 702. et 705. a Deo Graecis s. gentilibus philosophiam, Iudaeis vero legem datam fuisse docet. Libro autem 6. pag. 635.

sqq. coll. p. 648. Graeci, inquit, norunt Deum non κατ ἐπιγνωσιν sed κατα περιφασιν; Graecis proprium *testamentum* (διαθηκην οἰκειαν, nimirum philosophiam,) dedit Deus; sed testamenta, Graecis et Iudaeis olim data, iam sunt παλαια, novumque datum est Christianis, καινως και ΤΡΙΤΩι γενει Deum colentibus; unus igitur solus Deus a Graecis graece (s. ab ethnicis ἐθνικως) a Iudaeis iudaice, et a Christianis novo ac spirituali modo cognoscitur et colitur; quemadmodum Iudaeos salvos facere (σωζεσθαι) voluit Deus, mittens eis prophetas: ita etiam ἑλληνων τους δοκιμωτατους, οἰκειους αὐτων τῃ διαλεκτῳ ΠΡΟΦΗΤΑΣ ἀναστησας, — των χυδαιων ἀνθρωπων διεκρινεν. Similia fere habet Iustinus Martyr. apolog. I, 46. Christus, inquit, est ratio illa (λογος), *cuius* universum genus humanum particeps est. Qui rationi convenienter (μετα λογου) vixerunt, Christiani sunt, etiamsi athei existimati sint; quales apud Graecos fuere Socrates et Heraclitus etc. Mitto alia vetustiorum Patrum eiusdem generis et argumenti loca, ut luculentiori adhuc exemplo ostendere possim, quam antiqua interdum sint ea, quae inaudita plane et nostro seculo propria multis videntur. Multi novum hominum genus nuper exortum esse sibi persuadent, religioni christianae longe nocentissimum. Naturalistas christianos appellitare solent. Hos ipsa Christianismi fundamenta evertere, et vix, praeter nomen, quicquam quod christianum sit, retinere narrant. In primis vero vitio vertitur istis Naturalistis (si placet nomen) christianis, quod omnia religionis

nostrae divinitus revelatae dogmata ad normam rationis humanae exigere conentur, et nihil, quamvis manifeste in sacris litteris traditum videatur, admittere velint, nisi ipsi etiam rationi pervium sit atque planum. Sed qualecunque demum illud hominum genus sit, (eius enim rei indagatio huius loci non est) sua saltim *novitate* nemini terrorem iniicere debet. Nam ineunte tertio post Christum natum seculo extiterunt inter doctores Christianorum celeberrimos nonnulli, qui non solum eadem fere docerent, quae ab his, quos christianos Naturalistas dictitari audio, hodie proferuntur, verum longe etiam ulterius in revocandis ad rationis normam dogmatibus christianis progrederentur. Omnium instar esse potest Origenes, qui, si quis unquam, universam non solum Scripturae S. interpretationem, sed ipsam etiam dogmatum christianorum expositionem, rationis ac philosophiae iudicio permisit, et omnes intendit nervos, ut haberemus (ut ipse ait apud Hieronymum comment. in Gal. 5.) *fidem rationabiliorem*, nec dubitavit, quin omnes sacrarum literarum loci, sive historici sive morales ac dogmatici, quorum sensus literalis non satis cum rationis humanae placitis convenire aut inutilis Deoque minus dignus videbatur, nullum omnino habeant sensum literalem, sed mystice s. allegorice explicandi sint. Huius generis locos innumeros fere invenisse sibi videbatur Origenes, non in Veteri tantum Testamento, verum in Novo etiam, immo in ipsis Salvatoris nostri effatis apostolorumque epistolis. Sed brevitatis causa provoco tantum ad homil. 7. in Levitic. ubi

§. 6. de lege mosaica: *si adsideamus*, inquit, *literae, et* — (literaliter) — *accipiamus quae in lege scripta sunt, erubesco dicere et confiteri, quia tales leges dederit Deus. Videbuntur enim magis elegantes et rationabiles hominum leges v. gr. vel Romanorum vel Atheniensium vel Lacedaemoniorum etc.* Allegorice igitur hasce leges explicandas esse putabat. Quid vero generatim de historicis S. S. libris existimaverit Origenes, malumus, ne rem exaggerare forte videamur, Moshemii verbis quam nostris exponere. „Existimavit Origenes 1) *multas quidem historiae sacrae partes meras esse fabulas;* at eas tamen non unius, verum duplicis esse generis: alias omni prorsus veri et verisimilitudinis specie carere, seu ex illis esse, quae fieri nullo modo possunt; alias veri quidem habere speciem et fieri propterea potuisse, nec tamen unquam contigisse. 2) Quasdam historiae sacrae partes, si generatim spectentur, veras esse; at his tamen *interserta esse nonnulla veri nescia seu ficta.*" Commentar. de rebus Christ. ante Const. M. p. 650. Et paulo ante p. 635. dixerat Moshemius: „Philosophiae suae praeceptis quum multa sacri codicis *enuntiata* et *facta* repugnare videret, necesse erat, ut rationem quaereret lucem et vim eorum effugiendi; neque aptiorem et faciliorem inveniebat quam hanc: *Quicquid in divinis libris a ratione, i. e. a philosophiae meae lege abhorret, id secus intelligi debet, quam verborum potestas poscit, et in allegoriam convertendum.*" Quibusnam vero fundamentis dogmaticam theologiam superstruxerit Origenes, iterum Moshemii potius verbis quam nostris narrare lubet.

„Omnia Origenis in christianam religionem peccata veluti e capite suo ab hoc manant praecepto, quod extra disceptationem positum putat: *religionis christianae et rationis sive verae philosophiae tanta est cognatio et necessitudo*, ut OMNIUM *dogmatum Christianorum non modo* RATIO *reddi possit ex philosophiae decretis, verum etiam* MODUS *determinari.*“ ibid. p. 622. Atque sic profecto res sese habet. Qui Origenis scripta (praesertim libros περι ἀρχων, homilias in libros mosaicos, et libros adversus Celsum) attento animo perlustravit et quo omnia tendant sedulo animadvertit, is vix novi quicquam inveniet, si finita Origenis lectione ad famosissimum illum librum: *Philosophia scripturae interpres*, aut alios huic similes, accedat. *)

*) Ne quis existimet, Origenem isto tempore solum talia tradidisse, monendum est, scriptores christianos seculi 2. 3. et 4. plerosque eundem fere calcasse tramitem. Non enim ex ipso sacrarum literarum fonte hauriebant fidei nostrae dogmata, sed, perceptis *ex ecclesiastica traditione* (ut cum Origene loquamur) doctrinarum maxime palmariarum elementis, caetera e philosophiae suae decretis supplebant; Scripturam autem sacram eatenus tantum in auxilium adhibere solebant, ut formulas modosque loquendi mutuo inde acciperent, suaque placita sacri codicis testimoniis, misere plerumque detortis, utcunque confirmarent. Sic v. c. Christum esse Deum, uno ore omnes profitebantur; sed Deitatem eius sibi fingebat quisque pro philosophiae suae ratione, et ad philosophiae huius placita Scripturae effata, quantum poterat, accomodabat; donec, exortis super hoc dogmate variis controversiis, paulo curatius quid ea de re sacrae literae decernerent, indagari coepit. Sed redeamus

Verissimum igitur est, multa satis esse antiqua, quae ficta novitatis specie plerorumque animos tam vehe-

---

ad Origenem. Quantae lites de orthodoxia huius viri motae fuerint, et quam feroces nactus sit ac immites adversarios, omnibus notum est. Nihil intentatum hi reliquerunt, ut optimo viro, dudum defuncto, odium conflarent, haereseos maculam ei adspergerent, eiusque libros pestilentissimorum errorum plenissimos esse, aliis persuaderent. Supersunt satis multi catalogi errorum origenianorum Sec. 3. 4. 5. et 6. a variis hominibus confecti. Sed in nullo horum catalogorum Naturalismi (ut hoc utar vocabulo) sive Rationalismi accusatur. Damnabant quidem haud pauci allegoricam eius interpretandi rationem; unde Pamphilus iam in apologia sua Origenem defendendum esse censuit contra reprehensionem eorum, qui *universam* Scripturam in allegoriam ab eo converti clamabant. Erant etiam nonnulli, qui recte intelligerent, errores origenianos manasse e philosophicis ipsius placitis; et hanc ipsam ob causam Plato (a quo errores suos mutuo accepisse putabatur Origenes) e scholis theologorum inde a sexto seculo sensim exulare iussus, eiusque in locum Aristoteles surrogatus est. Itaque philosophiam *Origenis* damnabant quidem istorum seculorum doctores; ipsum vero philosophiae in enucleandis dogmatibus theologicis usum neutiquam reprobarunt, nec arcem causae origenianae oppugnarunt. Refutandum nimirum inprimis fuisset hoc Origenis placitum: dogmatum christianae religionis omnium e philosophia et rationem reddi et modum determinari posse. Cum vero hanc thesin ex innumeris istis Origenis adversariis, quod sciamus, impugnaverit nemo, non sine ratione dixisse videmur, hanc dogmata christiana tractandi methodum aliis etiam praeter Origenem isto tempore arrisisse, quamvis *singulares* quasdam Origenis opiniones

menter percellunt, ut omnem fere placidi candidique examinis facultatem ipsis adimant.

Praeterea eximiam historia ecclesiastica utilitatem praebet in iudicando dogmatum *συστηματι* publice

---

vituperarent et *nimium* allegoriarum amorem in eo reprehenderent. Hoc autem si concedere nolimus, fateri cogemur, *omnes* doctores Sec. 3. 4. 5. et 6. adeo hebetes fuisse, ut fontem errorum Origenis omnium detegere non possent, licet vix quemquam libros origenianos, immo solam praefationem librorum περι ἀρχων, legentem latere queat. Mihi quidem, ut mentem meam ingenue profitear, certissime persuasum est, plerosque Origenis adversarios fuisse homines ineptos atque plumbeos; atque hos totius controversiae cardinem ignorasse facile credo. Sed fuerunt etiam nonnulli, quamquam pauci, Origenis adversarii, quos eruditos et sagaces fuisse nemo negabit. Hi igitur, cum rationalismum nunquam obiecerint viro, quem quovis modo opprimere et exosum reddere studebant; consequi hinc videtur, hos ipsos vel non immunes fuisse ab hac rationalismi labe, vel errorem hunc annumerasse levioribus, reprehensione vix dignis. Idem, ni fallor, dicendum erit de multis viris doctissimis, caeteros coaevos suos eruditione longissime superantibus, qui Origenis libellos supra omnem modum admirati sunt, eosque cunctis fere aliis libris post apostolorum tempora scriptis anteposuerunt. Nam credibile non est, ignorasse doctiores hos Origenis sive sectatores sive adversarios, cuinam fundamento superstructum sit universum systema origenianum. Multo enim plura, quam nos, Origenis scripta graece legere poterant; horum sensum plenius ac facilius perspiciebant quam nostri homines; eidem philosophiae generi adsueti erant; imo multi vel Origene ipso vel auditoribus eius usi fuerant magistris.

inter nos recepto; quae res maximi momenti est ad rite aestimandos eorum conatus, qui ab isto doctrinae typo aliqua ex parte discedunt. Historia enim magistra discimus

1) praecipua quidem religionis christianae capita, si rem ipsam spectes, inde a primis post restitutam hominibus salutem seculis sat nota fuisse, et, inter catholicos saltim, absque notabili mutatione fideliter propagata esse: accuratiores autem istarum rerum descriptiones mirifice pro temporum ac locorum diversitate, variasse. Inde a primordiis Christianismi, ut hoc utar exemplo, omnes magno consensu, praeeunte scriptura sacra, profitentur, peccata hominibus a Deo condonari propter Christum, et quidem propter mortem quam pro nobis subiit cruentam. *Sed in definiendo rei huius modo*, in exponenda redemtionis officiique mediatorii, quo Christus functus est, indole, et in determinanda ea ratione, quam habuerit mors Christi ad peccatorum nostrorum remissionem felicitatisque amissae instaurationem, tam segnes fuerunt trium priorum seculorum doctores, ut plerumque sola scripturae s. verba, nulla adiecta explicatione, repeterent. Interim tamen non solum ex iis locis in quibus paulo fusius hac de re loquuntur, sed etiam e libris posteriorum doctomm, manifestum est, varias olim fuise et admodum inter se discrepantes variorum ex ipso catholicorum numero sententias. Nonnulli per Christum ab aeterna mortis duratione liberatos nos esse putarunt, alii peccatorum tantum ante baptismum commissorum, alii solius peccati origina-

lis veniam per Christi mortem partam esse autumarunt; erant, qui diabolis etiam, aliisque creaturis salutarem fuisse Christi mortem opinarentur; quidam sanguinem martyrum effundi suspicati sunt ad expiandum aliqua ex parte populum redimendosque homines; absque dolorum sensu Christum subiisse mortem statuerunt nonnulli, a nostra doctrina profecto alieni; multi post mortem omnes, quamvis pios, homines igne a peccatis purgandos expiandosque esse statuerunt; alii alia commenti sunt. Nec defuerunt inter veteris ecclesiae doctores, qui a Socinianorum placitis propius abessent, et provinciam Christi vix ultra doctrinae coelestis pleniorem declarationem, immortalitatis spem restitutam, atque exemplum perfectae virtutis hominibus exhibitum extenderent. In primis vero commemoratione digna est mirabilis illa quamplurimorum patrum orthodoxiae laude clarissimorum tam graecorum quam latinorum opinio, quae plura per secula longe lateque, paulo aliter tamen ab aliis exornata, regnavit: Christum non Deo Patri, sed diabolo, cuius imperio iusto ac quasi legitimo homines subiecti essent, redemtionis pretium solvisse; non solum victum esse diabolum et regnum eius (qua de victoria multi scriptores vetustiores mirum quantum ineptiunt,) verum deceptum etiam et circumventum esse a Christo diabolum, Salvatoris personam ac provinciam ignorantem, quadam quasi fraude pia hominibusque salutari. *) Figmentum hoc vix ac ne vix

*) Uberius hanc rem explicuimus in diss. quam inscri-

quidem conciliari posse cum veriori nostra de peccatis hominum Salvatori imputatis et satisfactione Deo praestita, sententia, nemo est quin intelligat. Et hoc tamen commentum aperte traditum legimus in scriptis (ut e multis aliquos saltim eosque celebriores nominatim excitemus) Origenis, Basilii, Gregorii nyss. Hilarii pict. Paciani, Augustini, Leonis M. Ambrosiastri s. Hilarii et Isidori hispalensis; quibus addi possunt, ex parte saltim cum his consentientes, Ignatius, Irenaeus, Gregorius naz. Epiphanius, Athanasius (seu quisquis auctor est sermonis perquam invenusti, quamquam a nonnullis nostra etiam aetate laudati, de passione et cruce Domini,) et Gobarus, qui teste Photio ex instituto tractavit quaestionem, *utrum* Christus λυτρον Deo Patri an diabolo *persolverit*. Equidem neminem Chrysostomo et Augustino (qui tamen non ubique sibi constat, et libr. 13. de trinit. aperte scribit: In redemtione tanquam *pretium* pro nobis datus est sanguis Christi, *quo accepto diabolus* non ditatus est, sed ligatus etc.) antiquiorem novi, qui meliorem nostram doctrinam paulo enucleatius exposuerit; satis accurate autem vix ante Scholasticorum (varios tamen dogmati huic errores admiscentium) tempora a quoquam delineatam invenies. Ego vero satis mirari vix possum, quid sit, quod per tot

---

psimus: Loci theologici e Leone M. collecti. Halae 1768. p. 71.-83. Confer etiam S. R. Doederlein dissertt. 2. de redemtione a potestate diaboli. Altdorfi. 1774. praesertim part. 2. p. 11.

secula tot hominibus impune nemineque intercedente licuerit, praecipuum hoc fidei nostrae, de *officio* Christi mediatorio et partis per eum humano generi beneficiis, dogma variis ac gravibus sane erroribus obscurare atque commaculare, cum eodem tempore nemo de *persona* et *naturis* Salvatoris, imo de aliis etiam doctrinis cum fidei fundamento minus arcte coniunctis, vel latum unguem ab orthodoxa fide recedere posset, quin haereseos statim accusaretur et anathematibus undequaque configeretur. Pelagianis quidem vitio vertitur ab Augustino, quod ideo naturam humanam dicant liberam et salvam, ut superfluum iudicent liberatorem et salvatorem; sed accusationem hanc leviter tantum tangit acerrimus Pelagianorum adversarius. Ac verum quidem est, Pelagianos non potuisse non doctrinam de redemtione, praesertim parvulorum, paulo aliter informare quam solebant ipsorum adversarii; cum enim parvulos omni, tam proprio quam alieno, peccato carere statuerent, Christum poenas pro peccatis infantum luisse aut parvulos ex potestate diaboli redemisse, negare omnino debebant. At ipse tamen Pelagius expiatos esse homines per sanguinem Christi firmiter tenuit, et ad infantes quoque redemtionem pertinere, quamvis alio quam ad adultos modo, docuit. Primus nobis occurrit Abaelardus Seculo 12, cui haereseos nota inusta fuit ob hanc (sed non solam; aliorum enim errorum atrocium simul accusabatur) causam, quod docuerit: Christum non ideo assumsisse carnem, ut a diaboli

iugo nos liberaret. *) Quo vero cumque modo res sese habeat cum Pelagianis et Abaelardo, ex eis quas

---

*) Abaelardus quidem in Apologia s. Confessione sua aperte profitetur: *incarnatum esse filium Dei, ut nos a servitute peccati et a iugo diaboli liberaret, et supernae aditum vitae morte sua nobis reseraret;* et Berengarius, Apologetico pro Abaelardo scripto, hunc non solum defendere conatus est, sed in adversarios etiam eius, praesertim Bernardum, sanctulum sycophantam, false atque perquam acerbe invectus est; nec aliae desunt causae, cur iniuste eum damnatum fuisse opinari liceat. Ac mihi quidem duabus potissimum rebus, quod ad hanc accusationis partem attinet, Abaelardus ab aliis dissensisse videtur atque statuisse: a) nec opus esse, nec fieri posse, ut redemtionis per sanguinem Christi *necessitas* demonstretur; potuisse enim Deum alium etiam redemtionis modum, si ita sapientiae ipsius visum fuisset, reperire; atque hac in re vel ipse Bernardus ei assentitur; b) vanam esse istam plerorumque doctorum opinionem de iusto quodam diaboli in homines dominio, et redemtione ex hac servitute per λυτρον diabolo solutum; nec veritati consentaneam esse vulgarem illam, de pugna Christi cum cacodaemone inita, plerorumque Patrum insipidam narrationem. „Sciendum est, ait Abaelardus, quod omnes doctores nostri post apostolos in hoc conveniunt, quod diabolus *dominium* et potestatem habebat super hominem et *iure* eum possidebat. — Ideo, sicut dicunt doctores, hac *necessitate* incarnatus et filius Dei, ut homo, *qui aliter liberari non poterat*, per mortem innocentis *iure* liberaretur a iugo diaboli. Sed ut nobis videtur, nec diabolus unquam ius aliquod in homine habuit, nisi forte Deo permittente, ut carcerarius; nec filius Dei ut homines liberaret (sc. ab *hoc* iugo) carnem assumsit.“ His potissimum verbis nititur accusatio Bernardi in epistola ad Innocentium

hactenus diximus satis superque constare arbitramur, sententias antiquiorum doctorum de redemtionis et

---

P. R; hisque prolatis, pergit Bernardus, celebratissimum illud sanctitatis pietatisque exemplar: *Annon iustius os loquens talia* FUSTIBUS *tunderetur, quam rationibus refelleretur?* (digna tali sancto vox!) Ac deinceps, Abaelardum refutaturus, eam quae verior ipsi videbatur sententiam ita exponit: „Hoc diaboli quoddam in hominem ius, etsi non iure acquisitum sed nequiter usurpatum, iuste tamen permissum. — Iuste igitur homo addictus, sed misericorditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non defuerit iustitia quaedam et in ipsa liberatione; quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut — IUSTITIA *magis* CONTRA INVASOREM (diabolum) *quam potentia uteretur.* Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam iustitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus diaboli? Assignata est ei proinde aliena qui caruit sua, et ipsa sic est. Venit princeps huius mundi, et in Salvatore non invenit quicquam „ et *cum nihilominus Innocenti manus iniecit*, iustissime quos tenebat omisit. — Qua enim iustitia id secundo exigeretur homo? — Nam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt:- ut videlicet *satisfactio* unius omnibus *imputetur*, sicut omnium peccata unus ille portavit etc.“ Ex his, ni fallor, tam Bernardi quam Abaelardi de redemtione hominum sententia facili negotio erui potest; praesertim si addantur quae ibidem narrat Bernardus: docere Abaelardum, potuisse Deum iure ac *sine diaboli iniuria* profugum suum, (i. e. hominem) si misereri vellet, repetere et *solo verbo* eripere. Caeterum, utrum recte omnino de redemtione senserit Abaelardus, an revera docuerit, quod Bernardus et Gaufridus antissiodor. eum docuisse tradunt, „redemtionem in hoc solo constare, quod exemplum nobis exhibitum sit usque ad mortem pro veritate et iusti-

satisfactionis modo tum varias fuisse et inter se dissidentes, tum ab accuratiore nostrae ecclesiae doctrina haud parum discrepantes; licet phrases, quibus Scriptura Sacra redemtionem per Christum factam describere solet, in scriptis Patrum antiquiorum omnium satis frequenter occurrant. Sed nos non ex auctorum, qui fidei aliquod caput luculentius tractare coeperunt, aetate aut numero aut fama dogmatis veritatem metimur, sed ex solius Scripturae effatis eam iudicamus. Interim tamen illustratio ex historia dogmatum petita eo conducit, ut facilius et rectius pronuntiare possimus de eorum sententiis, qui vel certum quendam explicandi aliquod dogma modum impugnant, vel hunc cogitandi modum liberum esse, nec ad christianae religionis fundamenta pertinere, contendunt. *Nempe* vel contra manifestum historiae testimonium sta-

---

tia certandi, adhibitumque sit velut quoddam incentivum amoris, cum ex impenso amore occasio daretur redamandi"; id quidem altioris est indaginis et ab instituti nostri ratione nimis remotum. Sed dubitare saltim licet. Conferenti enim Abaelardi Introductionem in theologiam cum Bernardi accusationibus nullum dubium superesse potest, errores saltim circa Trinitatem Abaelardo imputatos et verbosa declamatione a Bernardo exagitatos debellatosque putidas esse nugas atque calumnias. Sed erat ex isto hominum genere Bernardus, qui eo longius latiusque diffusuros se esse sperant sanctitatis suae odorem, quo studiosius larvam induunt propugnatorum orthodoxiae et instauratorum fissurarum Sionis, quoque impudentius aliorum, praesertim eruditione praestantium, virorum famae detrahunt.

tuendum erit, orthodoxos antiquiorum temporum doctores eundem omnes tenuisse in explicandis palmariis dogmatibus modum; vel fateri nos oportebit, *inde a secundo seculo* usque ad sacrorum per Lutherum instaurationem, veram salvificamque Christi doctrinam, quoad multas nobilissimas maximique momenti partes eius, penitus fere ignoratam et inter ipsos catholicos doctores vix uni et alteri cognitam fuisse; vel denique concedere debebimus, rei summam salvam saepe posse manere atque eandem, quamvis modus eam informandi aut causas eius reddendi non sit unus idemque. Attamen alius eam cogitandi modus praestantior est et Scripturae S. convenientior, hinc verior, alio. Quare in his etiam rebus summa quantum possumus cura errores omnes evitare studebimus; errantes vero non statim ipsam christianam religionem evertere aut aeternae salutis suae indubiam iacturam facere, audacter pronuntiabimus. Pluribus exemplis quae hactenus dicta fuerunt, porro illustrari possent atque confirmari; e multis unum addere licebit. Corruptos esse homines atque in vetita niti, nec absque divino auxilio ad virtutis culmen, christianam pietatem, pervenire eos posse, nemo negavit unquam. Sed corruptionis modum, originem, gradum et ambitum, (utrum, et quo sensu, infantes etiam corrupti sint,) ac gratiae qua hominibus opus sit divinae indolem, non uno modo descripserunt doctores christiani inde ab antiquissimis temporibus. Luce sane meridiana clarius est, sub ipsa Pelagianismi initia divisas iam fuisse ecclesiasticorum virorum

sententias. In Africa dudum floruerat ille doctrinae typus, quem Augustinus Pelagii placitis postea opposuit. Graecorum contra permulti parum aberant a Pelagii sententia, a qua etiam alii latini, graecarum literarum haud rudes, v. c. Hilarius pictaviensis, Rufinus etc. non abhorruerant. Roma denique mediam quasi viam tenuisse videtur. Hinc Pelagio Romae degenti ac docenti nemo Romanorum se opposuit; ut primum vero cum Caelestio in Africam devenisset, et talia in medium protulisset, quae dissiderent ab ea doctrina cui Africani assueverant, gravissimorum errorum accusatus fuit. Zosimus, episcopus romanus, Pelagium absolvit, licet hic in libello Papae oblato claris verbis peccatum cum homine nasci negasset, doctrinamque de traduce peccati tanquam longe a catholica fide alienam reprobasset. Tandem, cum iam ab Imperatore leges contra Pelagianos latae essent, vix, iteratis Africanorum admonitionibus et instigationibus, persuaderi Zosimo potuit, ut Pelagium damnaret. Graeci vero ne post pelagianas quidem lites eo adduci potuerunt, ut omnia Africanorum placita, a latinis publice recepta, in eorum dogmatum numerum referrent, quibus orthodoxa fides aestimatur. Immo ipse etiam Augustinus in libris suis ante pelagianas turbas exaratis, e. gr. de libero arbitrio, de duabus animis, aliisque nonnullis, haud pauca scripsit, quae Pelagiani postea non sine magna specie in suos usus contra Augustinum ipsum converterunt; quam ob causam primo Retractionum libro commoda interpretatione variisque distinctioni-

bus subveniendum esse censuit istis suis sententiis, ne pelagiano dogmati quodammodo favere viderentur. Severo autem arbitro istas excusationes satis esse facturas vix credimus.

2) Postquam plura per secula haec de rebus theologicis arbitrandi libertas ita locum habuisset, ut non solum in eadem provincia, diverso tempore, diversae sententiae valerent, sed etiam eodem tempore contrariae opiniones, diversis in locis, receptae essent: tandem de plerisque doctrinae capitibus leges sensim promulgatae sunt ecclesiasticae, quae, quid credendum et quaenam phrases ac descriptionis formulae a catholicis Christianis omnibus adhibendae sint, definiebant. Latae hae sunt, sub auspiciis maiorum episcoporum, in conciliis, per suffragia clericorum ad synodum evocatorum, hominum maxima ex parte indoctorum et servilium, qui ab ore atque nutu maiorum quorundam episcoporum pendebant. Synodalia vero decreta ab Imperatoribus rata haberi ac legibus civilibus confirmari solebant. Quo facto tanta eorum erat vis atque auctoritas, ut nemini a norma fidei, a patribus concilii praescripta, discedere liceret. Ut primum enim secus aliquem sentire compertum erat, haereticis accensebatur, et poenis tam ecclesiasticis quam civilibus subiectus erat. Quoniam vero conciliis convocandis et dogmatibus definiendis occasionem tantum non semper praebebant lites dogmaticae nuper exortae; hae autem non raro spectarent ad res levioris momenti nec cum fundamento et summa christianae religionis coniunctas: fieri non potuit quin

haereseos rei agerentur interdum ii, qui non nisi in rebus admodum exiguis a doctrina publice stabilita abhorrerent. Quicquid enim ecclesiastica auctoritate definitum erat, id, qualecunque esset, sacrosanctum putabatur atque immutabile. Interim de doctrinis sat multis atque gravibus nihil praeceperat conciliorum auctoritas. De his igitur unicuique liberum erat, prout vellet, statuere; quo iure liberaliter usos esse scimus Scholasticos plerosque. Cavere tamen sibi solebant prudentiores, (nisi forte gratia aut potentia tantum pollerent, ut vanam episcoporum iram, aliis metuendam, contemnere possent,) ne vel nimis confidenter quicquam contra unanimem eorum Patrum, quorum maxima erat auctoritas, sententiam decernerent, vel contra geographiam, ut ita dicam, dogmaticam peccarent. Fieri nempe poterat, ut in altera dioecesi inaudita essent et heterodoxa viderentur, quae in altera satis usitata essent. Si quis igitur ex altera provincia in alteram inferre auderet opiniones illic quidem receptas, sed hic loci inusitatas, horrenda bella ciebantur et novis episcoporum definitionibus occasio praebebatur. Exemplo res fiet clarior. In decretis concilii nicaeni sancitum quidem erat, Iesum Christum, Dei filium, esse Deum verum, aeternum, Patri consubstantialem, et ex huius essentia genitum. De his igitur omnibus consentire oportebat catholicos omnes. Sed de duabus Salvatoris nostri naturis, de quibus nulla hactenus mota fuerat controversia, nihil decreverant Patres nicaeni. Hinc in alexandrina aliisque dioecesibus multi solebant *unam* tantum

φυσιν seu naturam Christo tribuere. Alibi vero, e. gr. Constantinopoli, dogma de *duabus* Servatoris φυσεσι communi usu receptum erat. Diu locum habuit hoc sententiarum discrimen, quarum neutra haeretica putabatur; utriusque enim patroni nicaenis et aliis contra Photinianos et Apollinaristas decretis assentiebantur, et Christum *verum Deum* esse atque *verum hominem* profitebantur; sed *modum* quo divinitas humanitatem sibi iunxerit, varie, nec iisdem phrasibus, describebant. Alii ἑνωσιν, alii συναφειαν nominare solebant. Φυσιν ab ὑποστασει discernebant nonnulli; sed alii utramque confundebant. Tandem vocabulum Θεοτόκος diris atque cruentis bellis locum dedit. Nonnulli constantinopolitani utebantur hoc vocabulo; alii eiusdem urbis clerici, quibus ipse urbis Patriarcha, Nestorius, sese adiungebat, vocabuli usum reprobrabant, quia Ariani ac Apollinaristae ad stabiliendos suos errores eo facile abuti posse ipsis videbantur. Cum vero Nestorius sententiam suam satis bene declarasset, potuisset, ni fallimur, intestinum istud dissidium satis facile ac cito componi, nisi *aliarum dioecesium* patriarchae, contra ius fas, constantinopolitanorum litibus intempestive sese immiscuissent; politicis procul omni dubio rationibus ducti, ne scilicet Novae Romae patriarcha ad summum ecclesiasticae auctoritatis fastigium sensim assurgeret. Itaque, favente *Romano* episcopo, *alexandrinus* patriarcha, Cyrillus, (ferocis ingenii homo et doctrinae de naturarum ἑνωσει, immo de *una* φυσει assuetus,) Nestorium, quasi duo προσωπα et duos Filios statue-

ret, aggressus est eumque, nefandis profecto artibus, vicit, atque effecit ut in concilio ephesino damnarentur. Sed hic Cyrilli, sive *Alexandrinorum* de *Constantinopolitanis* triumphus novis et atrocioribus fere bellis locum dedit. Etsi enim Catholici omnes eos errores, quorum, licet falso, Nestorium insimulaverat Cyrillus, damnabant, pristina tamen opinionum diversitas perdurabat. Nempe Patres ephesini nondum distincte satis pronuntiaverant, quaenam de naturarum unione phrases vel orthodoxae essent vel haereticae. Inde factum est, ut multi, *orientales* praecipue, a phraseologia Cyrilliana sive *alexandrina* vehementer abhorrerent, et Cyrillum cum asseclis suis heterodoxiae suspectum reddere conarentur. Alii autem, nimii Cyrilli admiratores, *alexandrinum* hunc *παιδειας τροπου* pertinaciter defendebant, eundemque caeteris omnibus *aliarum dioecesium episcopis* obtrudere vehementer cupiebant. Nimirum *constantinopolitanus* clerus, si a monachis et forte aliis paucis discedas, a sententiis cyrillianis sive *alexandrinis* alienior erat, et *orientalibus* episcopis, Cyrilli adversariis, haud obscure favebat; haud immemor, ut videtur, iniuriae a Cyrillo nuper patriarchae suo, Nestorio, illatae. Eutyches vero, monachus, cyrillianis partibus deditus, perquam intempestive *Cyrillianas* sive *alexandrinas* formulas *Constantinopoli* publice frequentare solebat. In ius igitur vocabatur atque condemnabatur. Sed *alexandrini* hunc suum clientem neutiquam destituebant. Dioscurus, Alexandrinorum patriarcha, favente Theodosio Imperatore, in synodo ephesina illa quae λη-

στρικη vulgo appellatur, Eutychen absolvit, et iudicem qui hunc condemnaverat, Flavianum patriarcham *constantinopolitanum*, anathemate percussit. Sed *constantinopolitano* suppetias fert *romanus*, qui aemulum suum, *Novae Romae* praesulem, quantum satis esset depressum nunc esse autumabat et timere incipiebat, ne alexandrinus totum christianarum terrarum orbem suo imperio subiiceret. Itaque Leo Magnus, ep. *romanus*, annuente Marciano post opportunam Theodosii mortem Imperatore, Dioscuri *alexandrini* condemnationem procuravit in concilio chalcedonensi. Atque in hoc concilio oecumenico doctrina de duarum Christi naturarum unione personali satis accurate, ex mente occidentalium et constantinopolitanorum, (quorum *iunctis* viribus *alexandrini* resistere haud poterant,) exposita atque definita est. Sed ne sic quidem pax restituta fuit. Sufficere tamen possunt ea, quae hactenus narravimus, consilio nostro. Nam vel paucula haec luculenter demonstrant, quomodo de dogmatibus atque phrasibus, doctorum arbitrio antea permissis, leges procedente tempore latae fuerint ecclesiasticae, per quas unicus rem cogitandi atque explicandi modus christianis omnibus, sublata pristina libertate, praescriberetur. Simul vero ex iis quae diximus patet, partim quonam *consilio* quibusque *artibus* istae leges dogmaticae a potentioribus episcopis procuratae fuerint; partim tam exiguam habitam fuisse veritatis rationem, ut neutiquam istorum hominum φιλαληθεια, sed unice divinae providen-

tiae tribuendum sit, si forte in istis conciliis veritas victoriam de errore reportaverit.

3) Ex historia ecclesiastica discimus, quomodo illud dogmatum *συστημα*, quod in ecclesiis evangelicis publice receptum est, sensim coaluerit, et eam auctoritatem, qua apud nos pollet, consecutum sit. *Initio* superstructum id erat, tanquam fundamento, conciliorum, praecipue oecumenicorum, decretis atque patrum orthodoxorum effatis, collatis tamen scripturae sacrae oraculis. Etsi enim negari non potest, ecclesiastica auctoritate definita esse pleraque omnia, (de iis enim doctrinis quae ipsum christianae religionis fundamentum constituunt, et claris verbis in Scriptura S. continentur, hic non loquimur, sed de iis tantum, quae ad systematicam s. acroamaticam theologiam pertinent, verba facimus) ultro tamen fatemur, ad Scripturam S. catholicos, data occasione quavis, provocasse. Sed quoniam plerique admodum imperiti erant sacrarum literarum interpretes, non tam ad Scripturae normam examinabantur conciliorum atque patrum placita, quam potius ita explicabatur Scriptura, ut cum his nunquam non consentiret. Scholastici *deinceps* hoc systema dogmaticum, ex conciliorum et patrum decretis coagmentatum, denuo excusserunt atque in formam artis redegerunt, admistis inanibus subtilitatibus permultis, immo etiam erroribus nonnullis; de una tamen alterave doctrinae publicae parte bene, pro istorum temporum ratione, meriti sunt. Haec erat dogmaticae theologiae forma *eo tempore, quo Lutherus* purgandorum sacrorum initium faciebat.

Abiecta humana auctoritate omni, ac instaurata meliori Scripturae interpretatione, Vir immortalis, aliorum nonnullorum auxilio adiutus, systema istud ecclesiasticum summa qua potuit diligentia cum Scripturae oraculis rectius iam intellectis contulit, et, licet immutata retineret quaecumque retineri posse viderentur, resecuit omnia quae vel erronea vel prorsus inutilia esse intelligebat, rectiusque informavit quae contorta, depravata et Scripturae S. non satis consentanea esse deprehendebat. Ortis *post obitum eius* novis inter theologos nostros controversiis, genuinam Lutheri doctrinam ita repetiit atque declaravit Formula concordiae, ut omnibus dissidentium partibus nonnihil, si fieri id posset, pacis causa concederetur. *Post ista* vero *tempora*, iusta quidem Scripturae S. interpretatio studiosius exculta, historia ecclesiastica luculentius illustrata, ac philosophia a multis vitiis et ineptiis purgata fuit; sed in systemate dogmatum nihil, si methodi variam indolem et argumentorum s. probationum dilectum paulo curatiorem excipias, immutatum est ab iis quibus doctrinae Lutheranae puritas curae cordique fuit, donec, ut supra diximus, *recentioribus temporibus* viri docti nonnulli summam atque prorsus absolutam huius systematis perfectionem in dubium vocarent. Horum igitur conamina ope historiae ecclesiasticae rite tractatae, (quae dogmatici systematis tum ortum, tum vicissitudines earumque causas enarrat,) facilius iudicari posse, ex iis quae hactenus disputavimus patere arbitramur.

IV. Historia ecclesiastica porro docet, quomodo adversus eos, qui a doctrina, quae orthodoxa inter nos censetur, aberrare- videntur, gerere nos debeamus. Qui enim tot sacrorum dissidiorum historiam attento oculo perlustrat, et causas sedulo investigat, cur alia mox atque feliciter composita, alia vero, non sine reipublicae christianae detrimento insigni, per plura secula continuata fuerint, aliorum exemplo atque periculo sapere, ac quid sequi, quid fugere oporteat verae doctrinae defensorem, discernere discit. Quotiescunque enim armis, vi, calumniis, conviitiis, fraudibus aliisve huius generis artibus usi sunt orthodoxiae propugnatores, nihil, quod christiano nomine dignum et ecclesiae salutare esset, effectum fuit. Quin haereses huiusmodi armis oppugnatae interdum ne extingui quidem potuerunt. Numerosi tam Nestorianorum quam Eutychianorum coetus hodienum sub orientem solem supersunt, qui nulla neque vi neque arte eo adduci potuerunt, ut ad catholicae ecclesiae communionem redirent. Vitari vero potuisset funestum istud dissidium, si iudices ineunte controversia mitiores ac aequiores se praebuissent Nestorio et Eutychi. Eutyches v. c. cui, ut omnes norunt, crimini dabatur, quod humanam Christi naturam nostrae consubstantialem esse negaret, et duarum in Christo naturarum discrimen ita tolleret, ut unam tantum, ex divinae humanaeque quadam quasi commixtione ortam, Christo naturam tribueret, publice coram iudicibus in concilio Constantinopoli habito (ap. Harduin. tom. 2., pag. 162. sqq.) professus est: Confiteor filium

Dei carnem assumsisse ex carne sanctae virginis, et hominem eum factum esse perfectum, 'τελειως. Cum instarent nonnulli, ut Christum quoad carnem nobis consubstantialem esse fateretur, respondit Eutyches: Quoniam vos iam dicitis, *omnibus consentio.* Usque ad hodiernum diem sic locutus non eram; *si autem oportet ut dicatur:* ex virgine et consubstantiale nobis; *etiam hoc dico;* hac tamen addita cautione, ne quis *το ὁμοουσιον* ita interpretetur, quasi negem Christum esse Filium Dei unigenitum. Interrogatus porro, utrum coactus, an vero ex animi sui sententia veram hanc fidem profiteretur? respondit: ad hanc usque horam talia dicere metuebam, quia Dominum nostrum sciebam Deum esse, et de naturis eius disputare (φυσιολογειν) non audebam; sed quia vestra sanctitas permittit ac docet, *et ipse iam dico.* Denuo interrogatus, confiteor, inquiebat, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante unionem, post unionem autem unam naturam (nempe ἐνσαρκωμενην, plane uti Cyrillus) confiteor. Tunc sancta synodus dixit: oportet te clare confiteri, et *anathematizare* omne dogma quod contrarium est his quae modo lecta sunt. Eutyches, dixi, inquit, sanctitati vestrae, quod antehac non dixerim talia; nunc autem, quoniam hoc docet sanctitas vestra, *dico, et sequor patres.* Attamen *in Scripturis* non inveni hoc manifeste explanatum, neque *omnes* patres dixerunt. Si vero *anathematizavero*, vae mihi! quod patres meos anathematizo.*) Exsur-

---

*) Iam antea professus erat Eutyches, si quid forte a

gens sancta synodus clamavit: Anathema ipsi! Praeses concilii dixit: Si quidem confitens proprium peccatum (το οἰκειον πταισμα) *persuaderetur anathematizare* propriam doctrinam, et *consentire nobis*, sequentibus traditiones sanctorum patrum, merito dignus esset venia. Sed quoniam *permanet* in sua malignitate, subiacebit vindictae canonicae. Eutyches dixit: *Dico quidem ista*, quoniam et vos nunc iussistis; *non autem anathematizo*. Legi scripta b. Cyrilli et sanctorum patrum et sancti Athanasii, qui ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem, post ἕνωσιν autem et incarnationem non iam duas naturas, sed unam naturam dixerunt. Legi iubete S. Athanasii scripta, ut advertatis, quoniam nil tale dicit. Tunc, paucis interiectis, condemnationis sententia lata fuit sequentem in modum: *) Per omnia Eutyches, quondam presbyter et archimandrita, et ex his quae antea acta sunt, et nunc propriis eius confessionibus, Va-

---

Patribus minus recte dictum sit aut erratum, id se *neque reprehendere ac damnare*, *neque recipere*, sed solas scrutari Scripturas, tanquam Patrum expositionibus firmiores. Harduin p. 142. coll. 186. 187.

*) Quanti fuerint, cum damnationis haec sententia publicaretur, tumultus quantaeque episcoporum vociferationes, patet ex iis quae in Actis leguntur apud Harduinum p. 203. sqq. Praeterea Silentiarius Magnus, iussu Imperatoris solemniter interrogatus, professus est, se vidisse depositionis formulam in charta iam conscriptam *ante synodum*. ibid. p. 211.

lentini et Apollinaris perversitate repertus est aegrotare, et eorum blasphemias *incommutabiliter* sequi; qui *nec nostram reverens persuasionem* atque doctrinam, *rectis voluit consentire* dogmatibus. Unde, lacrymantes et gementes perfectam eius perditionem, decrevimus per Dominum nostrum I. C. ab eo *blasphematum*, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, et a nostra communione, et primatu monasterii etc. — Verbosius haec ex ipsis actis concilii describere non piguit. Quis enim est qui non perspiciat, Eutychem, senem nonagenarium, satis se praebuisse facilem atque morigerum? Nulla in re non cessit synodi mandatis; sed quia nolebat in ipsissima hominum istorum verba iurare, neque eos *exsecrari omnes* qui paulo aliter sive sentirent sive loquerentur, condemnatus est. Atque ex hac praecipiti adversus Eutychem sententia enatum est funestum illud dissidium, quod hodienum orientalem ecclesiam in varias partes scindit, postquam diuturnarum persecutionum, bellorum, caedium, incendiorum et innumerorum scelerum et malorum Sec. V. VI. VII. causa fuisset, ac felices Saracenorum contra graecos Imperatores progressus haud parum adiuvisset. — Neque ariana haeresis tam late propagata nec tantas eundo vires nacta fuisset, nisi partim clericorum litigiosorum culpa, partim Imperatorum, qui ab episcopis regi sese patiebantur, vitio, dissentientium animi magis magisque exasperati atque mutuo odio incensi fuissent. Generatim vero observare licet, eas haereses difficillime extinctas esse, quibus opprimendis Imperatores intempestive sese im-

miscuerunt. Putidissimae theologastrorum rixae largam infortuniorum segetem fere semper cum ecclesiae tum reipublicae intulerunt, ut primum animum suum induxerunt Principes, ut subditos suos omnes alterutri parti per omnia consentire cogerent, neque permitterent, ut secus sentientes (quamquam publicam utriusque civitatis tranquillitatem neutiquam turbarent) suas res sibi haberent et suo modo ac pro suae conscientiae sensu Deum colerent. Contra vero eae controversiae dogmaticae felicius compositae sunt, aut saltim novarum sectarum causae non fuerunt, nec reipublicae exitiosae evaserunt, in quibus soli theologi cum theologis decertarunt, et argumentis ac libris nil praeter argumenta et libros opposuerunt. Hanc ob causam semipelagianae olim, et recentioribus temporibus pleraeque controversiae theologicae quietem publicam labefactare non potuerunt. Sed antiquior historia ecclesiastica perpaucas ob oculos nobis sistit controversias, sic disceptatas, ut exemplum nobis exinde sumere, et quid rectum ac utile sit, vel ad inveniendum verum vel ad conservandam publicam pacem, discere queamus. Sed cum doceat nos, quid veritatis investigationi officiat, societatem christianam in partes scindat, et reipublicae salutem labefactet; adeoque quid in tractandis controversiis evitandum sit: hac tamen ratione sacrorum istorum bellorum accuratior cognitio admodum utilis est ei, qui scire cupit, quid deceat virum prudentem, pacis aeque ac veri amantem, in oppugnandis prave sentien-

tium erroribus, defendendaque ab adversariorum insultibus puriori doctrina.

Neque tamen hoc tantum praestat historia ecclesiastica, ut quid imitandum vitandumne sit luculenter demonstret, verum etiam animum ipsum salubriter commovet, eumque tam pacis, concordiae, mutuaeque tolerantiae studio imbuit, quam violentiae omnis horrore replet. Qui enim tot hominum, ob levissimas circa res theologicas dissensiones, fratribus suis infensissimorum, eorum perniciem meditantium, durissimeque eos tractantium exempla sedulo perlustravit, non potest non abhorrere a pravis istorum monstrorum, christiano nomine indignorum, moribus. Quis est, qui sacrorum bellorum a S. Cyrillo gestorum historiam perlegere possit, nec aversari incipiat hominis contra adversarios suos nihil non sibi permittentis detestabilem ferociam? Quis est, quin Dionysio alexandrino, Chiliastas in veram viam amice deducenti, similis esse malit, quam Hieronymo, contra Helvidium Iovinianum et Vigilantium inepte atque vehementer decertanti? Digna est Dionysii de controversia cum Chiliastis agitata narratio, apud Euseb. H. E. Libr. VII. cap. 24. quae ab omnibus legatur. Tam altas dogma illud radices egerat, ut schismata et integrarum ecclesiarum defectiones iam fierent. Dionysius igitur presbyteros caeterosque populi doctores convocavit, et tres continuos dies impendit excutiendo libello Nepotis, quem isti homines praecipuum atque invincibile praesidium suae opinionis esse putabant. „Tum vero (ita, ex

Valesii interpretatione, pergit Dionysius) fratrum (adversariorum) constantiam, et ardentissimum cognoscendae veritatis studium et docilitatem atque intelligentiam magnopere sum admiratus. Adeo moderate et ordine interrogationes rationesque dubitandi et assensiones a nobis fiebant. Ac studiose quidem cavebamus, ne ea quae semel nobis placuissent, tametsi falsa esse deprehenderentur, pertinaciter defenderemus: nec aliorum obiectiones subterfugiebamus. Sed, quoad fieri poterat, ad ea de quibus instituta erat disputatio eniti eaque stabilire conabamur: sin autem rationibus convicti essemus, non pudebat nos mutare sententiam et aliis assentiri. Quin potius cum bona animi conscientia, absque ulla simulatione, expansis ad Deum cordibus, quaecunque certissimis argumentis et auctoritate S. Scripturae confirmata essent, suscipiebamus." Hac ratione effecit Dionysius, ut Coracion, Chiliastarum antesignanus, publice coram omnibus convictum se esse profiteretur, atque polliceretur, se inposterum opinionem illam amplexurum non esse, nec de ea disputaturum. Iam cum Dionysio comparemus Hieronymum. Vigilántius, presbyter, ineptiis sui saeculi nonnullis atque superstitionibus fortiter sese opponebat, atque eos praesertim reprehendebat, qui martyrum reliquias venerarentur ac adorarent, itinera religiosa ad sepulcra eorum susciperent, cereos in honorem defunctorum in coemeteriis accenderent sole lucente, nocturnas vigilias ad martyrum sepulcra celebrarent solemnes, Sanctos defunctos invocarent etc. Praeterea monasticam vitam

vituperabat et errorem eorum mascule impugnabat, qui caelibatum coniugio longe anteponendum esse censebant, eique vim ad summum sanctitatis gradum homines evehendi tribuebant. In hunc igitur eximium et optime meritum virum, tamquam in pessimum et pestilentissimum haereticum, calumniis atque convitiis ita debacchatus est Hieronymus, ut hominis, alioquin doctissimi, petulantiam vix mirari satis possis. Paucula speciminis loco dabimus. *Hieronymus Ripario:* „De his rebus interrogas, quas et proferre et audire *sacrilegium* est. Ais Vigilantium, qui κατ᾽ ἀντίφρασιν hoc vocatur nomine, nam *Dormitantius* recte diceretur, *os foetidum* rursus aperire et *putorem spurcissimum* contra s. martyrum proferre *reliquias*, et nos, qui eas suspicimus, appellare cinerarios et idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneremur. — Haec dicens non se intelligit esse *Samaritanum* et *Iudaeum*, qui corpora mortuorum pro immundis habent. — Dicam, quod redundet in auctoris caput, et *insanum cerebrum* vel sanet aliquando vel *deleat*, ne tantis *sacrilegiis* simplicium animae *subvertantur.* Ergo et *Domini* corpus in sepulcro positum *immundum* fuit? et angeli mortuo cadaveri atque *polluto* praebebant excubias, ut post multa secula *Dormitantius somniaret*, immo *eructaret immundissimam crapulam*, et *cum Iuliano* persecutore sanctorum basilicas aut destrueret, aut *in templa* converteret? Miror sanctum episcopum, in cuius parochia esse presbyter dicitur, acquiescere *furori* eius, et non virga apostolica *virgaque ferrea confringere vas inutile* — nec meminerit il-

lius dicti: — in matutino *interficiebam* omnes peccatores terrae — O *praecidendam linguam* a medicis, immo *insanum* curandum *caput*, ut, qui loqui nescit, discat aliquando reticere — *Sacrilegium tantum* patienter audire non possum. Legi enim Syromasten Phinees, et Petri severitatem, Ananiam et Sapphiram *trucidantis* etc, *Non est crudelitas pro Deo, sed pietas.* Unde et in lege dicitur: Si frater tuus et amicus et uxor, quae est in sinu tuo, depravare te *) voluerit a veritate, sit manus tua super eos, et *effunde sanguinem eorum.* — Cum dicis, eum vigilias execrari, facit et hoc contra vocabulum suum, ut velit *dormire Vigilantius* — Dormiat itaque Vigilantius, et *ab exterminatore Aegypti cum Aegyptiis dormiens suffocetur!*" Permulta his prorsus similia, immo indigniora etiam ac atrociora transscribere possemus tam ex libello adversus Vigilantium hunc, quam e polemicis Hieronymi scriptionibus adversus Helvidium et contra Iovinianum. Sed sufficere ista possunt. Talibus igitur exemplis, quorum plena est historia ecclesiastica, a simili ferocia absterrentur animi, et, ut turpissimas has adversarios opprimendi artes ne cogitare quidem absque honesta generosaque indignatione possint, sensim adsuescunt; modo is, qui ista antiquioris recentiorisque aetatis tragoedias enarrat, rei indignitatem ipse sentiat eamque coloribus satis vivis depingat.

---

*) i. e. ad idololatriam seducere. — Caeterum novi ego hodienum nonnullos Hieronymo, si eruditionem excipias, simillimos.

Alia, quae huc referenda essent, paucis tantum indigitamus. Primum igitur, teste historia, intelligimus, vehementer errare eos, qui omnes a doctrina orthodoxa recedentes levitatis impietatisque accusant, fontesque errorum in pravo errantium animo malisque eorum consiliis positos esse arbitrantur. Tot tantosque errores in doctrinis gravissimis admisit Origenes, ut, si hodie viveret, procul dubio heterodoxorum omnium immo haereticorum pestilentissimorum antesignanum nominaturi eum essent vehementiores purioris doctrinae propugnatores. Nam Naturalistis, quos vocant, christianis facem, ut supra vidimus, praetulit; historiae sacrae veritatem ac certitudinem labefactavit; de trinitate, divinitate Christi, naturarumque in θεανθρωπῳ unione minus recte sensit; animam Iesu Christi diu ante incarnationem τῳ λογῳ iunctam fuisse putavit; satisfactionem Deo pro peccatis nostris a Christo praestitam ignoravit taliaque docuit, quae cum doctrina hac, prout nos recte eam describere solemus, consistere nequeunt; animas humanas ante nativitatem peccasse suisque peccatis, ut in corporis ergastulum detruderentur, meruisse existimavit, et innumera alia protulit longissime a doctrina orthodoxa abhorrentia. Neque tamen ista omnia malum Origenis animum produnt. Nolumus nostrum de incomparabili hoc viro iudicium proferre, ne forte partium studio ducti ita iudicasse videamur; Moshemium, satis severum errorum Origenianorum censorem, testem producere iuvabit. „Omnia sunt, inquit, in Origene, quae homini christiano maximae

laudi et ornamento esse possunt: summa erga Deum a teneris pietas, et sanctissimae religionis, quam profitebatur, incredibilis amor, incomparabilis laborum et inprimis eorum, qui rem christianam iuvare possent, patientia, inexhaustum boni publici atque finium civitatis christianae proferendorum studium, magnus et excelsus animus et supra omnia, quae mortales vel cupiunt vel metuunt, elatus, constantissimus opum, honorum, voluptatum, mortis ipsius contemtus, purissima in Christum fides, cuius causa senex iam et laboribus malisque varii generis attritus, gravissimos cruciatus aequo animo diu sustinebat. — Certe si quis alius, hic homo principe inter sanctos et martyres loco collocari, et in exemplum Christianis quotannis proponi debebat: nam si Apostolos Iesu Christi eorumque comites tollas, neminem inter omnes, qui sanctorum nomine honorantur et coluntur, novi, qui cum eo de virtutis et sanctimoniae principatu contendere queat." Haec Moshemius Comm. de reb. Christ. ante Const. M. p. 610. Amabilis sane hominis perquam heterodoxi imago! Utinam omnes purioris doctrinae defensores optimo huic viro similes fuissent! Sed ad alios fructus, e rerum christianarum historia percipiendos, iam deproperamus. Nemo qui cognoscendae ecclesiasticae historiae liberalem impendit operam, ad haereseos vocabulum vel haeretici appellationem trepidabit, aut sacro quasi horrore contremiscet. Ignorare enim non potest, vano istius nominis terriculamento saepenumero abusos olim esse clericos ad stabiliendam suam in conscien-

tias hominum tyrannidem, et ad opprimendos omnes qui vel minimam receptarum opinionum particulam novo ac liberali examini subiicere auderent. Non debet itaque iudicium nostrum de eo, quod verum falsumve sit, corrumpi aut regi quasi praecipiti quodam timore, ne forte accuratior huius illiusve dogmatis investigatio eo nos perducat, ut iusto propius absimus ab opinionibus hominis cuiusdam, cui haereseos nota, ex decreto concilii alicuius, inusta olim fuit. Quomodo enim a studio partium liber esse et incorrupte iudicare potest, qui, dum argumenta ab utraque parte prolata ponderat, metu angitur, ne imprudens ac invitus eo ducatur, quo venire nefas est. Excutiendus igitur est, ope historiae ecclesiasticae, omnis iste metus. Non ideo quidquam a Protestantibus reprobatur, quia haereticum id esse declararunt conciliorum decreta nimis praecipitanter plerumque facta, aut patrum ecclesiasticorum iudicia; sed hanc solam ob causam reiicitur, quia Scripturae Sacrae repugnans esse intelligitur. Fieri praeterea solet, ut odium, quo adversus haereses et haereticos omnes imbuimur, gignat zelum pro orthodoxae doctrinae puritate, qui neutiquam est κατ' ἐπιγνωσιν, nec ad convincendos falsarum opinionum patronos quidquam iuvat, sed potius errorum iustam refutationem aeque impedit ac veri indagationem et solidam confirmationem. Pertinere huc, inter alia, videtur mos, qui mirum in modum olim invaluerat, eos qui a doctrina recepta ulla in re dissentirent insigniendi nomine haeretici cuiusdam dudum condemnati et omnibus

exosi. Sic Eutyches, ut supra vidimus, Valentinianus vocabatur et Apollinarista; medio autem aevo omnes fere, qui Pontificum Romanorum tyrannidi subtrahere sese vellent, Manichaeorum titulo mactabantur. Nec desunt nostris temporibus, qui talia nomina invidiae, apud plebem certe, plena eis imponant, quos a vera doctrina aberrare existimant. Desisterent ni fallimur ab ista consuetudine, si, historia magistra, didicissent tum quinam ii sint, quos hac in re imitantur, tum etiam quam inutilis semper fuerit haec errantes corrigendi ratio.

Possent quidem non ea solum, quae hactenus velut in transcursu leviter attigimus, uberius illustrari, verum alia etiam addi nec levia nec pauca; inprimis vero demonstrare possemus, qua ratione *quove modo* tractari debeat historia ecclesiastica, ut fructus omnes supra enumerati percipi ex eius studio queant: sed quoniam schediasmatis academici limites fere transgressi iam sumus, ac ea, quae reliqua sunt, ex his quae disputavimus colligi facile possunt, finis dissertatiunculae imponendus et ad id deveniendum esse videtur, cuius causa isthaec omnia prolusimus. Nimirum sapienter a maioribus institutum est, ut ii, quibus Professoris Theologi provincia in alma hac musarum sede clementissimo SERENISSIMORUM SAXONIAE DUCUM iussu demandatur, sub ipsa muneris suscepti auspicia, habita oratione publica, animum erga MUNIFICENTISSIMOS Academiae NUTRITORES gratissimum devotissimumque solemniter declarent, et pia vota pro celeberrimae huius Rei-

publicae literatae perpetua salute nuncupent. Huic instituto laudabili ut morem gereremus, diem constituimus Iulii VI. quo, hora XI. in theologorum auditorio *de eximio historiae ecclesiasticae in repellendis Naturalistarum, quos vocant, adversus sanctissimam Iesu Christi religionem conatibus usu* nonnulla praefati, pietatis nostrae erga DOMINOS NOSTROS LONGE CLEMENTISSIMOS documenta publice edemus, simulque bonarum literarum huic officinae fausta quaeque apprecabimur. Quam solemnitatem ut praesentia sua nobis honorificentissima atque exoptatissima condecorare et benevolas nobis aures praebere velint, MAGNIFICUM ACADEMIAE PRORECTOREM, ILLUSTRISSIMUM S. R. I. COMITEM, VENERANDOS ACADEMIAE PATRES CONSCRIPTOS, DIVINAE HUMANAEQUE SAPIENTIAE DOCTORES CELEBERRIMOS, UTRIUSQUE REIPUBLICAE PROCERES MERITISSIMOS, GENEROSISSIMOS denique atque HUMANISSIMOS COMMILITONES NOSTROS, ea, qua quemque decet, observantia etiam atque etiam rogamus.

P. P. Domin. IV. post Festum Trinit.
MDCCLXXVI.

V.

De vera notione vocabuli πνευμα in cap. VIII epist. ad romanos commentatio prima qua dies pentecostes pie sancteque celebrandos indicit academia Jenensis.

MDCCLXXVI.

Quod in multorum vocabulorum πολυσημων significationibus definiendis usu nobis venire solet, ut dubii nonnunquam haereamus, quaenam eis potestas eo quem tractamus loco subiecta sit: id etiam in eruenda iudicandaque notione, quae vocabulo *spiritus*, sexcenties in N. T. obvio, tribuenda sit, saepe-

numero sacrarum literarum interpretibus accidit. Etsi enim extra omnem omnino dubitationem positum est, πνευμα in N. T. interdum significare tertiam Deitatis personam, cum Patre et Filio aeternum adorandam; (v. c. Ioh. 14, 26. et alibi saepe) interdum Sancti huius Spiritus effectus et operationes, tum miraculosas naturaeque vires et ordinem superantes, tum alias etiam atque ordinarias; saepe omne id quod oppositum est *carni*, ex hebraeorum more loquendi intellectae; nonnunquam etiam id quod *literae* opponitur: tamen, si ad singulos locos deveniendum, ac, quid hoc vocabulo quovis loco denotetur, indicandum est, vehementer inter se dissentiunt praestantissimi sacri codicis interpretes. Cuius generis dissensus cum eos etiam, qui enarrando octavo epistolae ad Romanos capiti operam dederunt, in varias partes distrahat; eaque pericopa in primis digna sit, quae per festos hosce dies pia et seria meditatione recolatur: illustrationem eorum capitis huius commatum, in quibus του πνευματος mentio iniicitur, haud inutilem futuram esse existimavimus. Abstinebimus vero ab enumerandis examinandisque aliorum interpretationibus, et, missis caeteris quae explicationem accuratiorem desiderare videntur omnibus, id unice agemus, ut ex contextu orationisque συναφεια atque e diligenti phrasium a Paulo adhibitarum inter se comparatione, vim atque potestatem vocabuli πνευμα, saepe in hoc capite recurrentis, eruamus et quantum fieri potest brevissime declaremus.

In universo hoc capite apostolus insignes illas praerogativas, quibus veri genuinique christiani gaudent, eo consilio recenset, ut ex earum enumeratione beneficiorum, quae *iustificatio per fidem* (uberius cap. 3. et 4. explicata et contra Iudaeos vindicata.) in Christianos confert, magnitudo patescat. Coeperat quidem apostolus iam capite 5. felicissimam iustificatorum sortem describere; sed, ad alia mox delapsus, telam ad finem nondum perductam pertexere iam pergit. Occasionem vero redeundi ad huius rei tractationem ei praebebant ea, quae capite antecedente comm. 14—25. de misera hominis *carnalis* conditione scripserat. Isti carnali iam capite 8. opponit hominem *spiritualem*. Carnalem autem dixerat Iudaeum (conf. cap. 8, 1. γινωσκουσι νομον λαλω) qui nondum est ὑπο χαριν sed ὑπο νομον, cap. 6, 14. qui per opera legis iustificari Deoque acceptus fieri vult, eam autem ad iustitiam perveniendi viam quam Evangelium commonstrat, nempe sinceram in Iesum Christum fidem, spernit. Hic mancipatus est peccato cap. 7, 14. et servus peccati cap. 6, 17. 20. Non ignorat quidem quid lex divina ab homine postulet; quin ipsa ratio (νους sive ὁ ἐσω ἀνθρωπος, cap. 7, 22. 23.) non potest non intelligere, bona esse hominique utilissima, quae lex praescribit (συμφημι τῳ νομῳ, ὁτι καλος, cap. 7, 16. et συνηδομαι τῳ νομῳ vs. 22.) Videt igitur meliora, probatque; et nihilo tamen secius deteriora sequitur. Tanta est enim peccati in ipso regnantis vis, ut obtorto quasi collo, frustra reluctante ratione et conscientia, homo abripiatur ad ea quae sensibus grata

sunt perpetranda, licet absque legum divinarum violatione fieri nequeant, cap. 7, 15. 19. 23. Hanc hominis carnalis pravitatem, qua ad peccandum propensus est, nominat apostolus peccatum in nobis s. in carne nostra habitans, cap. 7, 17. 18. 20. legem quae est in membris nostris, s. legem peccati in membris quae sibimet nos reddit captivos vs. 23. item corpus mortis vs. 24.

Iam facilis nobis patet aditus ad capitis octavi intelligentiam. Nempe quotusquisque est ἐν χριστῳ ἰησου cap. 8, 1. hoc est, quicunque vera fide in Christum credit, liberatus est a tyrannide peccati (cap. 7, 25.) quod, quamdiu regnabat, hominem invitum ad committenda varii generis peccata pertrahebat; iam vero ἁμαρτια αὐτου οὐ κυριευσει, ἐστι γαρ ὑπο χαριν cap. 6, 14. et ἠλευθερωθη ἀπο της ἁμαρτιας cap. 6, 18. Insigne hoc beneficium describitur in priore capitis nostri parte. Rem universam paucis verbis complectitur comma I. οὐδεν ἀρα νυν κατακριμα τοις ἐν χριστῳ ἰησου. Verba haec in se spectata possent sic intelligi: fideles non damnari, quia Christus peccata nostra sua morte expiaverit eorumque reatum atque poenas abstulerit. Sed licet verissima sit haec sententia et luculentissime in permultis sacrarum paginarum locis tradita legatur, universa tamen orationis series aliam interpretationem hic postulare videtur. Primum enim το ἀρα νυν manifeste indicat, ex antecedentibus explicanda haec esse. Iam vero capite 7. Paulus non egerat de morte Christi expiatoria, sed de peccato, quod in hominibus regnat

εἰς το καρποφορησαι τῳ θανατῳ vs. 5. eosque morti obnoxios reddit vs. 13. adeoque caussa est condemnationis. *Hanc* igitur mortis damnationisque caussam, *hoc* κατακριμα procul a fidelibus abesse tradit Paulus in nostro commate. Deinde ea, quae proxime sequuntur, hanc nostram interpretationem mirifice confirmant. Comma secundum cum primo nectitur per particulam γαρ. Eam igitur ob rem κατακριμα a genuinis Christianis abesse docet Paulus, quia liberati sunt ἀπο του ΝΟΜΟΥ της ἁμαρτιας και του θανατου, h. e. quia non in ipsis *regnat* peccatum, quod cum morte summaque hominis infelicitate non potest non esse coniunctum. Etsi enim ne regeniti quidem penitus ab omni peccato immunes sunt, (nam hi quoque ἐχουσι ἁμαρτιαν 1 Io. 1, 8.) tamen, *cum a peccato regi sese non patiantur*, id quod superest pravitatis naturalis propter Christum a Deo benignissime ipsis condonatur, nec damnantur qui summa cura atque constanter evitare student omnia, quaecunque damnationi eos obnoxios reddere possent. Quod ad reliqua primi commatis verba attinet: μη κατα σαρκα περιπατουσιν, ἀλλα κατα πνευμα, e versu 4. perperam huc translata esse videntur. Abest enim vel totus hic στιχος, vel saltim posterior eius particula: ἀλλα κατα πνευμα, ab omnibus codicibus graecis literis maiusculis exaratis, i. e vetustissimis, *) nec

*) Sangermanensis enim liber in censum hic venire non debet. Descriptus enim est e Claromontano, postquam hic duorum correctorum manus expertus iam fuisset. Nempe

non a duobus aliis eximiae bonitatis libris manu scriptis, scilicet cod. Roe. 2. et Lambecii 34; deest in antiquis versionibus omnibus, si ab una discedas arabica, quae in polyglottis bibliis habetur, satis recenti et interpolata; omittunt etiam verba haec Patres tam graeci quam latini non pauci, v. c. Origenes, Athanasius, Cyrillus alex. Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus; aliique. Praeterea, temere ac fortuito in tot monumentis vetustis verba haec vix ac ne vix quidem omissa videri possunt; nihil enim hic apparet earum rerum, quae librariis negligentibus aut festinantibus occasionem verba nonnulla transiliendi dare solent. Sed nec de industria omissa fuere. Si quis enim cavere voluisset, ne eorundem verborum repetitio vs. 1. et 4. lectoris auribus molesta esset, sine dubio commate 4. non autem commate 1. ea delevisset. Porro suspicari facile possumus, quanam re commotus aliquis haec adiecerit. Nempe istud οὐδὲν κατάκριμα vs. 1. interpretabatur de expiatione peccatorum nostrorum per Christum, ac, cum non perspiceret quomodo comma secundum cum primo ita intellecto cohaereret, e commate 4. supplevit, quae ad sensum atque nexum orationis plenius declarandum necessaria videbantur. Tandem additamentum eo etiam se prodit, quod manifesta extant

---

in claromontano primum aberat totus στίχος: postea alia manus tam graece quam latine addidit: *non secundum carnem ambulantes*; tandem tertia manus adiecit etiam, sed graece tantum: *sed secundum spiritum.*

successivae additionis indicia. Non enim eodem tempore totum illud: *non secundum carnem ambulantes, sed secundum spiritum*, additum fuit, sed initio prior tantum horum verborum pars (quae, eam quam diximus ob causam, necessaria ad sensum putabatur) adiiciebatur; posterior vero pars non nisi tempore aliquo interiecto accessit. Nam *non secundum carnem ambulantes* extat iam in cod. alexandrino et claromontano post primam correctionem, in versionibus syriaca, arabica Erpenii, armenica et latina vulgata, atque in allegationibus Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosiastri aliorumque; quamquam in his omnibus nondum legatur *sed secundum spiritum*, seriori demum tempore adiectum. Quae cum ita sint, verborum horum explicationem commati quarto reservamus et ad versum II. pergimus, ubi νομος του πνευματος της ζωης commemoratur. Per hanc legem spiritus intelligimus Evangelium, quod eam ob causam legis nomine hic insignitur, quoniam ab iis qui beneficiorum per Christum partorum participes esse volunt, resipiscentiam atque fidem per bona opera sese exserentem postulat, regenitorumque actiones universas velut norma et regula dirigit. Nec inusitatum est scriptoribus sacris Evangelium appellare νομον. Iacobus v. c. Ep. 1, 25. loquitur de νομῳ τελειῳ τῳ της ἐλευθεριας, et ipse Paulus Rom. 3, 28. τῳ νομῳ των ἐργων, i. e. mosaicae legi, opponit νομον πιστεως, h. e. Evangelium sive eam doctrinam, quae δικαιοσυνην θεου χωρις (ἐργων) νομου cap. 3, 21. ἐκ πιστεως εἰς πιστιν cap. 1, 16. 17. manifestat. Atque eidem legi

mosaicae nostro etiam loco opponitur ὁ νομος του πνευματος. Ita enim ratiocinatur Paulus: *Evangelium* liberavit nos a dominio peccati vs. 2; quoniam enim *lex mosaica* praestare hoc non poterat, misit Deus filium suum etc. vs. 3. ut praecepta legis servare iam possitis vs. 4. Repetit igitur Paulus id, quod cap. 6, 14. aliis verbis ita elocutus erat: peccatum iam non potest tyrannida suam in vos quasi invitos exercere, quia vivitis ὑπο χαριν, sub foedere gratiae, sive sub oeconomia evangelicâ. Dicitur autem νομος hic evangelicus νομος του πνευματος της ζωης, spiritualis lex vitae, h. e. doctrina s. religionis institutio perfectissima (hebraeos enim πνευμα saepe ponere, ubi perfectionem atque eximiam rei alicuius praestantiam describere volunt, omnibus notum est) quae ad summam felicitatem (ζωην) beatissimamque vitam homines perducit. Cum enim (Com. III.) ob summam humanae naturae corruptionem lex mosaica hominibus emendandis beandisque minus sufficeret, unigenitus Dei Filius, iussu Patris, hanc ipsam naturam, tantopere in caeteris hominibus depravatam, ab omni tamen peccati labe ipse purus, induit, eo quidem consilio, ut (και περι ἁμαρτιας) a peccato nos liberaret; atque sic Deus κατεκρινε την ἁμαρτιαν (την) ἐν τη σαρκι (οἰκουσαν *) i. e. privavit Deus peccatum

*) Conf. cap. 7, 25. ὁ νομος της ἁμαρτιας, ὁ ὢν ἐν τοις μελεσι μου. Per Christum abrogatus est iste νομος in eis omnibus, qui in optimum hunc Salvatorem credunt. Conf. etiam ibid. vs 17. 18. ἡ οἰκουσα ἐν ἐμοι ἁμαρτια: οὐ γαρ οἰκει ἐν ἐμοι, τουτεστιν ἐν τῃ σαρκι μου, ἀγαθον.

tyrannica ista vi, qua homines opprimebantur, eique per Christum istud quasi ius, quo homines, qui sua sponte sese servos tradiderant peccato, cap. 6, 16. 19. in miserrima servitute detinebat, ademit, ἱνα καταργηθῃ το σωμα της ἁμαρτιας, του μηκετι δουλευειν ἡμας τῃ ἁμαρτιᾳ cap. 6. 6. sive, ut Paulus pergit commate nostro IV. ut id quod lex divina a nobis postulat (το δικαιωμα του νομου) praestare possimus, (non impediti iam a nimia ista peccati vi, qua antehac ad facienda ea quae ipsi improbabamus abripiebamur) quippe qui non secundum carnem, sed κατα πνευμα ambulamus. Facilis quidem est phraseos: secundum spiritum ambulare, intelligentia; sed quoniam sequentium commatum sensus ex ea pendet, intactam eam praetermittere non possumus. *Caro est* universa illa, sive connata sive acquisita et diuturna consuetudine roborata, pravitas animi in res mundanas ac sensibus gratas inordinate ac perverse propensi, quae in homine nondum renato regnat; e qua singula peccata, tanquam ex fonte rivuli, profluunt, eamque ob causam opera carnis Gal. 5, 19. appellantur. Est igitur caro illud ipsum peccatum in nobis habitans, cap. 7, 17. 20. sive lex peccati cap. 7, 23. et cap. 8. 2. *Secundum carnem ambulant*, qui actiones suas ad instinctum et ductum carnis sive ad normam του νομου της ἁμαρτιας dirigere, pravis cupiditatibus obtemperare et opera carnis, longo ordine Gal. 5, 19. 20. 21. enumerata, perpetrare solent. *Spiritus* igitur, vi oppositionis, est principium actionum bonarum in homine christiano, quae fructus spiritus nominantur Gal. 5, 22. sive est

complexus omnium propensionum, inclinationum et habituum legi divinae consentaneorum, per doctrinam Evangelii, quacum coniunctae sunt Spiritus S. operationes, in homine procreatorum. *Ambulant* vero *secundum spiritum*, qui novam hanc animi vere christiani indolem in universa sua agendi ratione exprimunt, suumque pietatis studium factis probant. Commate V. causam indicat apostolus, cur eos, qui secundum spiritum ambulant, praecepta legis servare dixerit. Quemadmodum, inquit, *οἱ κατα σαρκα ὀντες* id est *οἱ σαρκικοι*, in quibus animi ista pravitas emendata nondum est, rebus terrestribus et sensibus iucundis unice delectantur, et his ita student, ut legis divinae nullam habeant rationem (*τα της σαρκος φρονουσι*, coll. Phil. 3. 19. *τα ἐπιγεια φρονειν*): ita e contrario *οἱ κατα πνευμα ὀντες, τα του πνευματος φρονουσι*, i. e. ii, quibus nova illa animi inest indoles christiana, rebus spiritualibus, virtuti scilicet atque pietati, operam dant ingenuam atque continuam. Hoc igitur *φρονημα του πνευματος* legi divinae obtemperat (coll. vs. 7. *το φρονημα της σαρκος* legi *non* obtemperat.) Atque sic patet, verissimum esse quod Paulus dixerat vs. 4, *το δικαιωμα του νομου πληρωθηναι* in eis, qui secundum spiritum ambulant. Qui enim *τα του πνευματος φρονουσι*, et toto mentis affectu ad pietatem virtutemque christianam feruntur, ii sine dubio ambulant etiam secundum spiritum, et animum suum virtutis amore imbutum in omnibus actionibus suis produnt. Huius vero rei *fructus* est (comm. VI.) *ζωη και εἰρηνη*, summa atque perfectis-

sima quae in hominem cadere potest felicitas. Ponitur vero ζωη και ειρηνη per metonymiam pro eo, ex quo haec felicitas oritur, ut in priori commatis hemistichio θανατος infelicitatis *causam* designat. Paulo clarius eadem traduntur cap. 6, 23.

Hactenus generatim de duplici hominum genere, altero των κατα σαρκα, altero των κατα πνευμα οντων, egerat apostolus, atque utriusque generis tum criteria, tum etiam sortem longe diversam descripserat. Iam vero a versu 9. usque ad 17. propius ad Romanos suos orationem convertit, eosque docet partim, quaenam sint indicia, e quibus constare ipsis queat, quod generi hominum κατα πνευμα οντων iure meritoque accensere sese possint, vs. 9. partim commemorat non solum officia, quae ipsis tanquam πνευματικοις incumbant, vs. 12. 13. verum etiam fructus uberrimos inde in ipsos redundantes vs. 10. 11. 13. 14-17. describit. Cum igitur nihil aliud Paulus in hac pericopa agat, quam ut demonstret, quomodo ea, quae generatim antea enunciaverat, ad ipsos etiam Romanos spectent: hinc iam suspicari licet, vocabulo πνευμα eandem subiectam esse significationem in sequentibus versibus, quam in antecedentibus tribuendam ei esse vidimus. Com. IX. vos, ait, non estis εν σαρκι, sed εν πνευματι. Esse εν πνευματι, non differt a κατα πνευμα esse vs. 5. Sensus est: „vos Romani, qui Iesum Christum vera fide amplexi estis, non e numero estis eorum, quos Deo displicere, imo morti atque poenis divinis obnoxios esse modo dixi; sed estis ex eo hominum felicissimorum genere, qui-

bus per Christum ζωην και ειρηνην partam esse docui. Ita quidem ego, tenerrimo in vos amore ductus, statuere, sperare saltim, audeo; sed ne ipsi vos decipiatis et perperam spiritualibus hominibus vos accenseatis, accipite certissimum rei indicium atque criterium hoc: non estis ἐν πνευματι, nisi πνευμα Θεου οἰκει ἐν ὑμιν, hoc est, nisi τα του πνευματος φρονειτε. Has duas loquendi formulas: *spiritus Dei habitat in vobis*, et: *ea quae spiritus sunt sapitis*, synonymas esse, haud levibus ducti rationibus, statuimus. Primum enim parallelismus commatis quinti hanc interpretationem postulat. Commate 5 Paulus hanc generalem normam proposuerat: quicunque est κατα πνευμα sive ἐν πνευματι, ille ea quae spiritus sunt sapit; quae regula, per ipsam rei naturam, necessario etiam valet si ita invertatur: quicunque ea quae spiritus sunt sapit, ille est ἐν πνευματι. Iam comm. 9. istam regulam ad Romanos adplicat: vos estis ἐν πνευματι, *siquidem* (πνευμα Θεου οἰκει ἐν ὑμιν) *ea sapitis quae spiritus sunt.* Nulla sane superest commatis huius cum antecedentibus cohaerentia, nec ea quae generatim disputata erant vs. 1-8. quadrant ad adplicationem eorum ad Romanos vs. 9. seqq. nisi *inhabitatio spiritus Dei* ita ut diximus intelligatur. Deinde *spiritus Dei* (sive spiritus eius qui Christum e mortuis suscitavit vs. 11.) *habitat in vobis*, prorsus idem est ac *spiritum Christi habetis* comm. 9. fine. Quid vero sit, Christi spiritum habere, Paulus ipse declarat, commate 10. ita pergens: *Si vero Christus in vobis est* etc. Atque hinc non solum colligere possu-

mus, phrasin: *spiritus Dei* habitat in vobis, non magis h. l. ad tertiam sacro sanctae τριαδος personam referendam esse quam ad Patrem aut Filium; verum etiam, alia loca v. c. Gal. 2, 20. Eph. 3, 17. conferentes et ad orationis in istis locis συναφειαν probe attendentes, edocemur, Christum atque spiritum Christi inesse nobis tunc, si fides in Christum ac amor Christi sincerus cogitationes actionesque nostras ita dirigit, ut ea tantum amemus ac velimus, quae Christus vult et quae doctrinae eius consentanea sunt; hoc est, si φρονημα του πνευματος nobis inest *).

---

*) Ne quis forte repugnare existimet interpretationem nostram caeteris locis, in quibus eadem haec loquendi formula occurrit, obiter monemus, ne in his quidem *omnibus* sermonem esse de inhabitatione Spiritus S. sive tertiae in Deo personae. v. c. Gal. 4, 6. *misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra*, commode interpretari possumus: dedit nobis animi sensum simillimum ei qui inerat Filio suo unigenito, coll. Phil. 2, 5. et de vocabulo ἐξαπεστειλε Indic. 9, 23. apud LXX. Sic etiam 2 Tim. 1, 14. *spiritus sanctus in nobis habitans* optime explicatur e commate 7. de spiritu δυναμεως και ἀγαπης και σωφρονισμου, qui opponitur πνευματι δειλιας, coll. vs. 6. fides *habitavit* in matre tua. Alio sensu eadem formula legitur 1 Cor. 3, 16. Hoc enim loco apostolus non de singulis Corinthiis, sed de universo eorum coetu loquitur, (coll. vs. 9.) atque ex operationibus Spiritus S. quae Corinthi erant frequentissimae, probat, numen divinum ipsis esse praesentissimum, eorumque ecclesiam recte haberi pro templo Dei, quod nemo sine sacrilegio ac impune possit, in varias partes illud quasi discerpendo, diruere. Quaenam igitur vis ac potestas subie-

Praeterea loquendi formula: spiritus Dei *habitat* (*οἰκεῖ*) in vobis, tantum abest ut huic interpretationi officiat, ut potius eam egregie confirmet. In antecedentibus enim saepius dixerat apostolus: *peccatum habitat* (*οἰκεῖ*) in me, 7, 17. 20. non *habitat* in carne mea *bonum*, vs. 18. *lex peccati est in* membris meis vs. 23. Hanc prosopopoeiam porro continuat apostolus et animum christianae pietatis studiosum (qui e diametro oppositus est τῃ ἁμαρτιᾳ in eis, qui pravis cupiditatibus regi sese patiuntur, οἰκουσῃ) habitare, et φρονημα του χριστου inesse dicit iis, qui ea mente voluntatisque indole praediti sunt, qua Christus ipse praeditus erat Phil. 2, 5. Confer praeterea 2 Tim. 1, 6. et Sapient. 1, 4. His praemissis, sensum comm. 9. 10. et 11. paucis ita reddimus: „Vos, Romani dilectissimi, non estis e numero carnalium hominum, morti atque poenis subiectorum; spiritualibus potius, quorum sors est semperque erit felicissima, ego quidem laetabundus vos accenseo, siquidem, ut spero, mente vere christiana praediti estis. Si quis vero hac mentis indole caret, is Christianus dici neutiquam meretur, nec beneficiorum, quae Christus nobis procuravit, particeps esse potest. Comm. 10. Quodsi vero ita, ut genuinos Christianos decet, animati estis, non quidem a morte corporis immunes eritis,

---

eta sit huic formulae, in tanta eius πολυσημασια, quovis loco sigillatim disquirendum est; nec obstant interpretationi nostrae loci nonnulli, in quibus personae Spiritus S. tribuitur habitatio in cordibus fidelium.

cum propter peccatum omnes homines mortis necessitate teneantur; sed nihilo tamen secius laetissima erit in posterum conditio vestra. Nam immortalis vestra *anima* non solum post corporis interitum superstes erit, sed felicissimam etiam atque beatissimam vitam aget, siquidem aeterna praemia Deus sperare iussit eos, qui (sicut vos) iustificati per fidem in Christum pie sancte atque iuste in hoc mundo vixerunt. Comm. 11. Quid? quod ipsa etiam *corpora* vestra in vitam revocabuntur. Nam si, quod ad animi voluntatisque indolem, Deo atque Christo similes fieri in hac vita studuistis, idem ille Deus, qui Iesum Christum e mortuis suscitavit, corpora etiam vestra iterum vivificabit; quandoquidem ne corpera quidem eorum, qui mente vere christiana praediti sunt et τα του πνευματος φρονουσι, felicioris illius sortis, qua post mortem animae ipsorum gaudebunt, expertia esse Deus voluit, quoniam το φρονημα του πνευματος etiam ad corpus eorum pertingit, eius motus regit, et membris eius utitur quasi instrumentis ad actiones legi divinae consentaneas. cap. 6, 13."

Supersunt nonnulla comm. 10. et 11. paulo enucleatius exponenda uberiusque declaranda. Difficultate non carent vs. 10. verba: το πνευμα ζωη δια δικαιοσυνην. Animam hominis per πνευμα significari, dubitare nemo potest, cum πνευματι diserte opponatur corpus morti subiectum. Eodem sensu πνευμα recurrit vs. 16. et alibi. Ζωη ponitur pro ζῃ sive ζων. Vitam innui *beatam*, tam e collatione commatis 6. quam ex universa argumentandi ratione, qua utitur

Paulus, efficitur. Quid vero sit δια δικαιοσυνην, colligi potest ex opposito δι᾽ ἁμαρτιαν. Corpus morti obnoxium est *propter peccatum*, anima vero vita fruetur beatissima *propter iustitiam*, h. e. propter sincerum virtutis christianae studium, sive propter Φρονημα του πνευματος, quod ζωην και ειρηνην afferre vs. 6. vidimus. Idem aliis verbis repetit Paulus vs. 13. atque interpretationem nostram corroborat. Neque tamen iustificationem propter meritum Christi hac nostra vocabuli δικαιοσυνης explicatione excludimus. Non enim de virtutibus infidelium apostolus loquitur, sed de sanctitate hominum per fidem iamiam iustificatorum. Conf. cap. 5, 1. coll. vs. 4. 10. ubi το σωθηναι eandem rem describit, quae in nostro textu per ζωην innuitur. Quodsi vero δια δικαιοσυνην recte exponitur per δια το Φρονημα του πνευματος, atque hoc Φρονημα, ut supra vidimus, idem ille spiritus Dei est qui in fidelibus habitat: facillima erit commatis 11. explicatio; praesertim si animadvertamus, simillimam esse structuram commatum 10. et 11. eundemque in utroque commate argumentationis modum. Comm. 10. dixerat apostolus: Si Christus est in vobis (h. e. *si spiritus Christi atque Dei habitat in vobis*) anima vestra fruetur vita beatissima propter iustitiam (sive *propter spiritum Dei in vobis habitantem*). Iam pergit com. 11. *Si spiritus Dei in vobis habitat*, corpora vestra resuscitabuntur *propter spiritum Dei in vobis habitantem*. Manifestus hic membrorum utriusque commatis parallelismus dubitare nos non sinit, quin verba: *spiritus Dei in vobis habitans* eodem sensu

commate 11. accipienda sint, quo com. 9. accipi ea debere demonstravimus. Significatur nimirum το φρονημα του πνευματος sive ἡ δικαιοσυνη. Nec difficile est intellectu, quomodo Paulus corporum resurrectionem sperare iubeat Romanos suos *propterea* quod spiritu Christi animati sint, ΔΙΑ τα ἐνοικουν πνευμα. Rei huius rationem facile perspiciemus, si partim perpendamus, loqui apostolum de felici *fidelium* sorte, adeoque de resurrectione corporum hominum *beatorum*; partim animum advertamus ad discrimen quod intercedit, quod ad usum corporis, inter homines carnales atque spirituales. Illi corpore suo ad implendas animi sui nefarias libidines perpetrandaque varii generis flagitia abutuntur, ac praeterea ad peccandum saepenumero incitantur per inordinatos *corporis motus*, quibus ita abripi se patiuntur, ut Paulus peccatum *in mortali eorum corpore regnare* contendat cap. 6, 12. Contra vero hi, qui sanctitatem animi ita ut Christianos decet sectantur, pravos etiam *corporis* motus reprimunt ac domant vs. 13. *corporis sui membra* exhibent Deo ὁπλα δικαιοσυνης iisque tanquam instrumentis iustitiae et virtutis utuntur ad serviendum Deo, cap. 6, 13. purificant se ab omni contaminatione *carnis* non minus quam spiritus, 2 Cor. 7, 1. et glorificant Deum tam *corpore* suo, quam spiritu; 1 Cor. 6, 20. ita ut *corpora* etiam ipsorum *membra Christi* appellari possint 1 Cor. 6, 15. Quae cum ita sint, corpus etiam ipsum in societatem veniet illius felicitatis, qua fidelium animae olim a Deo benignissime cumulabuntur. Uti enim animi defe-

ctio a Deo corpus ita contaminavit, ut innumeris miseriis et morti ipsi merito subiiceretur: (vs. 10.) ita vicissim, animo ad Deum converso, corpus quoque, a pristina peccati servitute liberatum, in novae felicitatis consortium admittitur; et quemadmodum corpus eorum qui τα του πνευματος φρονουσι, quodammodo in societatem quasi venit certaminis adversus pravos motus carnisque illecebras, ita etiam praemia victoriae non immerito una cum anima percipiet. Recte igitur *propter* spiritum Dei in nobis habitantem corpora nostra in vitam longe felicissimam revocaturum esse Deum, praeeunte Paulo, credimus.

Praeterire hic non possumus insignem illam lectionis varietatem, quae non solum libros manu scriptos, verum etiam editiones tam antiquiores quam recentiores in varias partes distrahit. Editiones Erasmi, Stephani, Millii, Schoetgenii, Bengelii aliaeque habent δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα. In editionibus vero Complutensi, Bezae et recentioribus plerisque legitur δια του ἐνοικουντος αὐτου πνευματος, quae lectionis discrepantia ad definiendum effati Paulini sensum, si significatio particulae δια in N. T. *usitatior* spectetur, non minimi momenti est. Quis enim est quin intelligat, quantum resuscitari *per* spiritum (δια του πνευματος) differat a resuscitatione *propter* spiritum (δια το πνευμα). Utraque lectio aeque fere *antiqua* est. Nam δια το πνευμα legitur apud Origenem saepe, et in codice vetustissimo claromontano, nec non apud Irenaeum, Tertullianum etc. Contra vero δια του πνευματος occurrit apud Cle-

mentem alex. et in antiquissimis codicibus alexandrino et Regio Ephraemi. Quod ad *numerum* attinet codicum et Patrum alterutram lectionem tuentium, pro utraque satis multi excitantur testes. Wetstenius pro lectione δια το πνευμα laudat, praeter libros graecolatinos DEF et G, codices 14; quibus addendi sunt non solum codex 3. et 21. quorum lectiones Wetstenius ipse profert, (δια το ἐνοικουν ἐν' αὐτῳ πνευμα, 3. et δια το ἐνοικουν αὐτο πνευμα, 21.) una cum aliis tribus a Wetstenio, quidem excerptis sed h. l. perperam silentio praetermissis, scilicet cod. 17. 36. et 47. verum etiam alii septem post Wetstenii tempora demum collati, nimirum harleian. 5552. et 5613. colbertin. 771. et Lambecii 34. 35. 36. 37. Hanc igitur lectionem asserit auctoritas triginta codicum, de quibus certo nobis constat; eandemque sine dubio alii plures exhibent. Cum enim plerique codices collati sint cum editione erasmica aut stephaniana, (quae δια το πνευμα habent) ii qui collationem instituerunt, nihil notare potuerunt in schedis suis, quoties librum manuscriptum cum edito suo consentientem viderent in lectione δια το πνευμα. Hoc autem cum vel nescirent vel non attenderent ii, qui lectionum variantium collectionem adaptarent textui ab erasmico et stephanico discrepanti e. gr. elzeviriano, fieri non potuit, quin nonnulli codices non laudarentur ad lectionem δια το πν. in quibus ea tamen deprehensa fuerat a collatoré. Pro altera vero lectione δια του πν. excitat Wetstenius, praeter cod. alexandrinum et cod. Ephraemi (qui tamen legit δια του ἐνοικουντος αὐτῳ

πνευματος, quod αὐτῳ vel ad Patrem vel ad Christum referendum esset ac sensum valde mutaret) non nisi codices quinque, e quibus unus, scil. 22, iam laudatus fuerat ad lectionem priorem, adeoque vel hic vel ibi omitti debet. His addi possunt e Millio et Bengelio duo alii, covellianus secundus et seidelianus, atque e Treschovio lambecianus primus. Si igitur codicum numerum spectes, lectio δια το πνευμα sine dubio potior est. Sin vero Patrum testimonia numeres, neutra alteri cedit. Sed auctoritates non tam numerandae sunt quam ponderandae. Itaque ad vindicandam lectionem δια το ἐνοικουν αὐτο πνευμα, cui commatis huius interpretatio supra prolata superstructa est, sequentibus utimur rationibus: 1) „Magnum, inquit Bengelius, est h. l. pondus versionum; eae accusativum referunt." 2) Consensus Origenis cum codicibus graecolatinis et translatione latina, tam antehieronymiana quam vulgata, eo magis confirmat hanc lectionem, quo saepius alibi Origenis textus ab hisce codicibus et hac versione discrepare solet. Idem valet de consensione Origenis cum Chrysostomo et Theodoreto. Ex omnibus codicum familiis sive textus sacri recensionibus supersunt testes nonnulli, iidemque praestantiores, qui in hanc lectionem conspirant. Praestantissimis sane codicibus accensendi sunt codd. 17. 46. 47. 3) Magna quidem auctoritas, in textu epistolarum Paulinarum iudicando, esse solet codicum A. et C. qui alteram lectionem tuentur; sed h. l. pondus eorum elevatur per dissensum Origenis, cuius textum alias fere semper hi libri presse se-

quuntur. 4) Solemne erat librariis, imo commentatoribus quoque, vocabulum πνευμα, ubicunque in N. T. ipsis occurreret, de Spiritu S. intelligere; unde sexcenties ἁγιον additum cernimus in codicibus et versionibus, ubi meliores libri πνευμα tantum exhibent. Cum igitur nostrum etiam locum nonnulli de Spiritu S. explicarent, atque existimarent, resuscitationem corporis *per* Spiritum S. faciliorem esse intellectu quam resuscitationem corporis *propter* Spiritum S. mutarunt lectionem difficiliorem in faciliorem, eodem manente, ut ipsis videbatur, sensu. Nam δια, licet accusativo iunctum, tamen verti interdum debet *per*. Atque sic δια το πνευμα intellexisse videntur. Itaque loco constructionis *rarioris* atque *ambiguae* posuerunt usitatiorem; qua mutatione hoc simul obtineri existimabant, ut caveretur, ne lectores apostolum eandem rem eodem commate bis dixisse autumarent. Sed hac cautione opus profecto non erat. Tautologiae vitio hoc δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα non magis sane laborat, quam illud δια δικαιοσυνην vs. 10. 5) Lectio, hoc modo orta, deinceps ab aliis sedulo propagata atque defensa est, ut Macedonianos eo fortius oppugnare possent. Scimus enim e dialogis de trinitate, qui tam inter Athanasii quam Theodoreti opera excudi solent et a plerisque Maximo auctori tribuuntur, controversiam ortam fuisse de hoc loco eiusque lectione inter catholicos et Macedonianos Dial. III. in editione operum Theodoreti halensi tom. 5. p. 1018. Postulabat haereticus macedonianus, ut catholicus adversarius probaret, Spiritum S. aeque

ac Patrem et Filium suscitare mortuos. Provocabat catholicus ad locum nostrum, excitabatque δια του πνευματος: Macedonianus vero regerebat, non ita scriptum esse, sed δια το πνευμα, nisi forte *in uno aut altero mendoso catholicorum exemplari* genitivus extet. Ad haec catholicus: ostendere possumus in cunctis veteribus exemplaribus ita scriptum esse: (falsum hoc esse patet ex antiquissimis versionibus et Patrum qui ante haeresin macedonianam scripserunt, allegationibus.) Sed quoniam existimas id in controversia positum esse, alium scripturae locum afferam: — littera occidit, *spiritus autem vivificat* — Nonnullis interiectis haereticum p. 1027 ita increpat: Vos Macedoniani et epistolam ad Hebraeos reiicitis, et *epistolam ad Romanos adulterastis*, dum scriptum esse dicitis: δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα. — Cum igitur polemici de loci huius lectione inter se decertare, sibique adulterationem textus s. vicissim exprobrare coepissent: facile intelligitur, eam lectionem quae orthodoxis magis favere videretur, librariis prae altera placuisse atque studiose codicibus insertam esse. Extat rei huius indicium in codice 2. qui ineptissime legit: δια το ἐνοικουν αὐτου πνευματος. Nempe in exemplari quod librarius describendum sibi sumserat, exstabat: δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα. Priora verba fideliter transcripserat; cum vero ad vocabulum πνευμα pervenisset, atque hanc lectionem haereticis depravationibus vulgo annumerari recordaretur, audacter πνευμα mutavit in πνευματος, ac prae nimia festinatione ea, quae iam scripserat, intacta reliquit.

6) Ea quae de vera significatione formulae το ἐνοικουν ἐν ὑμιν πνευμα supra disputata atque ex universa orationis συναφεια comprobata sunt, lectionem δια του πνευματος falsitatis arguunt. 7) Illud δια δικαιοσυνην vs. 10. ob evidentem membrorum commatis 10. et 11. parallelismum supra indicatum, postulat δια το πνευμα. 8) Scriptura S. resuscitationem mortuorum non *solet* Spiritui S. sed Filio vel Patri, *per Filium* mortuos in vitam revocanti, tribuere. Igitur analogia etiam Scripturae lectioni nostrae favet. Sed haec hactenus. Quae vero explananda supersunt capitis nostri commata, in quibus του πνευματος mentio fit, praesertim difficiliora illa 14.-16. et 26. 27. ea in aliud tempus reservamus.

Vos vero, CIVES CARISSIMI, omnem date operam, ut id quod descripsimus πνευμα θεου και χριστου in Vobis habeatis habitans: Lubenter admittite salutarem Spiritus Sancti, quem huius πνευματος sive novae emendataeque animi indolis auctorem esse scriptura s. testatur, virtutem. Cum vero Spiritus S. operetur per verbum divinum, quo tanquam instrumento suo utitur; per festos hosce dies non solum privatim oracula divina apud animum Vestrum perpendite diligenter, verum etiam publicis eorum interpretibus auditores Vos praebete tum attentos, tum etiam gratos.

P. P. ipso die Pentecostes MDCCLXXVI.

VI.

De vera notione vocabuli πνευμα in cap. VIII epist. ad Romanos commentatio altera, qua dies pentecostes pie sancteque celebrandos indicit academia Jenensis. MDCCLXXVII.

In eruenda declarandaque notione, quae vocabulo *spiritus* in octavo epistolae ad Romanos capite subiecta sit, progressi sumus anno praeterito usque ad comma segmenti huius decimum tertium. Vicimus autem iustis argumentis, in ea capitis huius parte, quam explicatam iam dedimus, ubique, si a comm. secundo atque a decimo discedas, πνευμα significare novam illam atque ad legis divinae praescriptum conformatam mentis indolem, quae per Evangelium, quo tanquam instrumento suo in emendandis hominum animis utitur Spiritus Sanctus, procreatur. Hanc esse vocabuli huius potestatem comm. I - VIII, nemo facile erit, qui in dubium vocare ausit. Cum vero comm. IX - XVII. nihil aliud propositum sit Apostolo, quam ut ad Romanos suos lectores transferat ea, quae de hominibus vel κατα σαρκα vel κατὰ πνευμα ουσι generatim antea disseruerat; efficitur, eandem vim vo-

cabulo tribuendam esse in posteriori hac pericopa, quam in priori illa commentatores admittunt tantum non omnes. Quam ob rem, aliisque de causis suo loco indicatis, formulas: *spiritus Dei habitat in vobis*, vs. 9. *Christi spiritum habetis*, ibid. et, *spiritus eius, qui Iesum e mortuis suscitavit, habitat in vobis*, vs. 11. ita interpretati sumus, ut synonymas eas esse statueremus cum phrasi comm. 5. obvia, τα του πνευματος φρονειτε, sive, ea mente voluntatisque indole praediti estis, quae homines Christianos decet, et qua Christus ipse adfectus erat. Iam age videamus, quonam sensu vocabulum *spiritus* in iis commatibus, quae examinanda nobis restant, a divo Paulo usurpatum sit.

Ut Romanorum animos eo vehementius ad sanctitatis studium incitaret, eosque a pristina illa peccandi consuetudine abstraheret, eximia praemia, quae omnes τα του πνευματος φρονουντας nec κατα σαρκα, verum κατα πνευμα ζωντας manent, in animum eis comm. XIII - XVII. revocavit. Ει κατα σαρκα ζητε, inquit Comm. XIII. μελλετε αποθνησκειν· ει δε πνευματι τας πραξεις του σωματος θανατουτε, ζησεσθε. Opponuntur sibi invicem κατα σαρκα ζην (quod idem est ac κατα σαρκα περιπατειν vs. 4.) et πνευματι τας πραξεις του σωματος θανατουν. Hoc itaque recte explicabimus per κατα πνευμα ζην sive περιπατειν. *Actus* seu opera *corporis* *) sunt actiones

*) Pro σωματος legunt σαρκος codices graecolatini quatuor et Patres latini post Tertullianum plerique. Sed graeci omnes, inde a Clemente alexandrino et Origene, constan-

pravae, tum eae, quae membris corporis perpetrantur, tum etiam eae, ad quas incitant nos corporis motus perversi; cuius generis sunt actiones libidinosae, quibus supra omnem modum deditos olim fuisse Romanos, tam aliunde quam e cap. 1, 24-27. constat. Ad has Paulum h. l. praecipue respexisse, a veri similitudine neutiquam abhorret. Conferri meretur locus ad Coloss. 3, 5. νεκρωσατε (ut nostro loco θανατουτε) τα μελη ὑμων τα ἐπι της γης, πορνειαν, ἀκαθαρσιαν, παθος etc. ubi paulo post additur vs. 9. exuite veterem hominem, cum πραξεσι eius. Hae πραξεις του σωματος perimuntur, novus cum induitur homo, sive, ut ad nostrum locum redeamus, *enecantur spiritu*; hoc est, illa animi indoles, qua veri nominis Christiani cernuntur et qua a carnalibus hominibus differunt, efficit, ut istis ad peccandum illecebris non succumbant, sed turbulentas illas et inordinatas sive corporis sive animi commotiones compescere atque reprimere valeant, nec in actus erumpere eas patiantur, quo fit ut sensim stimulorum istorum vis atque impetus frangatur ac imminuatur, adeo ut incitamenta ad peccandum in dies

ter habent σωματος. Quare dubitari vix potest, *carnis* esse glossema antiquissimum hominis inter latinos viventis, quod vel graeco textui codicum occidentalium insertum, atque hinc in translationem latinam illatum sit, vel ab interprete latino vetustissimo in versione sua ad sensum declarandum positum fuerit, ac postea, ut alia nonnulla, licet pauca, eiusdem generis glossemata in textum graecum codicum graecolatinorum irrepserit.

fiant et rariora et debiliora. Πνευμα enim quod fidelibus inest, tum rationes moventes tum etiam vires suppeditat, ad irrita reddenda omnia cupiditatum ad peccandum lenocinia. Continetur enim *spiritus* ille, sive nova hominis christiani indoles (novus homo, Col. 3, 10.) vera et viva in Deum et Salvatorem nostrum optimum fide, sincero erga Deum amore, grata ac perpetua beneficiorum, quibus Deus per Christum nos cumulavit, recordatione, assiduo pietatis sanctitatisque studio, implacabili adversus omne id, quod legi divinae adversatur, odio etc. Tali qui praeditus est *animo*, is profecto consentire nequit peccato, sed omnibus πραξεσι του σωματος bellum indicit perpetuum, easque enecat. Nam spiritus hic, teste Paulo Gal. 5, 17. επιθυμει κατα της σαρκος; h. e. ea, quae spiritus cupit, prorsus contraria sunt cupiditatibus carnis; quamobrem, si homo πνευματι περιπατει, si ea, quae spiritus cupit, facit et huius dictamini obtemperat, neutiquam την επιθυμιαν σαρκος perficiet. (ibid. 16.) sed carnem una cum παθημασι et επιθυμιαις eius (i. e. cum πραξεσι του σωματος) crucifiget. (ibid. vs. 24.) Quicunque, ait Ioannes epist. I. cap 3. 9. ex Deo natus est, peccatum non committit, (sed τας πραξεις του σωματος θανατοι,) quia semen Dei in eo manet (sive, ut cum Paulo nostro loquamur, quia *spiritus Dei et Christi* in ipso habitat;) immo ne peccare quidem potest, ideo quod ex Deo natus est. Atque huius generis homines, ut Paulus in fine commatis nostri testatur, *vivent*, i. e. felicissimi erunt et aeternis praemiis a Deo afficientur.

Hac autem futurorum praemiorum spe, ut eo maiorem alacritatem Apostolus adderet Romanorum animis, tum certissimam futurae felicitatis rationem tum immensam eius magnitudinem inde comprobat Comm. XIV. quod homines πνευματικοι, hactenus descripti, sint *filii Dei.* Ita enim argumentatur Paulus: Si ope spiritus, qui vobis inest, a quibuscunque peccatis vos abstinetis, ζησεσθε, comm. 13. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt, comm. 14. 15. 16. Si autem filii estis, haeredes etiam estis; haeredes scilicet Dei, et cohaeredes Christi, comm. 17. Ergo ζησεσθε, comm. 13. et δοξασθησεσθε συν τῳ χριστῳ, comm. 17.

Quid sit *spiritu Dei agi*, intelligitur primum e phrasi ἀγεσθαι ἐπιθυμιαις ποικιλαις, 2 Tim. 3, 6. pravis cupiditatibus agi; deinde e loco parallelo Gal. 5, 16. 17. 18. εἰ πνευματι ἀγεσθε, οὐκ ἐστε ὑπο νομον, ubi spiritus carni sive vitiositati morali in hominibus impiis regnanti opponitur, et, per contextum, spiritualem hominis regeniti indolem denotat, quae sese manifestat per bona opera, quippe quae sunt fructus spiritus, ibid. vs. 22. coll. opera carnis, vs. 19. Haec phraseos significatio porro confirmatur e loco Ioanneo, ubi hoc filiorum Dei criterium proponitur: πας ὁ ποιων την δικαιοσυνην, e Deo natus est, 1 Epist. 2. 29. et cap. 3. 10. Hac re dignosci possunt filii Dei et filii diaboli: πας ὁ μη ποιων την δικαιοσυνην, non est e Deo natus. Itaque, spiritu Dei agi, interprete Ioanne apostolo, est ποιειν την δικαιοσυνην, seu animum genuino Christi discipulo dignum factis probare et se-

rio pietatis studio duci, sive, ut Paulinas formulas adhibeamus, κατὰ πνευμα περιπατεῖν s. ζῆν. Idem docet phrasium a Paulo adhibitarum inter se comparatio. Nam *ad ductum* seu *normam* spiritus (ΚΑΤΑ πνευμα) vitam actionesque omnes dirigere, (περιπατειν) quid quaeso hoc est aliud, quam Dei spiritu *agi* atque *duci*? Quid, nisi ὑπακουειν τῳ πνευματι? Nam quemadmodum Paulus cap. 6. 12. in hominibus σαρκικοις regnare innuit την ἁμαρτιαν εἰς το ὑπακουειν αὐτῃ, ita simili ratione dicere licet, in πνευματικοις sive regenitis βασιλευει το πνευμα, εἰς το ὑπακουειν αὐτῳ, id est, πνευματι ἀγονται. Omnem vero dubitationem tollit orationis contextus et continuatio. Felicissimos futuros esse *eos*, qui spiritu actus corporis enecant, *inde* probat Apostolus, *quia* Dei filii (adeoque haeredes quoque, hinc felicissimi) sunt, *quicunque* Dei spiritu aguntur. Manifestum est, nervo atque vi carere argumentationem Pauli, nisi *spiritu Dei agi*, et *spiritu actus corporis coercere* phrases sint synonymae. Hinc vero perspicue colligitur, id quod aliis argumentis iam evicimus, vocabulo *spiritus* in utraque formula eandem subesse vim atque potestatem. Sed conferamus etiam comma sequens XV, in quo apostolus docet, recte procedere istam argumentationem comm. 13. et 14. verumque esse axioma illud, quod filiorum Dei dignitatem asserit iis omnibus, qui spiritu Dei aguntur. Probat hoc ex ipsa *indole* eius spiritus, quo aguntur. Spiritus, inquit, quem accepistis (et quo agimini) non est *spiritus servilis* (πνευμα δουλειας παλιν εἰς φοβον)

sed est *spiritus filialis* (πνευμα υἱοθεσιας.) Cum igitur arctissimo nexu cohaereat comma 14. cum comm. 15, eadem notio necesse est subiecta sit vocabulo *spiritus* in utroque commate, novumque e commate 15. robur accedit nostrae commatis 14. interpretationi. Quid sit πνευμα δουλειας, intelligitur ex aliis phrasibus haud absimilibus in sacro codice obviis v. c. πνευμα πορνειας εν αὐτοις ἐστι, Hos. 5, 4. πνευμα κατανυξεως, Rom. 11, 8. πνευμα πραοτητος, 1 Cor. 4, 21. Gal. 6, 1. πνευμα δειλιας et πνευμα δυναμεως και ἀγαπης και σωφρονισμου 2 Tim. 1, 7. in quibus omnibus πνευμα denotat eum, quo quis adfectus est, animi sensum; scilicet animum libidinosum, torpentem atque stupidum, mansuetum, timidum ac formidolosum, fortem sive intrepidum, benevolentem, sobrium. Absque dubio igitur *spiritus servitutis in timorem* designat animum servili metu praeditum. Veram esse hanc interpretationem valide colligitur ex adiuncto παλιν. Olim, ait Apostolus, servorum more Deum timebatis, atque vel iram numinis, cuius sanctissimas leges peccando violaveratis, vestro iure ac merito expavebatis, vel solo poenarum metu a peccando absterrebamini; nunc vero longe alia atque praestantior vestra est et indoles et conditio. Vos enim, qui Iesum Christum vera fide amplexi estis, servilis iste metus iam non angit, sed ita erga Deum, ut filii bonae indolis erga parentes suos indulgentissimos, adfecti estis. Accepistis πνευμα υἱοθεσιας, quod (ut clarissime iam patet ex opposito) continetur tum obedientia tali, quae non ex metu poenarum, sed e sin-

cero erga Deum, benignissimum Patrem nostrum, amore proficiscitur, tum fiducia in Deo collocata plenissima, quae tanta est, ut Deum O. M. patrem nostrum compellare haud vereamur, ac quaevis bonorum genera confidenter ab eo et poscere et exspectare audeamus. Atque hoc πνευμα υἱοθεσιας est idem *spiritus Dei* vs. 14. quo qui aguntur, certissime Dei sunt filii. Nam ipsa huius, quo fideles reguntur, spiritus, quippe a Deo ipsis dati (ἐλαβετε) et per verbum Dei coelitus revelatum procreati, filialis indoles, indubium est indicium et locupletissimus quasi testis, Deum nos habere pro filiis suis. Hinc Paulus commate sequente XVI. pergit: αὐτο το πνευμα συμμαρτυρει τῳ πνευματι ἡμων, ὅτι ἐσμεν τεκνα Θεου. Sententiae huius, a multis perperam intellectae, verum sensum facili negotio indagabimus, si ad ratiocinationis Paulinae seriem atque consecutionem animum advertere velimus. Est vero, ut brevissime eam repetamus, haec: Si peccatum vincetis, ope spiritus in vobis habitantis, felices eritis, vs. 13. *Nam* Dei filii (hinc vs. 17. felices) sunt, quotiquique divino spiritu animantur, vs. 14. *Nam* filialis est ille, quo per Dei gratiam praediti estis, spiritus vs. 15. *Igitur* ipse hic spiritus abunde docet, filiis vos esse annumerandos, vs. 16. Optime hunc ratiocinationis nexum atque ordinem perspexit auctor interpretamenti, sensum egregie illustrantis, quod in textu graeco codicis Claromontani legitur. In hoc scilicet libro commatis nostri initio ὥστε praefigitur: ὥστε αὐτο το πνευμα συμμαρτυρει κ. τ. λ. Satis

bene, si ad consecutionis declarationem spectes; licet perperam in textum irrepsisse hoc interpretamentum ultro fateamur. Postquam enim Paulus enunciationem, quam vs. 14. perscripserat, perspicuo quodam argumento confirmasset v. 15. iam vs. 16. *infert*, veram atque certam esse illam enunciationem. Quae si ita sunt, το πνευμα συμμαρτυρουν non potest non idem ille spiritus sive animi sensus esse, quo fideles aguntur vs. 14. hoc est, quo filii erga parentes suos affecti esse solent. Eo autem magis retinenda est haec vocabuli significatio, quod in antecedentibus, quibuscum comma nostrum indissolubili vinculo connectitur, constanter ea obtinet, nec ulla apparet causa, cur ab ea hoc loco discedamus. Nec si Spiritus Sancti personam indigitare hic voluisset Apostolus, scripsisset: αὐτο το πνευμα, quo ad antecedentia se respicere haud obscure innuit; verum και το πνευμα το ἁγιον vel πλην το πν. το ἁγιον συμμαρτυρει, ut intelligere possent lectores, aliam hic esse vocabuli πνευμα potestatem, novumque hoc commate et diversum ab eo, quod vs. 14. et 15. propositum vidimus, indicari criterium, e quo cognoscere possent Romani, Dei se esse filios. Συμμαρτυρει τῳ πνευματι ἡμων nihil significat aliud, quam συμμαρτυρει ἡμιν. Συμμαρτυρειν vero positum est pro μαρτυρειν, ut Rom 2, 15. cap. 9, 1. Apoc 22. 18. et Ierem. 11, 7. apud τους ό, atque recte a vulgato interprete vertitur: testimonium reddit, h. e. certo nobis est indicio ac argumento. Ut enim tam in antecedente oratione quam aliis in locis saepe προσωπο-

ποιά utitur Apostolus, atque tum de ἁμαρτια ἐν ἡμιν οἰκουσῃ, tum de πνευματι tales frequentat locutiones, quae proprie non nisi de rebus animatis usurpati solent; ita hoc quoque loco pium illum regenitorum sensum, cuius sibi conscii sunt, quemque factis etiam probant genuini Iesu Christi sectatores, testem quasi producit de υἱοθεσια ipsorum fide dignum. Eandem fere rem aliis verbis, paullo clarioribus, Ioannes describit 1 Epist. 3, 24. et cap. 4. 13. ἐν τουτῳ γινωσκομεν, ὁτι μενει ἐν ἡμιν, ἐκ του πνευματος, οὗ ἡμιν ἐδωκεν, sive, ut loco posteriori legitur: ὁτι ἐκ του πνευματος αὐτου δεδωκεν ἡμιν. Πνευμα enim in his etiam locis accipi debere de animi sensu, et quidem de tenerrimo amoris erga fratres affectu, quo filii Dei coelestem Patrem suum imitantur, recte perspexerunt HAMMONDUS, BEAUSOBRIUS et LENFANT, BENSONIUS ad cap. 4. 13. b. ZACHARIAE, aliique. Conferri etiam possunt eiusdem epistolae cap. 2, 29. et cap. 3, 10.

A commate XVIII. usque ad comma XXV. vocabulum πνευμα semel tantum occurrit, comm. XXIII. ubi την ἀπαρχην του πνευματος ἐχοντες commemorantur. Sed cum segmentum hoc cum reliquis capitis huius commatibus, in quibus spiritus mentio fit, arctiori nexu haud copuletur, atque loci istius intelligentia pendeat a significatione vocabulo κτισις vs. 19. tribuenda; quae res altioris est indaginis quam ut paucis a nobis, aliud iam agentibus, expediri queat: praetereundum esse censemus locum hunc, et ad comm. XXVI. et XXVII. pedem promovemus.

Apostolus Christianos, variis miseriarum et aerumnarum generibus in hac vita pressos, erigit solatio inde desumto, quod *spiritus* in afflictionibus istis opem nobis ferat, et, quanquam ipsi nesciamus dubiique haereamus quid a Deo in hisce angustiis precibus expetere nos deceat, causam nostram apud Deum tacitis agat suspiriis, et deprecatoris quasi munere fungatur; Deum enim, qui intimos cordis recessus scrutatur, plenissime quid *spiritus* occulte suspirans efflagitet perspectum habere, piisque eius votis annuere clementer, quoniam *spiritus*, pro Christianis velut intercessoris vices agens, nihil postulet, quod sapientissimae divinae voluntati repugnet. Ut de sensu difficilioris huius loci, in quo plerique interpretes πνευμα vel de Spiritus S. persona vel de ea operatione eius, qua tum ad orandum nos incitat tum preces nobis suggerit atque dictat, accipiunt, eo certius constare nobis possit, monere iuvabit 1) veri admodum esse simile, Apostolum respicere hic ad ea quae supra comm. 16. de spiritu testimonium nobis perhibente scripserat. Fatentur hoc omnes fere commentatores, qui utrumque locum, cum nostrum tum illum, de Spiritus S. persona et operationibus interpretantur. Quidni mutuum hunc locorum inter se respectum nos quoque agnoscimus, licet priorem illum aliter intelligendum esse statuamus? Deinde 2) perquam probabile est, nisi graves in contrariam partem afferri queant rationes, eandem potestatem, quam vocabulo πνευμα, in priori capitis nostri parte toties recurrenti, firmis argumentis vindicavimus, hoc quoque loco

tribuendam ei esse. Iam 3) si comma 27. in se spectemus, nec pro concesso sumamus, explicandum id esse e commate 26, id quod nullo modo in oraculi huius interpretatione fundamenti loco poni potest, cum aequo iure nos commatis 26. sensum e clariori commate 27. eruendum esse contendere queamus; si igitur verba ὁ ἐρευνων τας καρδιας οἰδε, τι το φρονημα του πνευματος, spectentur in se, dubitari non potest, commode το φρονημα του πνευματος explicari posse de desideriis *animi regeniti* *), qui variis calamitatibus, quibus Christi discipuli obnoxii sunt, in angustias redactus quo se vertat haud invenit, et quid hac quidem rerum facie optimum sit ignorans, conceptis verbis preces ad Deum fundere, aut, ut ex angustiis illis eripiatur, postulare non audet, sed occultis tantum suspiriis divinum implorat auxilium, modum vero et tempus auxilii Deo permittit **). Deus vero, cordium scrutator, tacita ista suspiria, utpote voluntati suae plane consentanea, audit. Οἰδε τι το φρονημα του πνευματος idem est ac οἰδε τι φρονει το πνευμα. Φρονειν autem est ζητειν, Col. 3, 2. coll. vs. 1. sive θελειν. Hinc Hesychius φρονημα in-

---

*) Hinc interpretes nonnulli, qui comma 26. de Spiritu Sancto ejusque operationibus explicant, tamen comma 27. de animo hominis per Evangelium emendati exponunt; e quorum numero unum nominasse sufficiet Ernestium V. V. in *neueste theolog. Bibliothek* vol. 2. pag. 222.

**) Confer omnino egregiam Theodoreti explicationem huius loci.

terpretatur βουλημα, θελημα; et vulgatus interpres bene h. l. reddidit: *quid desideret* spiritus. Atque hanc significationem συναφεια orationis omnino postulat. Nam φρονημα του πνευματος continetur στεναγμοις illis ἀλαλητοις vs. 26. quibus spiritus intercedit pro nobis, τι προσευξωμεθα καθο δει ignorantibus. Αλαλητοι vero dicuntur non quod verbis exprimi nequeant; sed quia voce non proferuntur et imo pectore studiose occuluntur *), ne scilicet talia forte precemur, quae voluntati divinae adversentur. Hos στεναγμους, hoc φρονημα του πνευματος Deus οἰδε, non novit solum, verum, ut patet e contextu, audit etiam. Rei huius ratio, una cum uberiori loci nostri illustratione, peti potest e commate 5. 6. et 7. Homines σαρκικοι legi voluntatique divinae non obtemperant nec res adversas patienter ferunt, sed, si forte precibus Deum adire dignentur, clamoribus eum quasi obtundunt, et, ut citissime omni eos liberet periculo, flagitant. Nam φρονουσι τα της σαρκος, et ea quae sensibus grata sunt unice appetunt. Contra vero οἱ κατα πνευμα ὀντες, in quibus habitat quosque agit το πνευμα θεου και χριστου, hi φρονουσι τα του πνευματος, et in rebus adversis aeque atque in secundis toto animo in ea feruntur, quae Dei voluntati consentanea sunt. Hinc, calamitatibus afflicti, Christi ad exemplum preces suas componunt:

---

*) Vid. LAMBERTI BOS. *exercitationes philologicae*. Franequerae 1713. pag. 111. atque conf. Exod. 14, 15.

Pater, si fieri potest, transeat a me iste calix; verum tamen, non quod ego volo, sed quod tu vis. Tale cum sit το φρονημα του πνευματος, occultis suspiriis sese prodens ei qui absconditum animi desiderium novit, non potest non Deo gratum esse. (coll. vs. 8.) Quare, quemadmodum το φρονημα του πνευματος generatim fons est verae felicitatis, vs. 6. et non solum anima propter δικαιοσυνην vitam beatam aeternum vivet, vs. 10. verum corpus quoque propter πνευμα in nobis habitans olim resuscitabitur, vs 11. ita etiam suspiria fidelium, quae velut interpretes sunt του φρονηματος του πνευματος, propter hoc πνευμα sive *filialem animum* gratiose a Deo audiuntur. Quid igitur mirum, Paulum elegantissima metaphora hoc πνευμα υἱοθεσιας, ΕΝ Ωι ΚΡΑΖΟΜΕΝ ἀββα ὁ πατηρ vs. 15. *intercessorem* nostrum apud Deum appellare? Intercedit scilicet pro nobis, cum Deum movet, ut nostris precibus, immo tacitis etiam suspiriis, benignissime annuat, nobisque, calamitatibus paene oppressis, ea ratione, quam ipse optimam et nobis utilissimam esse scit, opem ferat ΔΙΑ το ἐνοικουν αὐτου πνευμα ἐν ἡμιν, vs. 11. Atque hinc porro intelligitur, quonam sensu *idem hic spiritus* dici possit comm. 26. συναντιλαμβανεσθαι (h. e. ἀντιλαμβανεσθαι coll. vs. 16. Luc. 10, 40. et Ps. 88, 21. apud τους ό) ταις ἀσθενειαις ἡμων, id est ἡμιν, ἐν ταις ἀσθενειαις ἡμων: nempe intercedendo pro nobis, nostramque causam ea, qua mox dicebamus, ratione apud Deum agendo. Ad stabilienda ea, quae hactenus disputavimus, notamus 4) Paulum loqui cum

Christianis, qui variis παθημασι et adversis casibus conflictantur vs. 17. 18-23. 25. (ὑπομονη) 28. (παντα h. e. etiam τα παθηματα) et 35. 36 De miseriis igitur accipiendae sunt αἱ ἀσθενειαι commate nostro 26, non autem, ut multis visum fuit, de virium humanarum in rebus spiritualibus defectu; quae falsa interpretatio erroneis totius huius loci explicationibus ansam dedit. Saepissime in N. T. hoc sensu occurrere ἀσθενειαν, vel tironibus notum est. Conf. v. c. 2 Cor. 11, 30. cap. 12, 5. 9. 10. Sed non solum nihil obstat, quominus comma 27. eo quem indicavimus modo explicetur, verum etiam 5) idoneis de causis hanc eius expositionem, quam e comparatione cum comm. 5-16. satis iam confirmavimus, unice veram esse iudicamus. Nam si πνευμα intelligamus de Spiritus S. persona, fateri cogemur, parum apte et ad rem accommodate Apostolum scripsisse: Deus qui scrutatur *corda* (nempe corda *hominum*) novit quid desideret *Spiritus Sanctus*. Sin vero de Spiritus S. operatione, qua preces piis hominibus suggerit, πνευμα accipere velimus, infitias ire non poterimus, supra quam dici potest frigide rationem, cur Deus has preces audiat, adiectam esse hanc: quoniam κατα θεον h. e. κατα το θελημα θεου (1 Io. 5, 14. 2 Cor. 7, 9. 10.) *divinae voluntati consentienter* deprecatur pro sanctis. Quasi vero preces ab ipso Spiritu S. fidelibus suppeditatae possent esse voluntati Dei *non* convenientes. Quin opus plane non erat, ut apostolus argumento quodam allato probaret id, quod nemini dubium videri poterat: Deum nosse et exaudire eas

preces, quas supernaturali modo Spiritus S. ipse sanctorum cordibus inspiret. Contra ea aptissime Apostolus, ex nostra sententia, monet, Deum certissime audire preces, immo tacita suspiria, fidelium, *quoniam homo spiritualis* (reduplicative, ut in scholis loquuntur,) ea tantum desideret, quae sint κατα Θεον: hancque novam animi per Evangelium emendati indolem, in precibus Christianorum conspicuam, tantopere placere Deo, ut commode intercessoris nomine insigniri ea possit, qua deprecatrice impetremus quae a Deo petimus. 6) Non est quod quisquam obiiciat, duriusculam videri istam translationem, qua animi quaedam conditio deprecatoris aut intercessoris nomine veniat. Nam durior non est quam illa, qua vs. 16. eadem haec animi indoles testimonium dicere perhibebatur, aliaeque innumerae a scriptoribus tam sacris quam profanis usurpatae. 7) Si commate 27. πνευμα denotat animi regeniti indolem, procul omni dubio haec vocabuli significatio obtinet etiam commate 26. *). Nam non solum το φρονημα του πνευ-

---

*) Possemus nostram comm. 26. et 27. interpretationem plurium commentatorum, magna saltim ex parte nobiscum consentientium, suffragiis confirmare, si auctoritatibus quidquam tribuendum esse putaremus. Ne tamen tironibus prorsus nova et inaudita videatur, paucis monemus, e veteribus nobiscum facere THEODORETUM, et ex parte etiam CHRYSOSTOMUM, cuius scrinia, ut solet, compilavit IOANNES DAMASCENUS. E recentioribus laudamus tantum LIMBORCHIUM, HARDUINUM, S. R. MOLDENHAVERUM, Ven. IUNCKHEMIUM in libello qui inscribitur *von den übernatür-*

ματος respicit, ut docuimus, ad στεναγμους, quibus πνευμα pro nobis deprecatur, verum etiam eadem res iisdem verbis comm. 26. de πνευματι praedicatur, quae simillime comm. 27. πνευματι attribuitur; nempe το εντυγχανειν ὑπερ ἡμων. Si vero in posteriori hac commatis 26. parte locum habet haec του πνευματος significatio; certe etiam in priori admittenda est, in formula το πνευμα συναντιλαμβανεται ταις ασθενειαις ἡμων: tum quia illud αὐτο in particula posteriori lectorem remittit ad πνευμα proxime antecedens; tum quia pars segmenti posterior destinata est declarando modo, quo πνευμα nobis succurrat, scilicet deprecando pro nobis apud Deum. Tandem 8) illustrari posset nostra oraculi huius Paulini interpretatio e locis Ioanneis duobus 1 Epist. cap. 3, 19-22. coll. vs. 24. et cap. 5, 14. 15. Sed spatii angustia ab accuratiore Pauli cum Ioanne comparatione intercludimur.

Atque sic excussimus loca huius capitis omnia, in quibus vocabulum πνευμα reperitur. Vos vero, CIVES CARISSIMI, per festos hosce dies sedulo Vobiscum reputate, tum quam tristis sit conditio eorum, qui pravis cupiditatibus servos sese addicunt, tum etiam quam ingentia praemia proposita sint his, qui spiritu

---

lichen Gnadenwirkungen. Erlangae 1775. p. 680. seqq. Conf. etiam b. MOSHEMII *Sittenlehre* tom. 5. p. 340. Plures consulto praetermittimus.

Dei atque Christi agendos regendosque se tradunt. Frequentes confluite ad ea loca, ubi Evangelium, per quod spiritus ille, quem descripsimus, in animis Vestris et procreari et ali potest, publice proponitur; Vestrarumque partium esse mementote, gratam Vestram erga praecones huius Evangelii mentem re atque factis probare.

P. P. ipso die Pentecostes MDCCLXXVII.
